












DISPVTATIONVM Medicarum
DE FEBRIS PESTILENTIS COGNITIONE ET CVRATIONE,

Libri Duo:

AVTORE
GERARDO COLVMBA MESsanense, Doctore Medico & Philosopho clarissimo.

Nunc primùm ab innumeris mendis castigati, & characterum diuersitate ornatius in Germania editi, Cum INDICE gemino: Altero quæstionum: Rerum & verborum altero.

Accessit Tractatus singularis Nicolai Macchelli Medici Mutinensis de Morbo Gallico, eiusque curatione.





FRANCOFVRTI,
Apud heredes Romani Beati: Georgium Beatum, & Ioannem Ludouicum Bitschium.

Anno M. DCI.

Gal. 2. de dieb. decret. ult.

Ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις τε καὶ ἀκαταστάτοις ὑπαρ-
χόντων ἀπὸ φάσεων ἀσφαλῶς. κατὰ τὰς [illegible]
σχηματισμῶν φάσιν, ἀλλὰ χρὴ σημειοῦσθαι τὰ
φάσεις ἀσφαλῶς. ἐν οἷς δὲ ἐστιν ἡ τῶν
σχηματισμῶν φάσις ἀκριβὴς ἀπαθῶν, ταῖς
[illegible] ἐνταῦθα χρὴ [illegible]
ἀπὸ φάσεων.

Idem. 3 de dieb. decret. c. 6.

Significationem et potestatem, quas habent [illegible]
φαινόμενα, cum contra ex his, ἐναντίων
φαινομένων [illegible] [illegible]
considerandum. vide infra pag. 22. 23.





GERARDI COLVMBÆ PRÆFATIO AD LECTOREM.



IRVM tibi forte videbitur, amice Lector, me assiduis ægrorum curis detentum, ac pene obrutum; quique optime nouerim ingenij mei vires exiguas, audere modo, in amplissimo rei literariæ Theatro prodire; vastum scientiarum campum excurrere: & cum viris, studio sapientiæ, & vbertate disciplinarum, & copia summis, controuersias suscipere non deterreri. Certe quidem vt celeberrimis viris, literariũ bellum vltro indicere, improuidi & temerarij consilij esset; sic illatum non propulsare conari, perditi prorsus, & impudentis. Igitur ad vnius veritatis tutelam, ac ad hominum salutem, quæ nobis Medicis cõcredita est, iustam propugnationem, suscipere etiam aduersus grauissimos quosque, arduum sanè fateor, non tamen indignum esse, vel indecorum, omnino tamen necessarium. Quare instituti huius mei rationem aperiam. Exacto biennio,

ennio,vbi dira fames, Italiam non modo vniuer-
sam,sed & omnem Siciliam , omni, omnium re-
rum vbertate alias, affluentem insulam pessimè
confecit;insolẽs febris pernitiosæ vulgaris impe-
tus,omnes eius populos fuit adortus. Qui Messa-
nam vrbem grassatus,non plebem modo vniuer-
sam,sed viros primarios prauè pervasit. Eius mor
bi facies, hæc fuit. Febres erant cõtinuæ duplicis
tertianę naturam vt plurimum referentes,acutę,
mali moris,& quas Gręci vocant palymuolas.Dũ
inchoarent sæpe mites,quæ postmodũ valde ma-
lignæ videbantur:Pleræque diebus paribus vehe-
mentius affligentes.Symptomata hæc erant.In a-
ctionibus lęsis quibusdã sopores,aliis demẽtatio-
nes,nonnullis,vtraque superuenere.Pluribus ca-
pitis dolores,ad motum impotentiæ,ciborum a-
uersiones:pulsus,vel à principio,vel statim in au-
gmento,erant parui,rari,& inæquales.In excretis
hæc fuere;nares sanguinem stillabant, sudores e-
rant omnino non iudicãtes,vrinæ à principio bo
næ,mox turbidæ subiugales male olentes: Aluus
fætida & cum vermibus excernebat. Dispositio-
nes qualitatis mutatæ fuere, maculæ diuersorum
colorum pulicum morsibus adsimiles,dorso,bra-
chiis, & tibiis efflorescentes. Ex omnibus multi
mortui sunt;euaserunt & multi.Omnes ferè qui-
cunque euasere,alui fluore fuerunt iudicati. Ob-
seruatum fuit summo morbi vigore quibus erat
conualescendum per aluum excretiones humo-
rum apparuisse,cum vrinis omnino crudis, quæ
sensim humorum fluore perseuerante, coctio-
nem acquirere videbantur , & tandem omni-
no coctæ reddebantur, & morbus integrè iudi-
caba-

cabatur. Pauci ſudoribus & vrinæ copia ſunt liberati. Apprehendit hic morbus, inter multos illuſtrem D. Vincentium Rao nobiliſſimæ indolis adoleſcentem filium illuſtriſſimi D. Ioannis Franciſci, in hoc Regno iuſtitiæ Præſidentis, viri ſingularis eruditionis, & omnium virtutem nitore clariſſimi. Huius curationi; Leonardus Cryſaphullius, Marcellus Capra, Hieronymus Bettonus, Sabaſtianus Petrafitta, Ioan. Petrus, Ranerius, Paulus Reſtipha, doctores, ætate, eruditione, & prudentia præſtantes, & Gerardus Columba interfuimus. Qui omnes pro ſumma omnium erga illos, cum amore, tum obſeruantia, morbum profligare omni officio nitebamur. Verum auxiliis omnis generis ſedulo paratis ſæuior morbus increſcebat, coma, & delirium, indies vehementius infeſtabant, tandem cæteris non conferentibus veſicantium medicamentorum, quæ phænigmata Græci vocant auxilium fuit in conſultatione propoſitum. Approbarunt omnes. Ego vnus, vt illa reciperem nullam rationem inueni, præſertim cum adhuc non deeſſent artis præſidia, quæ ad eaſdem indicationes curatiuas explendas, materiam medicam ſatis appoſitæ ſubminiſtrarent, citra omnem omnino noxam: quã veſicãtia ſummam inferre potuiſſent; vt quæ dolore, ægri vires redderent infirmiores, calore febris incendium adaugerent, venenum malæ febris qualitati adijcerent, obſtructionem craſſorum humorum à venis maioribus attractione ad capillares multiplicarent, & inde putredinem, ac denique alui fluorem, quem iam natura moliri cæperat intecrciperent. Ad extremum augebant

 eius

eius medicamenti ſuſpitionem, quòd nullus graviſſimorum Medicorum, nec Galenus, vel Paulus, vel Ætius, vel Oribaſius, quibus in plæriſque morbis vſus phænigmatum valde fuit familiaris, in febre maligna, ad humores diuertendum coma, vel delirium facientes, vel ad macularum exitum in cute iuuandum vſum phęnigmatum, ex cantharidibus & euphorbio, auſi ſint vnquam experiri. Reſponſum fuit, dolorem illa, vel omnino leuem inducerę; naturæ ad cutim excretionem iuuare: à capite humores coma facientes diuertere: alui excretionem non impedire, nec intercipere; ac denique longo experimento eos didiciſſe in febribus malignis illornm vſum apprime ſalutarem, Communis ſententia ſingulari præferri oportuit. Applicata ſunt brachiis, ſpatulis, & tibiis, vtrinque bina. Verum alui fluor triduo deſiit: coma, & delirium increuere: morbus vehementior apparuit: adeo vt exacto triduo vbi multis, & validiſſimis adhuc artis præſidiis pugnatum eſſet tandem adueniente illuſtri Siciliæ Archiatro Dom. Franciſco Biſſo viro in artis operibus omni commendatione maiori, communi omnium voto, morbi magnitudine, ac ſæuitie, magna adhuc remedia expoſcente, ſanguinem ſectis narium venis extraximus. Quo tandem ingenio, natura adiuta, quæ in adoleſcente, valida tot procellis mergi non potuit, iterum ad alui excretionem regreſſa per inferiorem humorum depoſitionem (vt & reliquis ea conſtitutione fere omnibus euenit) morbum indicauit. Dum hæc apud nos geruntur, in celeberrima Patauina A-

na Academia, eadem de veſicantibus medicamentis contentio exorta eſt (eodem morbo ibidem vigente) inter primarios eius Medicos. Hercules Saxonia illa commendauit, Alexander autem Maſſarias improbauit. Prior pro illis libellum edidit, multis rationibus illorum vſum perſuadere tentauit: rationes à dolore, à febre, à veneno, deſumptas, non minus excogitauit, & non nullis ſuis reſponſis declinare conatus eſt. Alter ex aduerſo, libellum quoque ſuum protulit. Veſicantia damnauit, quòd humorum coctiones, & criſes impedirent, quas etiam in febre maligna, & peſtilenti Medico expectandas fore putauerit. Neque diuerſam ijs, ac cæteris putridis eſſe methodum curatiuam multis probare contendit (quæ omnia licet ad veſicantia profliganda ac pro noſtra ſententia confirmanda prolata eſſe videantur; quoniam veris medijs innixa non putamus, pro veritate non recipimus, vt ſuo loco monſtrabimus.) Rationes vero contra veſicantia, quas Saxonia oppugnat, Maſſarias, neque confirmat, neque tuetur. ſed (quæque cauſa fuerit) ſilentio inuoluit. Vbi vero hæ duæ clariſſimorum Medicorum diſputationes ad nos peruenere, elapſis aliquot menſibus, Marcellus Capra libellum edidit quem de morbo pandemico, Siciliam populante nuncupauit: morbum illum enarrat, illuſtris adoleſcentis ægritudinem interſerit: Noſtram de veſicantibus controuerſiam exponit: rationes quas attuli, partim refert, vt ex dolore, calore, & veneno, deſumptas: partim ſupprimit, vt ex obſtructionis, & putredinis incremento, & vtilis per aluum humorum excre-

tionis diuersione; Pro quibus alias à Saxonia acceptas mihi imponit. Responsiones, quas in collegio non attulit à Saxonia mutuatas adducit. Hæc à me dissimulari omnia,& æquo animo ferri plane potuissent : Sed magnifice proclamat: Quod (vesicantibus applicitis, statim & sine vllo dolore morbi causa reuelli cæpit, delirium,& coma leuari;atque etiam febris:) quæ omnia (scripsisse subdit, non vt meam existimationem minuat, sed vt hanc medendi rationem Medici omnes insequantur,eo enim remedio,inquit,sanitatem deperditam nobilissimo ægroto fuisse restauratam,) Ego vero,si hæc ita fuissent,vt prædicat,sententiam mutare, & palinodiam decantare pro veritate non dubitarem, & meam existimationem , quam vel omnino nullam, vel tenuissimam profiteor:non iacturam modo,sed elationem, ac laudem summam, ex ingenua veritatis confessione sperarem consequuturam, & tandem à viro insigni, vt Marcellum esse mente concipio, moneri atque in meliorem sententiam deduci, decorum omnino existimarem. Verum quando res secus cesserit,obfuerint vesicantia potius quam contulerint : quod me nullis alijs testibus, quam Marcelli confessione monstraturum recipio, atque promitto : Responsiones autem , quas adducit tantum absit vt illa confirment, vt potius, (si intimius aduertant,) destruant , & demoliantur : Conscientia stimulante me temperare non potui , quin pro veritatis innocentia dimicarem ad ægrorum salutem. Cæterum rationes meas, & oppositarum euersiones typis mandare dum propero :

ecce

4

ecce iterum Saxonia, opus vulgat, quo idem argumentum vberius & luculentius, pertractat, nouis rationibus, ſummis viribus, & omnibus denique machinis pro veſicantibus ſtrenue dimicat. Secundo hoc & validiori fortiſſimi hoſtis congreſſu manus me illi daturũ credidi primum. Vbi vero, quę protulit diligenter aduerti, & tranquillo animo perlibraui, ſententiam meam longe veriorem cognoui, & illam à ſummo etiam oppugnatore, pro mea virili parte vendicare, me veritatis amor impulit. Hæc ſunt, quæ me in hanc literariam palæſtram deſcendere, & diſputationis editionem vſque ad hoc tempus differre coegerunt. Scio quam magnum, ac ſnmme arduum prouinciæ munus ſit non rudibus, & tyronibus, ſed eruditis, ac veteranis verba facere, & grauiſſimorum hominum ſubire iudicij ſeueritatem. Non me latet, quanta circunſtent pericula ſcriptorem, etiam conſultum, ac prouidum quantoque immineant grauiora, tumultuarie prorumpentem: Sed vim propulſare ſeipſum minus iuſte circumuentum, ac proditum tueri, nonmodo iuſtum, vel honeſtum, vel à iure gẽtium inſtitutum, ſed à natura, occultis ſtimulis, inditum ſingulis eſſe atque tributum agnoſco. Præcipuè ad vnam veritatem tuẽdam, qui ſciam: Marcum Tullium in Quintiana cum ei Roſcius victoriam adpromitteret, ſi efficeret argumentis, ſeptingentamillia paſſum non eſſe decurſa biduo, non modo nihil veritum articulos, & neruos Hortenſi, ſed ne grandiores quidẽ Hortenſio, Philippos, & Cottas, & Antonios, & Craſſos; Quibus maximam dicendi gloriam tribuebat, metuere potuiſſe. Ad

extremum controuersias sum prosecutus, quã-quam non elegantia concinnas, vel ordine sele-ctas, vel rerum nouitate spectandas, sed rudes, ac pro mea tenuitate incomptas, aridas tamen vel infecundas, vel omnino inutiles non futuras. Quod vel ex seipso genus hoc literarum inter o-nia scribendi genera, proximè omnium ad rerum abditarum cognitionem accedat, ingenia acuat, vires studiorum intendat, verum detegat, falsum diiudicet. Quod non ingeniorum ęmulatio sti-mulis gloriæ concita solum, sed rerum abstrusa difficultas inuexit apud mortales, quos ob amo-rem sapientiæ Philosophos primus Pythagoras nuncupauit, & apud sapientes quos ob humani generis salutem, quam tueri omni officio, ac pie-tate nituntur, Medicorum nomine omnis omni-um ætatum consensus honestauit. Philosophi e-nim dum eximium naturæ operum concentum, & formam admirantur causasque venari cupiũt, in clarissima naturæ luce, ob summam eius maie-statem, & obiecti præstantiam cæcutientes, inui-cem conquirere, discrepare, in varias sententias deduci, & tandem controuersias suscipere com-pelluntur: Inde omnis ferè ætas, Cyrenaicos, Cy-nicos, Academicos, Stoicos, Epicureos, Peripa-teticos, audiuit de altissimarum rerum notitia contendentes, ac disputantes. Medici vero, cum procurandis hominum morbis summa omnium ferè naturalium rerum cognitione indiguerint, fossilium, plantarum, animalium, regionum, an-ni temporum, cœlorum, atq; Stellarum: in quib. abditas atque multiplices vires longa obserua-tione, progressu rerum vario, à fortuna, ab euen-tu, à

tu, à cõſilio, ab animalium inſtinctu, ab experimento cõquirere, mendicare, venari coacti ſunt: hominiſque naturas indiuiduorum differentias vltimas, mores, humores, aſſuetudines intueri: Morborum tãdem ſimplicium complicatorum, inter ſe pugnantium, abditorum, inſolentium, ad tempus proſilientium, vires tum varias, tum inenarrabiles, ac ferè diuinos, & admirabiles impetus, agnoſcere, & prouidere neceſſe habent: quæ omnia non modo vnius hominis vita comprehẽdi perfectè poſſunt, ſed neq; tot hominum, tot ætatum incrementis vltimæ perfectionis ſupremam, adhuc additionem ſunt conſecuta; mirum profecto non eſt, ſi medicinam ſcribentes, in varias abierint ſectas, Methodicẽ, Empiricam, Rationalem, & omnium nationum, celeberrimi mutuo diſcrepant, Græci ad ſe inuicem, aduerſus illos, & inter ſe Arabes, contra vtroſque Latini: vt non deſierint, viri inſignes, qui in conciliãdis eorum differentiis, & controuerſiis componendis ſtudium omne, & operam, & ętatem conſumpſerint. Ego tandem licet is ſim, qui diſputationes has meas cum grauiſſimis viris conferre non auſim, id ex animo fateor atque teſtor, me literariam hanc diſceptationem à Marcello indictam, amicè ad ægrorum ſalutem ſuſcepiſſe: Ab illoque literarum ſtudio diſſentientem, omni beneuolentia, & charitate cum eo coniunctum ad hominum vtilitatem hæc protuliſſe.



D. AN-

D. ANTONIVS ANGELICA EXCELLENTI ADMODVM D. GERARDO COLVMBÆ insigni Artium, Medicinæque Doctori.

QVam vetus excoluit Medicen Epidaurius Artem,
Hanc renouas placitis, Alba columba, tuis.
Illum olim in pestem ferientem Roma vocauit,
Roma alia in pestem te quoque Zancla vocat.
Vt referunt monumenta, illum Messenia Tellus
Edidit, hanc pariter te genuisse patet.
Illi pro meritis Epidaurus templa locauit,
Et Tyberinus ager viribus æqua suis:
Par ratio. Hoc vnum superest, vt consona cedant
Omnia, Zanclæi si tibi templa locent.

D. NICOLAI ANTONINI COLOSSI Epigramma.

SI vera est Vatis Samij sententia, nunc es
Qui, Gyralde, olim Phœbus Apollo fuit.
Namque Machaonias calles vt Cynthius, artes:
Delius ingenio es, Delphicus eloquio.
Quod si flauicomo non fulgent tempora crine,
Hoc est, quod Paphiæ est alba Columba Deæ.
Te nascente Venus sparsit tua tempora canis:
Et voluit volucris nomen habere suæ,
Tu tamen albus olor canis vt Phœbeius ales:
Læucadio similis voce, animoque Deo.

Esses

Esses antiquo si tempore natus, haberes
Inter semideos nomen Apollineum.
Nam si pro meritis, inuentas siue per artes
Dicier Heliadæ promeruere Dei;
Phœbigenis maiora facis tu signa salutis
Ore, manuque alios & facienda doces.

BARTHOLOMÆVS CASTELLVS,
Artium Med. & sacræ Theologiæ Doctor
De Marcello ad Auctorem.

SIfusi crines, toga longior, horrida barba,
Incessus baculo nixus arundineo.
Isthæc si faciant sapientem, dicito quid ni,
Marcello primas, docte Columba, dabis?
Sed si sermo grauis, facundus, promptior, audax,
Inclyta progenies, dulcis in ore lepor,
Ingenium fœlix, mens indefessa, labores
Insomnes, studium nocte dieque vigil.
Hæc si spectentur, primas dabit atque secundas
Ille tibi, & medica quisquis in arte valet.

AD GERARDVM COLVMBAM AV-
ctorem, Annibalis Bufali Artium Med.
Doct. Exasticon.

PEstiferas methodo egregia dignoscere febres
Et curare, potens arte Columba doces.
Discutis hæc acri ingenio, medicisq; sophisq;
Vt Momi inuideant vtile promis opus.
Exorna aureolis hæc tempora nostra libellis
Vt tibi Apollineus detur honore Tripos.

MVTII

MVTII FERRARÆ, DOCTORIS Medici, & Philosophi Epigramma.

AVreum opus, dignusq́ legi liber vnus in æuum,
Et grauis expendi non nisi mente viri.
Non hic inuenies mimos, non ora cicadum,
Nec sine re titulum, nec sine mente sonum.
Singula pondus habēt, quot verba, tot astra, tot enses,
Pectora queis grauiter saucius hostis abit.
Res, & verba Coam redolent, Asiamq́ senectam,
Quis te maiorem his? vel neget esse parem?

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM QVÆ IN HIS DVOBVS LIBRIS EXplicantur.

QVÆSTIONES LIBRI PRIMI.

QVÆSTIONES LIBRI SECVNDI.

4[a].

FINIS.

Aristoteles Averroes

Passim. Aristoteles · Averroes

Galenus

Hippocrates·

plato · 2

Latini. Aug. 19

Avenzoar · 11 · Averroes 18

Avicenna · 19

C. Celsus · 7 · C. Tacitus · 11 · Caesar 11

Egesippus Eusebius Josephus · 10 · 11 ·

oribasius 19

paulus · 19

Rasis 19

Io Cominus · 11

Donat. ab Altomari 11.

Fallopij 19.

Falcucij 7 .1.

Fracastorij 19.

Jubertij 19.

Hercules Saxonia

Hor. Augenius 19.

Nic. Florentinus .11.


Marcelli capra.

Mattheus Silvaticus 11. Mercurialis 19.

Montanus 19

Philippus Ingrassias .1.

Trincavella 19.



GERARDI COLVMBÆ DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI MESSANENSIS DISPVTATIONUM Medicarum

De Febris pestilentis cognitione, & curatione,

LIBER PRIMVS.

DISPVTATIO PRIMA.

An dentur morbi Pandemij, ab Endemiis & Epidemijs distincti in doctrina Galeni. Opinio aliorum. CAP. I.



OANNES Fernelius, Medicorum nostra tempestate clarissimus, primus fuit, qui morbos Pandemios, ab Epidemiis & Endemiis differētes, introduxit, *lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 11.* Hanc sententiam probauit Philippus Ingrassias vir celeberrimus, *lib. 1. de contagio pestilēti, c. 18.* dum dixit: Morborum in multos vagantium, alios esse Pandemios, quos Latini vocant communes: alios sporadicos, hoc est dispersos. Cōmunium vero, alios Epidemios, alios Endemios, alios tādem simpliciter Pandemios: differre tamen. Nam si causa communis sit aër, Epidemij, vel Endemij fiunt: si verò cibus & potus communis, Pandemij simplices. Philippum sectatus est Marcellus Capra Siculus medicus insignis, libello suo, quem nuper edidit, & inscripsit de morbo pandemico: qui verba Philippi, quæ alios dicit non bene percepisse, nec explicat, neque tuetur, sed ad verbum transcribit *fol. 11. eius libri,* vbi inquit: *Pandemij iterum subdiuidūtur: quidam sunt Epidemij, alij Endemij, & alij denique ob caren-*

Ioan. Fernelius.

Philippus Ingrassias.

Marcellus Capra.

carentiam proprij nominis, nomine generis vocantur Pandemij simplices. Hanc diuisionem Philippus inquit esse de mente Galeni: subdit enim *lib. eodem 1. de contagio: Trium horum morborum distinctam doctrinam didicimus ex Galeno in proœmio lib. 1. de morbis vulgaribus, & in com 9. libri 1. de ratione victus acutorum.*

Opinionis euersio. CAP. II.

VErum si communes morbos omnes pandemios, vel pancenos appellēt, nulla inter nos de nominibus est controuersia. Inquit enim Galenus *lib. de opt. sec. c. 18. Verū nos aduersus nomina mutantes minime pugnamus, sed rem ipsam proponemus, cui quisque suo iure nomē imponat.* Quod confirmat *4. method c. 4. 14. eiusdem c. 9. 2. de diff. feb. c. 6. & alibi sæpe:* & ante ipsum protulit diuinus Plato in Carneade, & Theatro. Cæterum si, quos morbos vocāt simplices pandemios, ab epidemijs, & endemijs putent genere diuersos in doctrina Galeni, aduersantur planè Galeno, qui nunquam diuisit communes morbos in hæc tria genera, sed vbiq; in morbos epidemios, & endemios. Primum Galeni verba *1. in 1. de morbis vulg. in proœmio,* hæc sunt: *Igitur in libro de aquis, aëre, & locis, regionales ægritudines docet, quæ per singulas habitationes fiūt: hoc autem libro Epidemiorum ægritudines, quæ per aliquod tēpus passim, vel ciuitates, vel nationes totas adoriantur. Et consueuit quidem ambo hæc ægritudinū genera & communia, & passim grassantia nuncupare, cæteras verò omnes sporades, id est, dispersas.* His ergo verbis, de mente Galeni, duo sunt, non tria communium genera morborum. Rursus si morbi pādemij simplices essent ab Endemijs & Epidemijs diuersi: tunc non communes essent, sed sporades; vel falso diceret Galenus: *Consueuisse quidem Hippocratem ambo hæc ægritudinum genera cōmunia, & passim grassantia nuncupare, cæteras vero omnes sporades, id est, dispersas.* Accedit, quod si pandemij non reducerētur ad epidemios, nullibi de illis egisset Hippocrates; vel falso diceret Galenus: *Egisse Hippocratem de endemis lib de aquis, aëre, & locis: de epidemiis autem, in libris de morbis vulgaribus:* quoniam in his libris Epidemiorū egit de communibus morbis, quos Pandemios appellant simplices, & ab epidemijs putant distinctos. Non minus esset

Duo tātum morborum Communiū genera secūdum Galenum.

Gale-

Galenus diminutus, qui communes morbos diuisit in endemios & epidemios tantum. Non minus errasset, qui ab endemijs, & epidemijs, cæteros omnes morbos, dispersos esse affirmauerit. Præterea Galenus *1. acut. com 9.* inquit: *Vt Epidemius morbus sit, qui tempore aliquo in regione aliqua abundet.* Et paulo post: *Est autem & aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit, acceditq́ Endemumq́ vel Endemium appellitatur, quasi patrium dixeris, aut vernaculum. His autem omnibus aduersantur sporades, id est, qui sparsim priuatimque prehendunt, ægros discrepanter fatigantes, neque secundum communem modum constantes.* Sed cur Galenus & hîc de pandemijs istis nõ meminit, si & ipsi communes sunt, & ab endemijs, & epidemijs distincti? Cur definit, Epidemios esse morbos, qui tempore aliquo in regione aliqua abundant? cum idem habeant & pãdemij simplices, quos putant toto genere ab epidemijs diuersos. Cur tandem concludit, his omnibus, nempe Endemiis & Epidemijs aduersantes morbos, esse sporades? si pandemij ad epidemios non reducuntur, cum & ipsi priuati non sint, sed communes. Ad hæc falso etiam Galenus auctorem libri secundi de natura humana redarguens, dixisset, *com. 3. Vt tamẽ id nõ omnino recte dictum sit, quod ortus communium morborum in aërem solummodo sit referendus.* Rectè etenim auctor ille loquutus esset, si epidemij, de quibus loquebatur, solo communi aëre fierent. Ex cõmunibus autem cibis, vt in Aeno, epidemij nõ forent, sed simplices pãdemij, genere ab eis diuersi. Prӕterea morbi, quos tractat Hippocrates in libris de morbis vulgaribus, epidemij sunt, si non mentitur Galenus *primo 1. Epid. in proœmio, & 1. acut. com. 9.* Sed illi nõ modo fiunt ex aere, verum ẽt ex cõmuni cibo & potu. Subdit enim Galenus *primo eodem Epid. in proœmio,* postquã de epidemijs meminit: *Horũ autem morborum sicut generatio, ita & caussa communis. Cũ autem tres sint caussæ, à quibus morbi auspicantur: vna quidem in ijs, quæ offeruntur: altera vero in ijs, quæ fiunt: & tertia in ijs, quæ extrinsecus incidunt: per vnam quamque sanè communes morbi fieri consueuere, ac præsertim quidem per affectum aëris nos ambientis. Non enim frequenter accidit, vt per ingestos cibos morbus communis ciuitatem, vel nationem, vel exercitum peruadat.* Sed cur hæc Galenus, si in his libris

Epidemius & Endemius morbus quid.

Sporades.

Caussæ tres, à quib. morbi auspicãtur communes.

Cibi ingesti rarò communis morbi caussa.

de solis epidemijs tractaret Hippocrates? qui à solo aëre fiunt. Cur de cibis & potibus tractat, si non epidemios, sed pandemios morbos cibi constituunt? Sed si tractat de epidemijs & pãdemijs, cur de vtrisq; non proponit se tractaturum? si diuersi generis inter se sunt: cur diuersorũ morborum caussas promiscuè confundit? Rursus, an non falsum diceret Galenus? qui postquam dixit, in libris Epidemiorum tractare Hippocratẽ morbos epidemios, subdit: *Per vnamquamq; sanè communes morbi fieri consueuerunt, præsertim quidem per affectum aëris nos ambientis.* Non enim ex aëre præsertim, sed perpetuo, epidemios fieri dicere oportebat: neque cõmunes morbos epidemios fieri per vnamquamque caussam: cum ex cibis & potibus omnino nunquam illos fieri, proferre debuisset. Verum consulamus rationem, & naturam rei.

Aer morborum communium caussa præcipua.

2 Rat.

Cur est, quod communes morbi à communi cibo progeniti, epidemij esse non possunt? Respondet Marcellus *folio 13. sui libri*, loquens de Pandemijs: *Neque caussam superiorem ex aëre, vt epidemij, sed communem habent caussam in cibis & potibus deuoratis, corruptis, aut vitiosis.* Sed suis dictis seipsum euertit. Primum, tunc morbus, qui pessimè Siciliã confecit anno 1591. non fuisset pandemius, vt ipse dicit, qui à solis cibis nõ fuit, sed ab aëre. Referens enim ipse illius morbi caussas *libro suo de morbo pandemico, folio 16.* inquit, *prouenisse partim ob annonæ caritatem, & partim ob aëris æstiui humiditatem.* Morbum autem Epidemium explicans *folio eiusdem libri 11.* dicit, *fieri ob aëris superstantis, atque vndiq; circumeuntis alterationem, seu aliam communem caussam.* Et paulo post loquens de eisdem epidemijs, subdit: *Hi enim morbi non solum ex aëre, sed ex malo regimine proueniunt.* Ergo ille morbus pandemius nõ fuit, sed epidemius. Rursus, si velit à solo communi cibo productos morbos, esse pandemios simplices, à cibis autem & aëre simul progenitos, esse epidemios, vt ex verbis eius nuper adductis facilè constat: manifestum est, morbum, quem pãdemicum vocat, qui proximè Siciliam inuasit, epidemium fuisse; cum ex Marcelli confessione ex aere simul & cibis effectus sit: Inquit enim *libro suo eodem fol. 17. Quapropter incidisse credam omnes ferè in hanc mali moris febrem primaria hac ex caussa, ciborum scilicet corruptela, & humidissimo*

Ratio Marcelli & eius confutatio.

Pestis Siciliæ Anno 1591.

Morbus fuit Epidemius non Pandemius.

ſimo poſtmodum aeris ſtatu, ex tot magnis & cõtinuis imbribus, & ex caliditate æſtatis, aptiſſimis ad putridorum humorum generationẽ. Nec eſt, vt quis pro eo dicat, aëris humiditatem cauſſam fuiſſe non primariam, ſed coadiuuãtem. Præterquam quod enim cauſſa adiuuans efficiens eſt, (inquit enim Auctor finitionum medic. *Adiutrix cauſſa eſt, quæ opus quidem conficit, ſed ægrè: quapropter alij cõſociatur, quo rem aſſequatur facilius, quam prompte obire ſeorſum nequit.*) gratis accipit, cauſſam primariam eius morbi fuiſſe cibos. Nam fuiſſe aërem probabilius eſt: tũ quia aëris conſtitutio eſt cauſſa morborum, ſuapte natura vniuerſalior, quam cibus & potus, ex Galeno *primo primi Epid. in proœmio*; tum quia cibi illi prauam omnem qualitatem a praua aëris conſtitutione, & cœli inclementia ſuſcepêre. Hoc negare Marcellus nõ poteſt, qui *libro eodem ſuo, folio 2.* hæc verba profert: *Ineunte æſtate Vredo, rubigoue, quam Vulgus reſinam appellat, ſuper arbores, plantas, ſegetes, & deniq; herbas omnes Virẽtes ſic apparuit, Vt eas omnes (miſerabile dictu) breui temporis ſpacio depauerit. Pecudes, Vaccæ, & armenta omnia, ob paſcua rubiginata, & mala qualitate infecta emaciata euaſere; ac & ſi lactifera erant.* Et paulo poſt ſubdit: *Lac omne fœtidum, & pallidum erat: tritica, hordea, & legumina ferè omnia, pauca, æruginata, & à multis imbribus corrupta, & fœtida agricolæ collegerunt.* At propter quod vnũquodque tale, & illud magis. Tum denique: nam anni cõſtitutio calida, totque magnis & continuis imbribus humida, cauſſa omnium vehementiſſima exiſtimanda eſt ad putredinem, & peſtilentes morbos, ex Galeno *1. de temp. c. 42* vbi dicit: *Ego Vero, tantum abeſt, Vt aut Ver humidum & calidum pronunciem: aut, ſi quid temperatũ eſt, calidum atq; humidum concedã; Vt, quod planè contrarium eſt, id affirmẽ, omnium aëris nos ambientis temperamentorum peſſimum id eſſe, quod humidum eſt & calidum. Quod ſanè temperamentum in quatuor anni temporibus inuenire prorſus nequeas: in morbido, & peſtilẽti aeris ſtatu interdum incidit: Veluti quodam loco Hippocrates commemorat his Verbis: Pluebat per æſtũ imber largus aſsiduè. Id namq; eſt humidi & calidi ſtatus proprium, Vt in æſtu aſsiduè pluat.* Quod confirmat *3. in 3. Epide. com. 1. & com. 22. 6. de ſanitate tuenda, & alibi ſæpe.*

Peſtis Siciliæ quæ cauſſa fuerit.

Anni cõſtitutio calida & imbribus cõtinuis humida, potiſſima cauſſa putredinis.

Cæterum, cur eſt, quod illos ſolos morbos dicãt epide-

Epithemij Ethymologia.

mios, qui à solo aëre communiter alterato proueniunt, à communibus autem cibis productos, non item? Est, inquit Marcellus *folio 11.* Nam Epidemius à Græcis dicitur à dictione, ἐπὶ, quę significat. *super*, & δῆμον, quod significat populum: quasi dicat super populum Vnde Latini morbos vulgares, ac populares vertunt. Hoc accepit à Philippo Ingrassia *lib. 1. de cont. pest. c. 1. & 18.* vbi asserit ἐπὶ, in compositione significare suprà: ergo (subdit Philippus) morbi Epidemij erunt ab aere, qui supra populum est. Sed tunc erit fallacia à simpliciter ad secundum quid, quando supra populum non modo sit aer, sed & multa alia ab aere diuersa. Ad hæc tunc ἐπιληψία, ἐπαγμάστικα, ἐπιπλῶις, ἐπιζάστελον, ἐπιγλωττίς, ἐπιδέρμις, ἐπίχρασις, ἐπιχειρόστηκα, ἐπιπλοκήλη, ἐπιφαινόμενα, & alia diuersorum generũ, quæ, & ipsa, ἐπὶ, in compositione recipiunt, erunt à caussa, quæ vel aër sit, vel ab aëre; quod quam verum sit ipse iudicet. Adde quod Endimij non erunt ab Epidemiis diuersi, quando Endimios ipsi ἐπιχώρειος appellent. Verum à nominum diuersitate, vel similitudine, nulla sumitur apud Peripateticos rerũ differentia, vel identitas; neq; verum, vel falsum: sed contra potius ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Multo minus apud Galenum, qui præter ea quæ supra ex ipso retulimus; *libro* etiam *xi de simp. med. faculta. capit. 1* inquit: *Verum de nominibus, vt semper monemus, contendendum non est.* Et *quarto de locis affec. capit. 3. Quippe,* inquit, *tunc primum, homines res ipsas neglexerant, cum nimio studio nomina quærere cœperunt.* Et *libro 1. de diff. pul. capit 1. optarem,* inquit *res & percipi, & tradi, citra ipsarum nomina posse; Sed quod nominibus, quæ volumus, interpretamur, Sophistis hinc commentorum, & inutilis disputationis copiosa materia suppeditatur. Cæteri vero, quicunque rerum scientiam, non vsum vocum, moramur, inuiti quidem compellimur, propter Sophistarum contumelias, de nominibus laborare. Hæc Galenus.*

Rerum differentia vel identitas vnde sumatur.

Opinio propria CAP. III.

Morbi vel communes vel priuati.

Dicimus itaq; morbos, vel cõmuniter multos, vel sparsim vnum aut alterum defatigare. Priores, & communes, & passim grassantes vocat Galenus; posteriores

vero

vero priuatos. Priores item in triplici esse differentia negauimus, vt qui in duas tantum à Galeno diuidantur: Vel enim sunt vnius regionis proprij; qui illius loci incolas, ac si cognati essent, omni tempore comitantur; & hi Endemij dicuntur, de quibus Hippocrates locutus est, libro de aere, aquis, & locis: Vel per aliquod tempus vnam, vel plures regiones inuadunt, qui Epidemici nuncupantur, de quibus libris de morbis vulgaribus Hippocrates tractat: qui licet frequenter à communi aeris vitio fiant, quandoque tamen à communis cibi vel potus mala qualitate contingunt. Præterea hi omnes Epidemij bifariam diuiduntur: Vel enim multos inuadunt, & plurimos occidunt, & hi sunt pestis; Vel multos inuadunt, & plures non interfitiunt, & hi Epidemij simplices sunt, qui & benigni, & maligni esse possunt, non tamen vere pestilentes. Nec est, quod quia communes morbi quidam ab aëre, quidam à cibis proueniant, diuersi generis inter se constituantur. Non enim à quauis caussarum, ad rei generationem concurrentium, diuersitate, substantiæ essentialis differentia sumi debet. Actus enim est, qui separat, & distinguit; *ex Arist. 7. Metaph. 49.* actus inquam, siue quod quid est rei, siue forma, *ex 2. phys. 28. & 5. Metaph. 12. & 2. de anima.* Quod ibidem explicat Auerroes *comm. 2. 7. 8. & 9.* Accidentium vero differentiam à subiecto, cui insunt, desumendam esse, docet idem Auerroes *1. de demonst. comm. 31. & 8. Metaph. comm 6.* Verum apud Medicos amplior est caussarum tum latitudo, tum numerus. Efficientium autem morbos, aliæ abditæ sunt, aliæ manifestæ, ex Cornelio Celso *libr. 1. in procœmio.* Has vero diuidit Galenus *tertio in 6. Epid. comm. 20.* in ante incipientes, antegressas, & continentes. Veræ tamen & essentiales differentiæ morborum desumuntur apud Medicos à tribus. Primo, ab ipsius morbi natura: (Habent enim singuli proprias naturas, ex Hippocrate *libro de aëre aquis, & locis, cap. xj.*) Secundo, à subiecto in quo insident. Tertio, à modo ipsorum. Ideo Galenus loquens de essentialibus febrium differentijs *1. lib. de diff. feb. c. 1.* inquit: *Statim enim, cum primum atque præcipuum differentiarum genus ab ipsius rei diuersæ substantia sumatur, intueri licet. Apertissime enim*

Morbi communes in duplici tãtum differentia.

Eorũ caussæ

Morbi Epidemij duplices.

Essentialis differentia à forma: accidentium à subiecto sumenda.

Morborum differentiæ vnde desumantur.

Febris essentia in calore praeter naturam cōsistit.

in febribus ab ipsius rei substantia, simul atq; à dignotione in proprias differentias fecit sectionem: si quidem febris substantia in genere caloris, qui est praeter naturam, consistit. Caloris autem differentiae, & ex eo, quod magis & minus, & ex materia, in qua hic praeter naturam calor accenditur, & ex modo motus caloris eiusdem, accipiuntur. Ex his assero, morbos communes, qui endemij nō sunt, tum ab aëre, tum à cibis productos, licet à caussis diuersis, non diuersi tamen, sed eiusdem generis inter se fore: quoniam eādem habent formam, & differentiam constitutiuam; idem subiectum, eundem modū motus, & operationis. Forma & natura eorum ea est, quod communes sint, non tamen vnius populi perpetui, sed vnum, vel plures, ad aliquod tēpus peruadant. Hoc expressit Galenus *1. Epidem. in proœmio* per hæc verba: *Non hoc quidem libro Hippocrates Cous agere instituit de propriis cuiusq; regionis morbis, sicut sane aliàs nonnunquam: quod fere sermo ipsius omnis sit de morbis, qui Epidemici, id est, passim grassantes nominantur, qui ab Endemijs, id est regionalibus, sic differunt, quod hi quidem per aliquod tēpus, aliquam regionem peruadāt: hi vero incolas, ac si cognati essent, nullo non tempore comitentur.* Et mox subdit: *Hoc autem libro Epidemiorum ægritudines, quæ per aliquod tempus passim, vel ciuitates, vel nationes totas adoriantur.* Sed eandē naturam habent morbi, quos vocant Pandemios, à communi cibo producti. Monstrat hoc Galenus, qui eodem proœmio, postquam dixit, tres esse caussas, à quibus communes morbi auspicantur; vnam in ijs, quæ offeruntur: alteram in ijs, quæ fiūt: & tertiam in ijs, quæ extrinsecus incidunt, subdit: *Per vnamquamq; sanè communes morbi fieri consueuere, ac præsertim quidem per affectum aeris nos ambientis. Non enim frequēter accidit, vt per ingestos cibos, morbus communis ciuitatem, vel nationem, vel exercitum peruadat. Quod autem accidit non frequenter, nunquam euenire dici nō potest.* Secundo vtriusq; subiectum idem est, vnus, vel plures populi, siue nationes, siue exercitus, non perpetuo, sed ad tempus affecti. Explicat hoc Galenus *comm. 3. lib. 2. de natura humana*, cum dicit: *Quod communem caussam habeat, si quid multis morbis commune sit. Probe profecto ab eo dictum est, perinde ac cætera huius orationis. Vt tamen id non omnino rectè dictum sit, quod ortus communiū morborum in aërem*

Morbi Epidemij eiusdē generis, licet à diuersis caussis, ob

1. Eandem formam & naturam

2. Idem subiectum

Caussa mor

aërem solummodo sit referendus, quando ex fame in Aeno leguminibus vescentes crura imbecilla habuere: qui vero eruo, illis genua dolebant. Iam etiam nouimus, quod comesse semiputridum triticum famis necessitate compulsi quidam, communi morbo ex communi caussa correpti sunt. Sed & exercitus quandoque, dum prauis vteretur aquis, simili in omnibus militibus noxa vexatus est. Tertio eundem modum læsionis æque habent: vterque enim vnum, vel plures populos ad tempus fatigat simili nota, tam viros, quam fœminas; tam iuuenes, quàm senes, tam eos, qui in multis sunt, quã qui in paucis laboribus. Quod de cõmunibus ab aëre productis dicit author libri de natura humana, pariter & de cõmunibus à cibis progenitis dicit Galenus *in comm.* Nec est, quod putent diuersarum esse constitutionum, quoniã alter ex aëre, alter ex victu producatur. Præterquam quod enim morbi non diducuntur in suas caussas, ex Galeno *9. methodi c.14.* errasset quoque Galenus, qui in illas caussas hos morbos non diuisisset, sed oppositum omnino protulit, vt supra monstratum est.

borum communiũ, non in aerem tãtum referẽda.

3. Eundem læsionis modũ.

Morbi communes, ex aere, & victu, num diuersæ Constitutionis.

Tandem, si quicunq; communes morbi ab aëre fiant, necessario diuersi generis erunt à morbis, quos victus cõmunis produxit, & ab aëre geniti Epidemij, à cibis Pandemij simplices dicendi essent: tunc morbi endemij rursus in epidemios, & pandemios simplices erunt diuidẽdi. Quod non minus absurdum est, quam si diuidamus speciem subalternam in differentias oppositas, diuisiuas sui generis: vt diuidentes animal in irrationale & rationale, iterum diuidamus rationale in substantiam insensibilem & sensibilẽ. Euidens est ratio: diuidunt enim morbum pandemium in epidemium, endemium, & pandemium simplicem: & iterũ coguntur subdiuidere Endemium, in epidemium, & pandemium. Negare hoc nõ possunt. Nam endemici morbi, aliquando fiunt à vitio aëris eius loci proprio; nonunquã vitio aquarum: quandoque à propria loci natura. Quod non est, vt monstrem ex Hippocrate *libro de aëre, aquis, & locis,* cum id ipsi vltro admittant, vt fatetur Ingrassias *lib. 1. eodem c. 18.* & Marcellus *libro suo, folio 12.* cum inquit: *Vnde Latini morbos regionales appellant: hi enim, vel ob terræ, vel ob aëris, vel ob aquæ, vel situs rationem proueniunt.* Verum putare epidemium speciem endimij esse, omnem Galeni diuisio-

Morbi endemici vnde fiant.

Herculis Saxoniæ opinio, & eius confutatio.

diuisionem inuertit. Ex quo patet, non esse probandã sententiam Herculis Saxoniæ viri clarissimi, qui *secunda suæ editione de phœnigmis, libro 2. c. 1.* asserit; *Quod si febrem aliquam vnius regionis, aut vrbis incolas inuadere, ac maiori ex parte interficere contingat, hanc quoque non iniuria pestilẽtem endimiam dixerimus:* non esse probandam, inquam: esset enim vel Epidemius morbus, vel non pestis. Impossibile enim est, vna in regione pestem esse sempiternam: Tales autem sunt morbi endemij, *ex Galeno 1. Epidem. in proœmio.* Quæ autem ex Nili inundatione ferè quotannis Ægyptum pestes conficiunt, epidemij sunt, non endemij affectus: cum ad tempus grassentur, desiliant, & redeant, non perpetuo affligant. Dicit tamen Galenus, loquens de Epidemijs: *Ab Endimijs, idest, regionalibus sic differũt; quod hi quidem per aliquod tempus aliquam regionem peruadant: illi vero incolas, ac si cognati essent, nullo non tempore comitentur.* Pestes autem de genere sunt epidemiorum, *1. acuto. commen. 9. primo primi Epid. in proœmio, tertio tertij eiusdem 20.* Ad extremum, non est quod forte putent, communes morbos à cibis epidemios esse non posse, vt sunt vitio aëris producti: cum à cibis veræ pestes, prout ab aëre, fiant. Nam sequenti disputatione, veras pestes solius communis cibi pernicie produci posse, rationibus & Galeni authoritate demonstrabimus.

Pestes Ægypti annuæ affectus Epidemij non Endemij.

Epidemij & Endemij morbi quid differant.

DISPVTATIO II.

An à cibo & potu communi pernicioso, citra aeris alterationem, vera pestis fieri poßit. Opinio propria, & oppositarum opinionum euersio. CAP. IIII.

QVod autem post diras fames, nullo aëris vitio, solis cibis, & potibus perniciosis, obseruatæ non semel sint pestes, non modo veræ, sed vehementes, vnum vel plures populos peruadentes, plurimi historiarum scriptores testes sunt. Sub Tito enim & Vespasiano Hierosolymis, post crudelem famem, teterrimam pestem subsequutam, author est Ioseph. *lib. 7. de bello Iudaico, cap. 26. Egesippus*

Pestes ex solis cibis & potibus perniciosis.

de ex-

de excidio Hierusalem, & Eusebius lib. 3. de historia ecclesiastica, capit. 6. Cæsar *lib. suæ historiæ* post durissimam obsidionem, ex esu putridi hordei, validam pestem contigisse narrat, quod Romæ euenisse refert Cornelius Tacitus *lib. 16.* Ita sub Iuliano Apostata, Sozomenus *lib. 6. cap. 4.* vt sub Valentiniano dicit Eusebius *lib. 2. cap. 6.* At historiarum fides abneganda non est, ex Galeno *lib. de sub. emp. cap. 9.* cum inquit: *Historiam ego non vitupero. Cum enim vnius hominis vita ad omnium inuentionem sufficere nequeat, longi temporis obseruationem historia colligit, vt eius beneficio, tanquam ex multis tot seculorum hominibus, vnus efficiatur eruditissimus.* Quod confirmat *lib. eodem cap. 12.* Cæterum Medici, medicorum obseruationes afferamus, Nicolaus Florentinus *sum. 2. distinctio. 6. tracta. 2. cap. 2.* refert, homines carceribus clausos, fame compulsos, genus quoddã scarabeorum abominabile comedisse, ex quo peribant. Nec non & plures herbam quandam, quam Arabes *Keulam* appellant, quam Matthæus Siluaticus dicit esse tithymalli speciem, & subdit, id causę fuisse necis illorum repentinę. Auenzoar *lib. 3. theysir, tract. 3 c. 4.* inquit: *Similiter vidi in quadam ciuitate, quæ Mazzarus nominatur, homines, qui propter ingentem famem, quærebant, & frangebant ossa antiqua, & vetusta cadauerum, comedebant ipsorum medullas, & subito moriebantur.* Respondet Philippus Ingrassias, has non fuisse veras pestes, sed morbum pandemium venenosum. Donatus Antonius Altimarus *lib. suo de febre pestilenti c. 6.* dicit, non fuisse veras pestes, quoniam ab aere productæ non fuerunt? vocari tamen pestes. Nam veræ pesti fuêre similes. Neutra tamen responsio recta videtur. Primo valde diminutus erit Galenus in explicanda pestis ratione, si vera sunt quæ affirmãt. Inquit enim *tertio in 3. Epid. comm. 20. Neque certi est nomen morbi vulgare, vel pestilens. Cæterum quicunque vno in loco multos inuaserit, vulgaris hic vocatur, qui simul, si hoc habeat, vt multos perimat, pestis fit.* Sed totum hoc erit non modo mancum, sed falsum, si dabitur ex commu[...]pha- vitiato morbus multos inuadens, & pluri[...]asio, sed dens, qui non sit pestis, sed pesti similis, v[...]o inspiratus venenosus. Falsum non minus dicer[...]er est breuis oc- subdit *comm. 21. Et cum dicit, qu*[...]ri circũfusus. Si primum

Historiarũ fides abneganda non est.

Pestes ex victu vitioso non veræ pestes, opinio Ingrassiæ & Altimari.

Refutatio & eius ratio I.

Ratio 2.

pestilentes fuisse morbos, qui vulgarentur, demonstrat. Vbi vera pestilenti constitutione loquitur, vt *eodem tertio in comm. 71* Gal. affirmat. Secundo, si verum esset quod affirmant, darentur morbi, longè magis perniciosi, lethales, a pestilentes, quam vera pestis: qui tamen vera pestis non essent. Euidens est ratio: nam idcirco pestis ipsa cẽsetur perniciosus affectus, quia cum multos inuadat, illorum plurimos occidit. Sed est longè magis perniciosus, qui cũ multos inuadat, nõ plures illorum modo, sed omnes ad vnum interficit, vt longè magis est lethalis, qui simpliciter & omnino enecat, eo, qui magna ex parte; vt refert Galenus *6. aph. comm. 18.* Affectus, quem retulit Auenzoar, quem pandemicum, malignum, & pesti similem vocant, nõ pestem, quotquot inuasit, omnes omnino, & derepente necauit. Fuit ergo vera peste magis perniciosus. Putare tamen dari morbum, qui pernicie pestẽ superet, aduersatur communi hominum sententiæ, de veræ pestis pernicie horribili, ac omnium morborum teterrima: aduersatur & Galeno, qui *primo in 1. Epidem. in proœmio* inquit: *Itaque patet, ex vulgarium morborum esse genere eos, qui malignissimi sunt, & pestilentes appellantur.* Et paulo post: *pestem appellant omnes homines, sciuntq; exitialem morbum esse, & ad Deos sæpe referunt, de eius curatione consulentes.* Et post: *Horum perniciosissimi, quique pestilentes appellantur* Quod confirmat *1. acut. comm 9. & lib. de theriaca ad Pisonem c 16.* Tertio, cõtradicunt Galeno, qui *1. de differentiis febrium c. 4.* inquit: *In pestilenti aeris statu, inspiratio potissimum est caussa: fit enim & aliquando ob eos, qui sunt in corpore humores, ad putrescendum paratos, cum breuem aliquam occasionem ad febrium originem ab aere ambiente acceperit animal. Magna autem ex parte ex inspiratione incipit aeris circunstantis, à putrescibili euaporatione infecti.* Hæc Galenus: qui falso diceret, aërem esse caussam potissimum pestilentis constitutionis, si absolutè, & perpetuo solum aer est caussa, ita vt citra eius vitium vera pestis fiat nunquam, & humores, aere vt caussa non concurrente, non possent veram pestem, vel efficere, vel concipere. Quarto, Galenus *in hoc quarto c. libri primi de diff. feb.* per humores ad putrescendum paratos, vel accipit humores, vt dispositionem ad pestem concipiendam necessario requisitam: vel vt instrumentum aeris ad

Morbus pernicie pestem superãs dari nullus potest

Ratio 3.

Aer potissima, sed non sola vel perpetua pestilentis constitutionis caussa.

Ratio 4.

ris ad pestem conficiendam: vel vt causam absolutam, quæ aliquando citra aeris venenatum coinquinamẽtum, propria corruptione pestem producat. Si primo modo; perperam diceret Galenus, aliquando fit ob humores: nam non aliquando, sed semper & necessario requiritur patiẽtis dispositio, vt fiat febris. Subdit enim Galenus *c. eodem. Oportet enim semper hoc memoria tenere, quod nulla caussarũ sine patientis aptitudine agere potest* Si secundum; non debebat Galenus subdere, aerem esse caussam potissimum & magna ex parte: nam nec magna ex parte, neque potissimum, sed semper aër esset dicendus efficiens caussa, tam si immediate, quam si mediantibus humoribus, vt instrumento, pestem induceret. Si tertio modo aerẽ potissimum, & humores, aliquando pestem facere intelligat, vt caussas effectrices inter se distinctas, manifestum est, aerem veræ pestis caussam perpetuo non esse, sed cibos aliquando illam efficere, citra aeris concursum. Nec satis est firma Altimari euasio, cum dicit, humores neque putrescere sine aere, quia Galenus subdit, *cum breuem aliquam occasionem, ad febris originem ab ambiente acceperit animal.* Nam si Galenus per breuem aeris occasionem, aerem caussam efficiẽtem intelligit, cur subdit, aerem esse causam febris pestilentis magna ex parte? tunc enim nec magna ex parte, sed perpetuo; nec potissimum, sed omnino & semper ab aere fierent. Cur vocat breuem occasionem ab aere accipere animal ad febris originem? non enim esset dicenda breuis occasio, si eius febris esset efficiens. Vel cur esset in humorib. breuis occasio? an quia humores forte, valde satis praue dispositi, leui aeris impulsione in pestem incidant? Sed non est breuis occasio, si pestem etiam momento inducat ob patientis aptitudinem: cum effectus magnitudo, qualis est pestis, nõ referatur ad solam materiam valde dispositam. A materia enim nulla sumitur actio, sed ad efficientis actionem valde vehementem, etiam si breui tempore grandem effectum producat. Sic enim breuis occasio illuminationis diceretur actio Solis, quæ momento diaphanum valde dispositum illuminat. Ita nõ breuis occasio, sed magna vis dici debet eius aeris, qui momento inspiratus pestem inducit, & enecat. Rursus, vel his aer est breuis occasio, inspiratus, vel extrinsecus corpori circũfusus. Si primum

Breuis aeris occasio quid Galeno.

mum Galenus intelligit; implicat dicere, aerem inspiratū esse breuem occasionem, & dicere, in pestilenti aeris statu inspirationem potissimam esse caussam. Si secundum, tūc vel est quatenus morbida excretione, ac pestilenti cōspersus, per arterias in cutim desinentes trahitur vsque ad cor, vel quatenus breui tēpore ad cor permeat. Primum breuis occasio esse nō potest, cū deferat seminaria venenosa. Dicit enim Galenus *1. de semine, c. 16. Minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellat, vbi in animalis corpus ingressa fuerit, totum id momēto temporis immutat.* Talis immutatio non breuis occasio, sed efficiens caussa vehementissima dici debet, cum ad interitum vehementer immutet. Nec secundum: nam longè breuiori tempore penetrat per inspirationem, ex aspera arteria ad cor, vt dicit Galenus *1. de differentiis febrium, cap. 4.* & tamen aer pestilens inspiratus, breuis occasio non dicitur. Sed dices: cur ergo dixit, cum breuem aliquam occasionem ad putrescendum ab aere ambienti acceperit animal? Dico, quod humores sine aere non putrescunt. Concurrit enim aer ad illorum putredinem, quatenus putrefactio est corruptio propriæ ac natiuæ caliditatis, in vnoquoque humido, ab aliena caliditate, quæ est ambientis. Ambiens autem est aer. Habet autem aer vim ad excitandam putredinem, tum suo calore humido, tum suo frigore obstruente; in quem sensum Hippocrates *lib. de flatibus* dixit, aërem esse caussam febrium, quę à priuata mala diçta contingunt. Non tamen ex hoc valet, illam breuem occasionem aeris, esse pestis caussam: ex hoc enim non est venenatus aer, vt contagione sua corrumpat humores excellenti gradu putredinis, ita vt in venenum illos cōmutet, vt facit quando pestis est caussa; sed solum putredinem excitat in humoribus, qui non ex occasione, qua putrescunt, sed ex natura eorum (si putrescerent) apti sunt mutari in corruptionem veneno similem; vt de Sycomoris, si putrescant, dicit Galenus *2. de alim. facul. capit. 11.* Hoc declarat Galenus, dicens breuem occasionem: nomine enim *occasionis* intelligit Galenus paruas caussas, quę committere per seipsas morbos nequeāt, *vt patet primo in 3. Epid. com 15.* Quæ tam leuior est, quā nō modo occasio, sed leuis occasio nuncupetur. Adde quod Galenus cōparat aerem, &

Humores sine aere non putrescunt.

Putrefactio quid

Aer vt caussa putredinis & pestis.

rē, & humores in genere caussæ efficientis pestem: dicit enim, aerem potissimū & magna ex parte esse caussam: humores vero aliquādo. Ergo vt accipit aerem pro caussa efficiente absolute, sic & humores. Comparatio enim fit in specie, & non in genere, in quo latent æquiuocationes, *ex Arist. 7 physi. 29. & 31.* Quinto, si examinemus verba Galeni *lib. de cibis boni, & mali succi, c. 1.* pestem verā à solis cibis vitiatis inueniemus effectā. Refert enim, quod in crudeli fame, quæ sæuijt in multas nationes Imperio Romano subditas, populos fuisse coactos, vt vescerentur cibis praui succi, quos ante nunquā ne periculi faciendi gratia degustauerant. Ex quo subdit: *Videre erat quosdā desinente vere, plerosq; omnes ineunte æstate vlceribus in cute quamplurimis correptos, quorum non vnica esset in omnibus facies; si quidē erysipelas alia, phlegmonem alia referebant: & alia herpetē, & impetigines alia.* Et paulo post: *Aliis vero quibusdam carbunculi, & phagedænæ specie quum apparuissent, cum febri, plurimos interfecere, paucissimis ægre, post multum temporis, seruatis. At sine cutaneis affectibus febres plurimæ viguêre, quas tum alui recrementa sequebantur, male olentia & mordacia, intestinorumq; difficultates, & tenesmus: tum acres vrinas & graue olentes, quæ quorundam vesicas exulcerarunt. Iam non nulli diiudicati sunt sudoribus male olentibus, abscessibusq; putredinosis. Quibus nihil horū accidit interiere omnes.* Hæc Galenus. Respōdet Altimarus, hos morbos fuisse sporadicos, non vulgares, neq; pestē. Probat ex Galeno, qui *eodem c.* subdit: *Atqui nihil sanè mirum videri debet, si quidem contrariis inter se, tum morbis, tum symptomatis, correpti fuere, qui tunc ægrotarent; vt qui non solum natura inuicem, aut ætate, sed etiam anteactæ vitæ ratione differrent, alimentisq; vsi essent in fame, pugnantibus inter se qualitatibus prædictis.* Cæterum hæc opinio recta non videtur: sporades enim non fuerunt, sed vulgares, & pleriq; vere pestilentes. Quamuis enim in illa tempestate, omnibus populis vnum morbi genus commune non fuerit, sed morbi tum plures, tum diuersi, tum ad se inuicem contrarij: tamen quicunque viguerunt, non fuêre singulares, seu priuati, singuli singulorum hominū proprij: sed singuli plurium communes & vulgares, singuli à cōmuni victus genere plurib. progeniti. Hoc clare docet Galenus *eodē c.* cū dicit:

Ratio 5.

Historia Galeni de peste à solis cibis vitiosis.

Opinio Altimari & eius confutatio.

Morbi post famē à Galeno relatā seculi, non fuerunt sporades, sed communes.

dicit: *Quidam desinente vere, omnes ineunte æstate:* Et mox; *Aliis vero quibusdam carbunculi, & phagedænæ, quæ plurimos interfecêre, paucissimis seruatis:* Et mox: *Et sine cutaneis affectibus febres plurimæ viguerunt:* Et paulo post: *Iam nonnulli iudicati sudoribus malè olentibus, & abscessibus putredinosis quibus nihil horum accidit interiere omnes.* Hæc Galenus. Præterea cibi insolentes, licet fuerint diuersorũ generum, tamen nullum illorum priuatum fuit, sed vnumquodque commune pluribus. Subdit enim Galenus: *In diuersa porrò rerum copia, alij cibos adhibuere succi acidi, & alij acerbis vsi sunt, &c. Ipse quosdam noui ex fungorum esu perijsse statim: quosdam ex cicuta, aut ferulæ: nec sane paucos ex his vix seruatos.* Hęc Galenus. Ergo quæcunque eo tempore viguerunt ægritudines, communes fuerunt. Fuerunt autem in vniuersum trium generum: Primi generis, fuêre plures homines varijs vlceribus in cute correpti: Secundi, plures alij, quibus carbunculi cũ febre apparuerunt, quorum plurimi mortui sunt: Tertij, multi correpti febre sine cutaneis affectibus, quorum nõnulli iudicati sunt cum sudoribus, & abscessibus, alij vero, quibus nihil tale euenit, mortui omnes sunt. Horum quamuis primi non peste, sed morbis vulgaribus mitibus correpti viderentur, secundi tamen & tertij vera peste sunt profligati: laborarunt enim febre communi secundi, cum efflorescentijs malignis: postremi cum pessimis excretis. Vtriusq; generis plurimi interẽpti sunt, paucis omnino seruatis. Talis est pestis verus characterismus *3. in 3. epid. 20. 1. acuto 9.* Nec est necesse, vt in vna constitutione pestilenti morbi omnes, qui vulgantur, eiusdem sint formæ: possunt enim esse non modo diuersi, sed cõtrarij, pro corporum dispositione diuersa, pro partium affectarum vario robore, vel infirmitate. Vbi enim omnes vulgares fuerint, & magna ex parte lethales, omnes verè pestilentes sunt, vt patet ex Hippocrate *3. in 3. Epidem. à tex 9. ad 19.* vbi recenset sacros ignes, febres ardentes, phrenitides, ora aphthis vitiata, pudenda tuberculis, lippitudines, carbunculos, comata, vigilias, hydropes, tabes. Erant ista tum diuersa, tum inter se pugnantia morborũ genera. Subdit tamen Hippocrates: *Ex qualibet morborum, quos recensuimus, specie, complures ægrotabant, & moriebantur.* Vbi Galenus; *Cum dicit & complures moriebantur,*

Trium fuerunt generum.

Morbi in pestilenti constitutione diuersi esse possunt & contrarij.

tur, pestilentes fuisse morbos, qui vulgarentur, demonstrat. Qui quando diuersi fuerunt, de singulis separatim infra acturum promittit. Hęc Gal. Cõfirmatur: nam in principio primi capitis libri de cibis boni & mali succi, vbi versio Iulij Alexandrini legit (declarat fames,) versio antiqua & melius inquit, (declarat pestis:) tum quia græcus codex legit λοιμὸς & non λιμὸς tum maximè: nam subdit Galenus: *Quæ per plurimas Romano Imperio subditas gentes sæuijt multis deinceps annis continue.* Sed breui tẽpore sæuiit fames, lõgo tempore pestis. Declarat hoc Galenus, cum subdit: *Quum enim ciues pro more suo (quo æstate quamprimum solent frumenti, quod satis sit in reliquum anni tempus, parare)* quicquid in agris tritici *fuerat, abstulissent, consumptis hyeme ijs, quæ facta reliqua fuerant, agrestes necessariò vere toto succi praui alimẽtis vescebantur, adhibitis ad cibi vsum, arborum fruticumq; germinibus, &c.* Subdit: *Itaq; videre erat, ex his quosdam desinente vere, plerosq; omnes ineunte æstate, vlceribus, &c.* Fames ergo fuit non multis annis, sed vnius anni, hyeme & vere: & in fine veris cœpêre morbi. Fuit bene multis annis continue pestis, quæ subditas Romano populo nationes afflixit. Galenus *5. metho. cap. 12.* inquit: *In grauis huius pestilentiæ initio, quæ vtinam aliquando cesset.* Tertio *de præsag. ex pul. c. 4.* dicit: *At in pestilentia, qualis nostra memoria fuit, & viget etiam nunc.* Quę adhuc durabat, quo tempore scripsit libros de simp. med. facul. vt patet *9. eiusdem c. de terra samia, & 3. in 3. Epidem. 53. Et pestis,* inquit, *illa longißima, quæ nostra ætate vulgata est.* Sexto Galenus *lib. de alimento. Hippoc. c. 3. fol. 16. litera F.* dicit: *Alias morborum differentias nunc enumerat, quæ ab alimẽto, ab aëre nos ambiente, & ab aliis multis rebus desumuntur.* Et paulo post: *Eiusmodi autem eduliis vesci multi fame coacti, aut mortui sunt oppreßi morbis, qui à corruptela oriri solent, & quos pestis affert, &c.* Hæc Galenus. Septimo ex praua humorum corruptione fit venenum in corpore, *ex Galeno 6. de locis affectis c. 5.* vt nos infra mõstrabimus. Ex qua fit febris de genere sporadicarum, quam Galenus appellat pestilentem sine peste, *3. de præsag. ex puls. c. 4.* At si quæramus, cur est pestilens sine peste? Hippocrates respondet *1. acut. 9. Cum enim nullus cõmunis pestiferi morbi modus passim grassatus fuerit; sed morbi sporades, id est, sparsim priuatim*

Pestis tempore Galeni

Ratio 6.

Ratio 7.

timque prehendentes. Gal.*3.in 3.Epid.comm.57.* dicit: *Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocant, cum mortales vel citra pestem corripiat.* Ergo si contingat vni populo communis humorum corruptela à communi cibo vitiato, quæ magna ex parte interficiat, necessario erit febris pestilens cum vera peste. Inquit enim Galenus *commen.9.1. acutor. Ostendit hac oratione Hippocrates, morbos multos vno fieri tempore, quos, si perniciosi fuerint, pestem appellant.* Octauo, quando aër immutatur malo quodam modo, vt homines interficiat, pestis est, *ex Galeno libro de theriac. ad Pisonem cap.16.* Ergo si vnius populi, vel exercitus, ob communem venefici victus rationem, humores in omnibus malo quodam modo immutentur, & corrumpantur, vt omnes, vel maiorem partem interficiant, pestis erit. Nono, caussa immediata & continens pestis non est aër, quouis malo modo corruptus, seu venenatus: illa enim est ratio formalis, qua posita res ponitur, & remota remouetur, vt de caussa continente dicit Galenus *libr. contra Iulianum in fine.* Sed posita aëris venenata dispositione (licet pestis magna ex parte contingat, cum homines non possint non respirare) necessario pestis non ponitur. Quid enim si plures illius populi malis humoribus vacui sint, nec ad putredinem concipiendam dispositi? cum sine patientis aptitudine actio non fiat: & corpora prauis humoribus vacua, vel omnino nihil, vel saltem leuiter lædantur, *ex Galeno primo de differ. feb. cap. 4.* pestis vtique non erit. Nam minor pars populi ægrotabit, major erit incolumis. Sed posita corruptione substantiæ cordis, communiter vnius populi, à communi causa corrumpente septica, seu venenosa, ponitur necessario communis morbus lethalis ac perniciosus, & ea remota remouetur. Manifestum est igitur, quod siue à prauo ac venenato aëre, siue à prauis ac malo modo corruptis cibis substantia corbis corrumpatur, in maiori parte eiusdem populi, vel exercitus, pestis erit. Vt ergo ab aëre, sic à cibo vera pestis potest constitui. Ideo Auerroes *4.colliget.cap.14. Et similiter,* inquit, *fiunt ægritudines pestilentiales à corruptione aquæ & ciborum, sicut accidit tempore famis. Item ægritudines pestilentiales, quæ fiunt à corruptione aëris.* Aëtius, nulla

Ratio 8.

Ratio 9.

Aer non est caussa immediata pestis.

Actio non fit sine patientis aptitudine.

Pestis & ab aere & à victu prauo & corrupto fieri potest.

Medici idē statuentes.

nulla facta distinctione pandemici ab epidemico, omnes morbos vulgares seu passim grassantes, & pestilentes, tum ab aëre, tum a communi cibo & potu vitioso fieri explicat *lib. 1. tetrabib. 2. c. 94.* Oribasius *lib. 1. c. 26.* Paulus *lib. 2. cap. 35.* Rasis *lib 2. cap. 25.* Hieronymus Fracastorius *lib. 2. de contagio, cap. 8.* Mercurialis *in suis lectionibus de peste, capit. 2.* Fallopius, Montanus, Trincauellius, Augenius, Ioubertus, & plerique medicorum grauissimi idem plane affirmant, quos sigillatim enumerare puto superfluum.

Oppositæ rationes diluuntur. CAP. V.

CÆterum si quæ hactenus diximus, vera sunt, cur Galenus inquit, *primo primi Epidem. in prooemio: Horum perniciosissimi, quique pestilentes vocantur, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus, ex cæli statu proficiscuntur,* Adhæc cur Hippocrates *libr. de flatibus* dicit: *Sunt autem febrium genera duo, quorum alterum commune omnibus, pestis appellatur: alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea vtuntur. Vtriusque autem generis aër author & causa existit:* Præterea cur Auicennas *prima fen. quarti tracta. 1.* loquens de febre pestilenti, meminit de solo aëre, non autem de cibis? Tandem cur author libri secundi de natura humana *tex. 3.* dicit: *Quum multi homines vno corripiuntur morbo tempore eodem, id in causa esse arbitrandum, quod communissimum sit, quoque omnes maxime vtimur.* Id vero est, quo respiramus. Et *tex. 4.* subdit: *Quum vero idem morbus populariter inuaserit, tunc obscurum non est, victum haud esse in causa, sed id quod spirando trahimus.* Hæc ille. Verum hæc facillimè diluuntur, si dicamus, consueuisse grauissimos Medicos nominare simpliciter & absolutè id, quod non omnino semper, sed magna ex parte contingit: contra vero, putare id, quod rarius contingit, oppositam vniuersalem sententiam ab eis prolatam, neque destruere, neque disturbare. Id docet Galenus *6. aphor. comm. 58.* cum dicit: *Commune si quidem est huic aphorismo cum aliis ab Hippocrate dictis, vt perpetuum quiddam ex figura dictionis ostendatur: quamuis res ipsæ non semper eodem modo eueniant, sed, licet raro, interdum etiam aliter accidant.* Quod

Rationes contrariæ.
1.
Febriũ duo genera.
2.
3.
Solutio.

confirmat *2. de diff. resp. c. 6.* cum dicit: *Non enim differat id, quod raro incidit in vllo aliquo eorum quæ sic dicuntur, sententiam in vniuersum prolatam.* Ergo quia ab aere pestes fiunt, & frequentiores, & vniuersaliores, a cibis verò rariores, hinc est quod Hippocrates, Galenus, & Auicennas absolutè ab aere illas fieri dicant. Re vera tamen hoc nō tollit, quòd quandoq; à cibis vera pestis fiat. Hoc docet Galenus *in procemio primi Epid.* cum dicit: *Non enim frequenter accidit, vt per ingestos cibos communis morbus ciuitatem, vel nationem, vel exercitum peruadat.* Ad extremum author libri de natura humana *in illo commen. tertio* reprehenditur à Galeno, nec sine ratione, quidquid dicat Ingrassias. Nam illum non arguit, quod aerem dicat caussam esse communissimam, vt credidit Philippus: sed quòd solum aerē caussam putauit: quòd cibos, sporadicos solum morbos facere dixerit. Quæ dicta sunt falsa, vt Galenus ibi demonstrat: quando à communi cibo vel potu, populus, vel exercitus, communi noxa vexatus sit. Falsum non minus est, cum dicit, in communibus cibis vitium esse nō posse; cum oppositum mōstret Galenus *lib. de cibis boni, & mali succi*, & doceat experimentum. Et tandem quòd putet, epidemicos à solo aere fieri; cuius oppositum supra ex Hippoc. Gal. & ratione monstratum abunde fuit.

Pestes cur absolute ab aere fieri dicantur, cum & à cibis fiant.

Author libri de natura humana, reprehenditur à Galeno, & Cur.

DISPVTATIO III.

Abditas Stellarum vires à lumine, & motu diuersas Galenum admittere. CAP. VI.

MArcellus *libro eodē fol 17.* inquit: *Dimitto Stellas malignas, & humano generi perniciosas, aliasque cæcas influentias: cum plusquam humanus ille Mirandulanus à cœlo malum effluere non posse contra hos Astrologos, & suas portētosas nugas multa scripserit. Et si Galenus 3 de diebus decretoriis c. 6. stellas maleficas esse, & morborum productrices, quod ipse obseruauit, testetur; hoc dicit non ex sua sententia, sed, vt ipse ait, esse inuentum ab Astrologis Ægyptiis.* Hic tria sunt explicanda: Primum (vt ab hoc postremo exordiamur,) an Galenus putauerit, stellas esse morborū productrices: an id dixerit de sententia Ægyptiorū, & non propria. Secundo, an à cœlo & stellis, simplicissimis corporibus, malum

aliquod

aliquod in mundum hũc sublunarem possit effluere. Tertio tandem, an stellæ solo lumine & motu hæc sublunaria gubernent, & tota astrologia iudiciaria damnari debeat, vt Picus Mirandulanus cõtendit. De primo Marcellus sibi videtur non cõstare. Primum enim stellas maleficas, quas nunc damnat, videtur admittere *fol. 11.* vbi inquit: *Quæ aëris alteratio, & à cœlestibus & ab inferioribus oritur.* Et paulò post: *Hi enim morbi, non solum ab aëre oriuntur, vel ab aliquo, siue occulto siue manifesto vitio cœlitus proueniente.* Ergo siue solo lumine, & motu, siue quauis abdita virtute, vitium aliquod manifestum, vel occultum, sublunaribus immittant, maleficæ sunt. Secundo, hic seipsum suis verbis euertit. Quomodo enim dicit, inuentum ab Ægyptijs esse, & non de mente Galeni, quicquid affert de stellis *3. de diebus decretoriis c. 6.* si fatetur Marcellus, illud idem Galenũ cognouisse propria obseruatione. Tertio, Galeni verba plane Marcellum conuincũt, quæ hæc sunt: *Porro illud denuo repetendum est, quod nos quoque obseruantes, verissimum semper esse comperimus, ab Ægyptiis astronomis inuentum.* An quia dicit esse inuentum ab Ægyptijs, dicit esse verum de mente aliorum? & ita de mente aliorum vt Galenus verũ non putet? Sed si de propria mente id non affirmat, cur dicit esse verissimum? an quod dicit verum, esse verum non putat? & quod testatur se obseruasse, falsum iudicat? Ergo adducit falsum pro vero, non caussam pro caussa, nos non docet, sed decipit; & ex professo ac data opera mẽtitur Galenus, si Marcellus verum dicit. Nec est quod Picus Mirãdulanus *lib. 3. contra Astrologos c. 16.* dicat, Galenum *lib. 6. de simpl. med. facul.* Ægyptios vocare deliros. Ibi enim non de Astrologis, sed de herbarijs & incãtatoribus Ægyptijs loquitur. Eius verba hoc ostẽdunt, quæ *c. 1.* hæc sunt: *Verum is ad fabulas versus aniles est, simulq; præstigiaturas quasdã deliras Ægyptias, iunctis nonnullis incantationibus, quas, cũ herbas colligunt, admurmurant.* Quarto, si Galenus falsum credit, quod ab Ægyptijs astronomis dicit inuentum, cur eodem tertio loquens de falcatis apparitionibus Lunæ, inquit? *Quare nec Aratus male ipsas neglexit, tanquam imbecillas existentes: conuenitq; eos laudare, qui de eis scripserint, tanquam ne vel minimum quidem omittentes.* Sed cur laudat scriptores rerum quas veras non iudicat? cur dicit, mẽ-

Stellæ sunt morborum productrices & maleficæ.

Galeni sententia.

ſis tempus non conſtare triginta diebus? & id confirmat, authoritate Hypparchi *3. eodem c. 4.* ſi illorum inuenta vera non putat? cur tandem gloriatur Galenus, ſe hoc *lib. 3.* inueniſſe cauſſas dierum criticorum, cum iis Ægyptiorũ principijs innitatur, quorũ inuenta vera non iudicet? Qui *3. prognoſt comm. 4.* inquit, loquens de diebus criticis: *Sed, quæ nam ſit cauſſa horum, ipſi tentauimus docere libro de diebus decretoriis tertio, cum tamẽ nemo antea vel dicere agreſſus ſit.* Quinto, cur *3 de dieb. dec. c. 10.* dicit, hanc dierum decretoriorum diſputationem difficilem & ſubtilẽ eſſe? quæ ſubtilitas diſputationis, ſi procederet ex inuẽtis Ægyptiorum, quæ vera non exiſtimaret, nonne & amicos decepiſſet Galenus, in quorum gratiam illa ſcripſit, ſi ex inuẽtione Ægyptiorum ſpeculationem venatus eſſet, quorũ obſeruationes non putauit veras? An probare aliquid authoritate illorum, qui eius rei, vel inuentores vel periti habẽtur, eſt loqui de mẽte aliorum & non vera? Sexto, Galenus nec poterat ſine ignominia adducere ſententiã Ægyptiorum, quam putabat non veram, cur eo loco vel alibi illorum, quos putabat, errores non detexit? non confutauit? oppoſitum, quod putabat verum, non docuit? cur paſſus eſt ſua authoritate irretiri homines dogmate Ægyptiorũ non vero, Medicus, Philoſophus, Indagator veritatis? Septimo, an Ægyptijs in re aſtronomica danda ſit fides? ſi conſulamus Ariſtotelem, ſummus Peripateticus ſic reſpõdet *2. cæli 60. Quod dudum ea obſeruauerunt à plurimis annis Ægyptij & Babylonij, à quibus multam fidẽ habemus de vno quoque aſtrorum* Quod confirmat *1. meteo. c. 3* loquens de cometis: & vniuerſalius loquens. *6. ethic. cap. 11.* inquit: *Quare peritorum hominum, & ſeniorum, ſeu prudentum pronunciationibus, & opinionibus, abſque demonſtratione, non minus quam demonſtrationibus attendendum eſt: Quia namque ex ipſa experientia viſum habent, principia intuentur.* Rurſus ſi conſulamus Galenum, *cap. 6. eiuſdem 3. libri* ita reſpondet: *Rurſus igitur eas in ſummam colligamus: Lunæ tetragonæ, & diametræ ſtationes, in principiis bonis bonas faciunt alterationes: in malis malas. Atque hoc, præterquam quod Aſtronomis eſt in confeſſo, integrum eſt etiam tibi obſeruare. Sin autem huiuſmodi, nec obſeruare volueris, nec ijs, qui obſeruauerunt, fidem adhibere, indubie ſophiſtarum vbique*

Quid Ariſtoteles de Ægyptiis & Babyloniis.

nunc

nunc obstrepentium aliquis es, qui ratione manifesto apparẽtia nos approbare postulant. Hæc Galenus.

DISPVTATIO IIII.

An Stellæ morbos, & eorum, quæ genita sunt, interitus inducant, in hoc mundo sublunari. Opinio aliorum. CAP. VII.

SEcundum Marcelli dictum succedit examinandum. Inquit enim, *à cælo malum influere non posse.* Confirmo ego hoc Marcelli dictum ex Platone, qui *in Epimonide* inquit: *Hæc cælestia existimamus animalia esse, diuinum astrorum genus, corpore quidem pulcherrimo, anima vero, tum beatißima, tum optima constitutum. His itaque animalibus ex duabus sortibus alteram tribuendam putamus. Nam aut absque pernicie, immortalia atque diuina necessario singula sunt; aut vitam longæuam agunt, singulis adeo sufficientem, vt longiore non indigeant.* Et paulo post: *Hanc astrorum naturam esse visu quidem pulcherrimam, progressu, & chorea optima vtentem, omniumque chorearum decentissima, & magnificentissima, quæ cunctis animalibus commoda præbet.* Hæc Plato. Chalcidius interpres, inquit: *Aut omnes Stellæ diuinæ sunt, & bonæ, nec quidquam faciunt mali: aut quædam maleficæ. Sed maleficas esse, in illo sancto & pleno bonitatis loco, quatenus conuenit?* Aristot. *9. meta. text. 19.* inquit: *Non igitur in rebus, quæ sunt ex principio, & quæ sunt æternæ, non est aliquid malum omnino, neque error, neque corruptio; corruptio enim est ex rebus malis.* Picus Mirandulanus *lib. tertio contra Astrologos. cap. 21.* Cœlum, *inquit*, per se conseruat res sublunares, ac in vniuerso proportione respondet cordi, quod homini principium vitæ elargitur. Ergo cœlum corruptionis & mali sublunaribus causa esse non potest. Nihil enim destruit id, quod suapte natura conseruat.

Platonis de corporibus cælestibus opinio.

Chalcidij.

Aristotelis.

Pici Mirandulani.

Opinionis confutatio. CAP. VIII.

SEd Marcellus, influxus, & malum, quod à stellis non posse profluere proclamat cõtra Astrologos hoc loco, forte non recordatus, admittit *eod. lib. fol. 55.* cum dicit: *Est*

sciendum quod pestilentialium febrium tripartita sunt genera; Quædam pestilentes febres dicuntur, quando pestilentiæ caussa, vt volunt Astrologi, cœlestis quædam est configuratio, quæ vim suam inferens influensq; talem producit effectum. Præterea id mõstrari potest. Primo, si à stellis & cœlo malum non profluit sublunaribus, cur dicit Aristo. 2. *de gene.* 56. *Quocirca si in adueniendo, & in propè esse generat, & in recedendo, & longe fieri, id ipsum corrumpit. Contrariorum enim contrariæ causæ,* Et *tex.* 58. *Apparent autem & secũdum sensum cõfessa his, quæ à nobis dicta sunt. Videmus enim, quod adueniente quidem Sole generatio est, recedente autem corruptio.* Vel ergo nõ erit malum corruptio: quare nec morbus & pestis, quę ideo perniciosa est, quia multos interimit; Vel à stellis, & cœlo, nõ minus corruptio & malum proueniet, quam bonum & generatio. Secundo, Galenus 3. *de diebus decretoriis c.* 6. inquit, Lunam non modo ægris, sed etiam sanis, dies, quales tandem futuri sint, posse pręnunciare. Si etenim ad Planetas temperatos steterit, faustos ac bonos dies producere. Si ad intẽperatos, graues molestosque. Fingamus enim homine quodam nascẽte, salutares Planetas in Ariete, malignos in Tauro esse: is homo, nimirum cum Luna in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchrè deget. Cum vero Taurum ipsum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat, male tunc & moleste vitam trãsiget. Atque iam morborum initia, huic, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerit, pessima: sine periculo autem, & salutaria sunt, cum Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum, Luna permeat. Adhæc alterationes magnas, quas in tetragonis, & diametris per septimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis, lethales & ipsas, in salubribus bonas euenire necesse est. Tertio, Auicennas *in sua Cantica, trac.* 1. *parte* 1. *tex.* 104. inquit: *Si etiam stellæ, quæ dicuntur infortunatæ, fuerint in exaltatione sua, significabunt super corruptionem animatorum. Si vero quæ fortunatæ dicuntur, fuerint ibidem, significabũt salutem eorundem omnimodam.* Et *lib.* 4. *fen prima trac.* 4. *c.* 1. exponens naturam & caussas febris pestilentis, loquens verbis necessariis, grauiter & accurate in re tanti momenti inquit: *Et principium omnium harum alterationum sunt formæ, ex formis cœli faciẽtes esse necessarium illud, cuius ad-*

uentus

2. Rationes, quibus influxus stellarum probatur.

1. Ex Aristotele.

2. Ex Galeno.

3. Ex Auicena

mentus ignoratur. Licet sint quidam, qui dixerunt in eo aliquid, non proportionatum ad caussam eius. Immo opportet, vt scias, quod caussa prima lōginqua ad illud sint figuræ cælestes, & propinquæ, dispositiones terrestres. Et quandoq; faciunt necessario virtutes agentes cælestes, & virtutes patientes terrestres, humectationem vehementem aëri, eleuantur vapores, & fumi ad ipsum, & sparguntur in ipso, & putrefaciunt eum cum caliditate debili. Et quādo fit aer secundum hunc modū, venit ad cor. Quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, & putrefit quod circundat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa à natura, & spargitur in corpore caussa fluxibilitatis suæ, & fit febris pestilentialis. Et *li.1 fen 3. tract. 5. c.1.* inquit: *Multoties quoq; est principium corruptionis aëris, ab ipso aëre, propter illud, quod ei aduenit ex corruptione vicinantium aërum; aut propter rem cœlestem, cuius qualitas non est hominibus cognita. In huiusmodi ergo ad domos subterraneas est fugiendum.* Hæc Auicennas. Quarto Hippocrates *libro de aëre, aquis, & locis cap.6* inquit: *Periculosissima sunt ambo solstitia, maxime vero æstiuum. Periculosum etiam æquinoctium vtrumq;, magis vero autumnale. Oportet autē & astrorum exortus considerare, præcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum. Morbi enim in his maxime diebus iudicantur: alij perimunt, alij desinunt: reliqui vero omnes in aliam speciem aliumq; statum transmutantur.* Hæc Hippocrates. Sed si à cœlo malum nō potest effluere, cur periculosa solstitia? periculosa æquinoctia? Et si à cœlo cūcta bona mortalibus & salutaria proueniunt, quid ex eis periculi potest timeri? Cur stellarum exortus & occasus Medici obseruant? si omnis eorum actio salutaris, & laudabilis? Et si talis; cur dicit, in solstitijs, æquinoctijs, & astrorum ortu & occasu, morborum alios interficere, alios in alios permutari? Quinto, cur inquit Hippocrates *libr. de carnibus? De rebus sublimibus, in aëre & cælo, neque opus habeo dicere, nisi quod, quantum ad hominem, & reliqua animalia, quæ sunt & nata sunt, pertinet, demonstrabo, & quòd anima sunt, & quòd sanitas, & quòd morbus, & quòd in homine malum & bonum, & vnde moritur.* Sexto, Aëtius *libr. 1. sermone 3. capit. 164. Quandoquidem* inquit *etiam stellæ in cælo oriuntur, iuxta tempora à Deo ipsis ordinata, & similiter occidentes, aëra mutant, vt cōtingat ex hoc*

4. Ex Hippocrate.

5. Ex ro dr

6. Ex Aëtio

hoc etiam ventos alios aliter spirare, necessarium duxi hic tempora indicare, in quibus eorum, quæ palam aërem alterant, ortus & occasus fiunt. Nam sanorum corpora, & multo magis ægrorum, iuxta aëris statum alterantur: & mox Stellarum ortus, & occasum enumerat per singulos menses totius anni, & quas tempestates, serenitates, & temporum mutationes, vnaquæque stellarum inducat, toto illo capite enarrat. Septimo, tot viri celebres, qui de peste tractant, pestis caussas in astra referentes, vana & irrita docuissent. Marsilius Ficinus, in schola Platonis summus philosophus, *libro Epidemiæ, cap. 2.* sic inquit: *Concreatur huiusmodi vapor in aëre, vniuersalioris tempore pestis, ex malignis quibusdam constellationibus, præsertim ex Martis cum Saturno in signis humanis coniunctione, & ex luminarium eclipsibus.* Guidus de Gauliaco, *tract. 2. doct. 2. cap. 5.* ex maxima coniunctione Martis, Iouis, & Saturni, in signis humanis, euenisse refert ingentem pestem, quæ sola contagione ex obtutu, maiorem hominum partem absumpsit. Quod testatur Philippus Ingrassias *1. parte de pestilenti contagio, cap. 2.* Beda *lib. 3. de historia ecclesiastica, cap. 27.* & Paulus Diaconus *libr. 6. cap. 3.* testes sunt, anno 138. à mundi redemptione, & anno 664. post luminarium eclipses, pestes validissimas euenisse. Anno autem 703. ab eorum non modo eclipsi, sed obscuratione insolita, pestem adeo insolentem peragrasse vniuersam Italiam, vt ea Pontificem Maximum Agatonem substulerit, vt refert Platina in illius Pontificis vita, Tarcaniotus, & Blondus in suis historiis. Præterea anno 260. Sol per plures dies lumen amisit, quo tempore tam immanis & rabida pestis Romam inuasit, vt vno die ad quinque millia exstincti iacuerint, authore Petro Messia in vita Galieni Imperatoris. Sunt & rationes ad hoc argumentum validissimæ, quas luculenter adducit doctissimus Fernelius *lib. 2. de abditis rerum caussis, cap. 11.* & Horatius Augenius *parte 1. epist. med. lib. 4. epist. 1.* quas, ne videar actum agere, volens omitto.

7. Authoritate aliorum.

Opinio propria, & oppositarum Rationum solutio. CAP. IX.

DIcimus itaque, cœlestia corpora esse nobilissima, & perfe-

perfectissima omnium corporum naturalium, quæ Arist. æterna putauit, (licet eius sententia vera non sit) sine contrariis, sine malo. Quæ per se conseruant omnia corpora sublunaria, cum à primo ente communicatum sit esse & viuere omnibus, iis clarius, illis obscurius, vt fatetur Arist. *1. cœli 100. & 8. physi. 47.* Ideo, vt omnis numerus in vnitate; ita in cœlo omnes sublunarium perfectiones, perfectiori, simpliciori, ac eminentiori modo cõtinentur. Hinc dicit Arist. *1 meteor c. 1. Oportet mundum hunc inferiorem supernis lationibus esse contiguum, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur* Quare ad vniuersi perfectionem, oportuit cœlum esse etiam corruptionis sublunarium authorem, non quod, dum quæ genita sunt corrumpit, per se malum & corruptionem intendat; (id enim repugnaret suæ perfectioni, vt bene dicit Chalcidius) nec quod per se intendat destruere totum, vel partem mundi, quem per se conseruare intendit: Sed corrumpit per accidens, vt per se generet: per accidens destruit, vt per se cõseruet; & sic tam generationis actio, quam corruptionis, quæ à cœlo prouenit, est per se ordinata, bona, laudabilis, ad vniuersi conseruationem & perfectionem instituta. Cum enim sublunaria, tum elementa, tum mixta, ob summam materiæ, ex qua constant, imperfectionem & appetentiam, quam explere, atque perficere nulla sublunaris forma seorsim possit; nec non & ob contrarias qualitates, ex quibus constãt, perpetua esse non possint: ideo natura prouida, quod numero non potuit, specie æternum procurauit, cõsimilium generatione; vt *2 de anima, com. 34.* docet Auer. secundum mentem Arist. Quoniam autem non potest forma de nouo in materia recipi, & generatio fieri, nisi, quæ præfuit, expellatur, (generatio enim vnius, est alterius corruptio, vt *1. de gene.* docet Arist.) ideo corruptio est necessaria ad speciei propagationem, vt necessaria est præcedens formam priuatio, in materia ad compositi naturalis generationẽ. Corruptio itaq; & à cœlo fit: & quãuis, ratione eius indiuidui, quod corrũpitur mala fit, ratione tamen speciei, & perfectionis vniuersi, necessaria est. Sic & fœminę generatio, licet ratione naturæ particularis, quæ marẽ intẽdit potius, (cũ de possibilib. intẽdat quod melius) quodammodo monstrum dicatur; ratione tamen propagandæ speciei, & per-

Cœlum corruptionis sublunariũ autor, & Cur.

Forma de nouo in materia non recipitur, nisi prior expellatur.

Corruptio an & quatenus mala.

& perfectionis vniuersi, non minus est necessaria, & à natura vniuersali, ad vniuersi perfectionem, & speciei propagationem requisita, vt patet ex Arist. *4. de gene. animalium cap. 3.* Imo & ipsamet monstra, quæ ratione particularis agentis, error naturæ dicuntur ab Arist. *2 phys 82.* tamen extra naturæ vniuersalis intentionem nō sunt, vt ibidem inquit Simplicius, & ad vniuersi ornatum necessaria. Quod in specierum ordine, entium perfectionibus, diuersitatibus, contrarietate, & æquilibrio consistit. Nec ex quo raro fiunt, vniuersalis naturæ effugiunt prouidētiam, quod luminarium eclipses ostendunt. Hoc totum luculenter mō-strat Franciscus Venerius *2. parte libri de gen. & corruptio. c. 12. & seqq.* Ergo cum materia sublunaris perpetui ortus & interitus caussa efficiens esse nō possit, (coincideret enim efficiens & materia, quod repugnat Arist. *2. phys. 70.*) nec agentes particulares, cum sint natura corruptibiles, possent conseruare, quod esse debet perpetuum: propterea cœli latione opus fuit, tum primi mobilis, tum signiferi, vt eorū accessu & recessu, ope Solis & Stellarum, generationes & corruptiones perficerentur, & agētium particularium dirigerentur actiones. Ideo Arist. *2. de gener. 56* inquit: *Necesse enim, si erit semper continua generatio & corruptio, semper aliquid moueri, vt non deficiant ipsa transmutationes: continuitatis igitur, quæ est totius, latio causa est.* Hæc Arist. Inde est: quod natura non intēdit indiuidua propter se ipsa, sed propter species, & species propter vniuersi perfectionē. Ita nec per se intendit ignem: sic enim omnia elementa fecisset ignem: sed ad mixtorum necessitatem, & mundi æquilibrium, & complemētum. Ita & aquam igni contrariam, & aliorum contrariorum vnumquodq; propter quod intendit corruptiones, morbos, vitarum periodos, & eorum quæ generātur, interitus. Ideo Arist. *4. de gen. anim. c. 10.* loquens de Solis & Lunæ viribus, dicebat: *Quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. Calores enim & refrigerationes, cum moderatione quadam, generationes; sine moderatione corruptiones efficiunt. Terminum autem tum principij, tum finis qualitatum earum, motus horum syderum obtinet. Vt enim & mare, & omnē humorum naturam subsistere, mutarique proflatuum motu, & quiete videmus: aërē vero, & flatus pro Solis Lunæq; circuitu affici: Sic ea, quæ ex ijs, aut*

Monstra cōtra particularis, non vniuersalis naturæ intentionem sunt.

Cœli motus siue lationis necessitas & vtilitas.

Aristotelis de Solis & Lunæ viribus sentētia.

ijs, aut in ijs oriuntur, sequi necesse est. Nam, vt rerum minus principalium circuitus sequantur magis principalium rerum circuitum, ratio est. Vitam enim quandam, & ortum, & interitum, vel flatum esse fateor. Conuersiones vero eorum siderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret. Hæc Aristo. Ex his patet ad Platonẽ, Picum, & Chalcidium responsio. Arist. autem *9. Metaphy.* dixit, in rebus æternis non esse malum, neque corruptionem, illas in seipsis considerans; qui cœlum nec graue, nec leue, nec alterabile, nec generabile, nec corruptibile putauit, sed æternum.

DISPVTATIO V.

Romanam Ecclesiam non damnare omnem Astrologiam iudiciariam: aduersus Picum Mirandulanum. CAP. X.

ERat tertium Marcelli dictum: *Dimitto alias cæcas influentias, cum plusquam humanus ille Mirandulanus, à cælo malum effluere non posse, contra hos Astrologos, & suas portentosas nugas, multa scripserit.* Locus, ad quem peruentum est, monet, vt aliquanto digrediar, & in Marcelli atq; studiosorum gratiam expendã disputationem viri doctissimi Ioannis Pici Mirandulæ, qui suis duodecim libris omnem Astrologiam iudiciariam contendit funditus euertere: ac cœlos à lumine & latione nullas vires habere mordicus affirmat. Primum quid sit pro veritate sentiendũ adducam. Mox illud rationibus & authoritatibus confirmabo. Vltimo Pici tum impugnationes, tum euasiones euertam. Primum itaque Ptolemæus *lib. 1. de iudiciis principio*, professionem de stellis partitus est in theoricen seu demõstratiuam, & iudicialem. Theoria vniuersi figuram declarat, orbium numerum, sphærarum motus varios, loca Planetarum, ac siderum magnitudines, distantias, ortus, occasus, aspectus varios, eclipsium rationes, anni tempora, dierum, ac noctiũ inæqualitates, & huius generis reliqua. Hanc tractant Ptolemæus, tresdecim libris Almagesti, Thebit, Alphonsus, Proclus, Theodosius, Aliacensis, Mõteregius, Hyginius, Sacrobustus, & plerique alij. Iudicialẽ vero tractantes ex siderum configurationibus, & quas sibi fingunt,

I. Picus Mirandula hostis Astrologorum acerrimus.

♈ · 35 ·
♈ · 63 ·

Astronomia vera.

Astrologia iudiciaria.

fingunt, domibus, stationibus, fortunijs, infortunijs, depressionibus, exaltationibus, directionibus, retrogradationibus, prædicere, quæ futura sunt in terris, seu diuinare contendũt, de quibus egit Ptolomęus quatuor libris, quos Quatripartitum vocat, nec non Apotelesmaton, & prognosticon diuinandi. De priore demonstratiua nulla nobis controuersia est; quam Picus *lib. 1. contra Astrologos*, artem certam, & nobilissimam appellat, & longe melius Arist. *12. Metaph. 44* peculiarissimam philosophiam Mathematicarum scientiarum. De iudicijs itaque censeo turpiter errare tum Arabes, tum Chaldæos, tum Latinos scribentes.

Errores nõnulli Astrologorum.

1. Primo dum credunt, ex illius artis præceptis, quæ sibi fingunt, posse futura certo prædicere: cum hæc cognitio solius sit Dei, vt monstrat D. Augustinus *secundo super Genesim ad literam cap. 17. secundo de doctrina Christiana cap. 21. & quinto de ciuitate Dei*, & Eusebius *14. de præparatione Euangelica, cap. 4. & lib. 6. cap. 9.* Ideo Ptolomæus in suo centiloquio, soli, inquit, diuino numine afflati particularia prædicunt.

2. Secundo errant, quòd putent viri Genethliaci, ex figuratione cœli ab eis designata in natali hora prædicere, quæ spectant ad nati virtutes, vitia, honores, diuitias, mores, fortunam secundam, vel aduersam, amicos, propinquos, itinera, cædes, &c, vno verbo, ad proprias actiones, quæ à libera pendent voluntate. Hanc enim prædictionem, vt impiam, damnant concilia, vt Bracarense primum *cap. 9. & 10.* Toletanum primum in assertione fidei contra Priscillianistas: damnant leges, vt *2. parte decret. cap. 26. per primas quinque quæstiones:* damnant Patres, vt Leo Papa, *epist. 71.* damnat & ratio. Si enim illa diuinatio vera esset, tollerentur leges, inutiles essent preces, & consilia, iniustæ pœnæ vel præmia, omnia necessario euenirent: hominis arbitrium liberum non esset, nec in rebus contingentia: & ad extremum, omnia Fati necessitate traherentur ineuitabili. Quæ affirmare impium est, ac detestabile.

Stellis nulla vis agẽdi in animam hominis.

Nec stellæ, quæ corpora sunt, vim habent vllam in hominis animam, incorpoream, spiritualem, immortalem, atque diuinam. Vnde etiam Aristot. *3. Ethicorum cap. 8.* in nostra potestate dicit esse vitia & virtutes, quod confirmat *1. Rheto. capit. 10.*

3. Tertio errant, quod putent, humanarum actionum

num

num initia, ſub felicibus, vel infauſtis conſtellationibus inchoata, bonum, vel aduerſum exitum habitura. Quod perbelle Diuus Auguſtinus *lib. de doct. Chriſt.* monſtrat, ad perniciosſam ſuperſtitionem pertinere, & egregiè confutat Diuus Thomas *3. contra gentes cap. 82.* & Picus *libr. 3. contra Aſtrologos, cap. 1. & lib. 5. cap. 12. ad finem vſque.* Quarto, in effectibus merè naturalibus, circa vitam & mortem, ſanitatem & morbum, temperamentorum varietates, & huius generis alia, quòd ſingularibus hominibus hæc, vt futura ſunt, à ſtellis credant diuinare, magna ex parte falluntur Genethliaci; & quòd nec horam ſciunt, à qua auſpicari nati vitam, & cœlorum configurationes debeant; & quam credunt, non eſt; quæ eſt, nō poſſunt deprehendere: Eſt enim hora non partus, ſed conceptus, authore Ptolomæo *3. Apoteleſmatum*, & Haly *libro de electionibus.* & quòd natalis hora, ſi ea foret, cum indiuiſibilis nō ſit, ſed quandoque ad horę ęquinoctialis ſpacium protrahatur, quæ ſexaginta non minutis modo, ſed ſingulorum minutorum momentis partita eſt, momentum indiuiſibile, deprehendi non poſſit. Singulis enim minutis tota cælorum, ac ſiderum perpetuo decurrentium, in ſuas configurationes varias, ſucceſſiuè facies permutatur; vt manifeſtum eſt exemplo rotę, rapidiſſime decurrentis, in qua nec ſimul duo puncta poſſunt eodem loco deſignari, vt docet Phauorinus apud Gellium *li. 14. c. 1.* & quod, etiam ſi momentum deprehendant, ſtellas omnes, ad eundem effectū nati concurrentes, pari cauſſæ ratione, nō agnoſcunt: innumerabiles enim ſunt, vt dicit Galenus *3. prog. comm. 7.* Seneca *2 naturalium quæſt. c. 16.* Euſebius *7. de præparat. Euang. c. 5. in Timæo* Diuinus Plato, & Ariſt. *2. cæli 61. &, 16. de Ciuitate Dei, capite 23.* Diuus Auguſtinus: pauciores tamen hominibus cognitæ. Plinius *lib. 2. cap. 4.* dicit, ſigna cœleſtia eſſe 72. Hypparchus & Ptolomæus, ſtellas mille & viginti duas, aſpectu notabiles, quas diuiſerunt ad 48. imagines, & ſex magnitudinum differentias. Et tandem, ſi omnes ſtellas ſine errore deprehenderent, (vt ob rapidiſſimam cœlorum vertiginem, ſummam diſtantiam, medij impedimenta, inſtrumentorum defectus, vnius ſenſus noſtri hebetudinem vix eſſe poteſt, quin maxime non implicentur) ſolis ſtellis id omne tribuunt, quod omnibus

Hora non partus: ſed cōceptus obſeruanda.

Facies cœli ſingulis minutis immutatur.

Stellæ innumerabiles.

Stellæ notabiles quot.

alijs

Stellarũ effectus si quos habẽt, à caussis varijs immutantur.

alijs caussis commune est. Etenim materiæ dispositiones diuersæ, loca generationis varia, seminum differentiæ, agentium particularium vires, elemẽtorum commistiones non eædem, ciborum diuersitates, assuetudines, cõsilia, leges, libera hominis voluntas, atque prudentia, sæpe stellarum effectus variant, immutant, & nõ semel omnino propulsant. Ideo Auenzoar, *libro de natiuitatibus cap. 1.* inquit: *Quæ stellæ promittunt, non possunt euenire: primo, quia materia apta non sit influxus recipiendi: secundo, quia res humanæ à nostro arbitrio pendent: tertio, quia cœlo maior diuina prouidentia* Ptolemæus in cẽtiloquio inquit: *Potest is, qui sciẽs est, multos stellarum effectus euitare.* Arist. *libro de diuinatione per somnium* inquit: *Quod autẽ non eueniant multa somniorum, nihil inconueniens. Neq; enim eorum, quæ in corporibus sunt, signorum, & cælestium, velut quæ aquarum, & quæ ventorũ. Si enim alius vehementior isto acciderit motus, à quo futuro non sit signum, & multa consulta bene, quæ fieri expediebat, dissoluta sunt, propter alia præstantiora initia. Omnino enim non omne fit, quod futurum erat: neq; idem, quod erit, & quod futurum est.* Hæc Arist. Hinc manauit adagiũ, quod sapiens astris dominabitur, quod cõfirmat Porphyrius libro de oraculis. Nec defuerunt etiam Chaldæi, qui hanc diuinationem spreuêre, referente Strabone *lib. 15. de situ orbis,* & non semel diuinatores & Genethliaci fuerunt Roma expulsi ab Imperatoribus, Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constãtino, Theodosio, & Iustiniano, vt D. Ambrosius *lib. 4. in examerон c. quarto* docet abũde. Cæterum errores sunt hominum, non stellarum. Nec enim quia homines plus tribuãt stellis, quam oporteat; & ab eis plus requirant, quam dare possint, vel debeant, illis erit auferendum, quod habent. Sunt stellæ & cœlum corpora naturalia nobilissima, & sublunarium corporũ effectrices, & cõseruãtes caussæ & ad illorum omnium effectus naturales, vt caussæ remotæ mediatæ, vnà cum particularibus caussis concurrunt. Ideo vt lumine & latione calorem generant: sic propria facultate, à calore diuersa, per se frigus & humidum, & vnà cũ secundis caussis modo serenitates, modo tempestates inducunt, nunc salubritates, nunc ægritudines: sic penurias & vbertates, ventorum motus, maris fluxus & refluxus, tempestates, in animalibus humorum incrementa,

Genethliaci Roma expulsi.

Cœlum & stellæ corpora nobilissima.

Vires & effectus corũ in sublunaria.

crementa, ſiccitates, vitas & vitarum periodos, ac mortẽ, morborum criſes ad ſalutem & interitũ: & quæ per ſeptimanas fiunt, & quæ per ſeptem menſes, & quæ per ſeptem annos, mutationes. Quæ actiones quamuis à cauſſis particularibus impediri poſſint, nõ inde valet, ſtellarum proprietates non eſſe illarum remotas cauſſas. Nec verum eſt, ſolo lumine & motu illas agere, ſed abditas habere vires, circa ea, quæ ad Medicinam, Agrariam, & Nauigatoriam ſpectant, putandum eſt. Errores enim & abuſus hominum rerum naturas non immutant. Ariſt. poſuit mundi æternitatem, motus temporis, & materiæ: de animæ immortalitate perplexè, vt quibuſdam Peripateticis videtur, fuit loquutus, diuinam prouidentiam ſatis cõfuſam putauit: nec aliam viſus eſt poſuiſſe felicitatem, quam in hac vita, vt multi Peripatetici affirmant. Auerroes monſtruoſam illã humani intellectus vnitatem machinatus eſt. Zeno negauit motum. Democritus poſuit infinitos Mundos, caſu & temerario Atomorum concurſu reſultantes. Anaxagoras ſtatuit, pro rerum naturaliũ principijs, infinitatem quandam conſimilium partium. Pythagoras credidit animas hominum in beſtiarum corpora tranſmigrare, & Plato regreſſum rationalis animæ in corpus humanũ, priore corrupto: Vnde probat in Phæd. noſtrum ſcire eſſe reminiſci. Cæterum hi ſunt errores hominum, qui omnino ſunt deteſtandi. Non tamen ex his damnata eſt, vel exploſa naturalis & vera philoſophia: cum verum vero nõ repugnet, vt monſtrat D. Thomas *primo contra gentes c. 7.* Reſpondet ad hoc Picus *lib. 1.* damnare quidem ſanctam Romanam Eccleſiam philoſophorum errores, nõ ipſam philoſophiam. Verum non Aſtrologorum modo errores reprobate, ſed aſtrologiam ipſam iudiciariam errorem eſſe ſtatuere. Cęterum Picus nimis abſolutè pronunciat, & non rectè. Damnat enim Eccleſia Dei iudiciariam illam, quæ de futuris contingẽtibus, ſucceſſibus, & fortuitis caſibus, quæ ab humana pendent voluntate, certò euentum pronunciat: ſed iudicia ex obſeruatione ſtellarum, & naturalium cauſſarum, quæ Medicinæ, Agrariæ, & Nauticæ facultatis gratia fiunt, non damnat, ſed admittit. D. Auguſtinus *lib. confesſionum*, exponens dictum Moſis, poſita ſydera in ſigna, & tempora, *non ſigni,* inquit, *quæ obſeruare vanitatis eſt, ſed*

Stellarũ proprietates nõ tolluntur actionibus aliunde impeditis.

Stella num ſolo lumine & motu agant.

Ariſtotelis & aliorum errores varij

Aſtrologia iudiciaria, qua in parte reprobata.

 vita

vitæ vsibus necessaria, qualia nautæ, agricolæ, & id genus artifices obseruant. Diuus Thomas *opusc. 26. Medici*, inquit, *circa ægritudines dies criticos obseruant, qui determinantur secundum motum Solis & Lunæ. Vnde non est inconueniens secundum aliquas alias occultiores stellarum obseruationes circa corporales affectus vti astrorum iudiciis.* Caietanus id confirmat *in sua summa, titulo, astrorum obseruatio.* Paulus IIII. summus Pontifex concessit Ephemeridas, in quibus à cœlorum motibus, & stellarum configurationibus & proprietatibus desumuntur prognostica singulis annis non eclipsium modo, pluuiarum, serenitatum, vel vbertatis, & caritatis annonæ: sed ægritudinum, & salubritatis tum hominum, tum animalium reliquorũ. Sixtus Quintus summus Pontifex, suo decreto anno 1585. Romæ sancito, damnat omnes Astrologos iudiciarios, præter exercentes iudicia circa Medicinam, Agrariam, & Nauigatoriam, ex obseruatione stellarum. Summa post Tabienam, Armilla, *c. de astrologia, est*, inquit, *Astrologia, vna ex septem artibus liberalibus, & est vera scientia, nec mala de sui natura est, neque prohibita, secundum Panormitanum in c. ex timore, de sortilegiis.* Vnde leges dant præmia ijs, qui dant operam ijs scientijs, *l. 1. ff. de var & extraord. cognit.* Nec vnquam Ecclesia Dei sanciuit, stellas præter lumen & motum nullas alias habere vires; Imo præter lumen & motum, abditos stellarum influxus admittunt clarissima Roman. Eccles. columina: D. Thomas, de cuius doctrina, tam egregie sentit sancta Dei Romana Ecclesia, *lib. 3. contra gentes cap. 82. & 84.* in fortioribus terminis, ita inquit: *Sciendum est tamen, quod hæc corpora cœlestia, directe intelligentiæ nostræ caussa esse non possunt: aliquid tamen ad hoc operantur indirecte. Licet enim intellectus non sit virtus corporea, tamen in nobis intellectus operatio compleri non potest sine operatione virtutum corporearum, quæ sunt imaginatio, vis memoratiua, & cogitatiua, vt ex superioribus patet. Et inde est, quod impeditis harum virtutum operationibus, propter aliquas indispositiones corporis, impeditur & operatio intellectus; sicut patet in phreniticis, & lethargicis, & aliis huiusmodi. Et propter hoc bonitas dispositionis corporis humani, facit aptum ad bene intelligendum, in quantum ex hoc prædictæ vires fortiores existunt. Vnde dicitur 2. de anima,* quod

Sixtus V. Põtifex dãnauit Astrologos.

D. Thomæ de viribus corporum cœlestium sententia.

quod molles carne aptos mente videmus. Dispositio autem corporis humani subiacet cælestibus motibus Dicit enim Augustinus in quinto de ciuitate Dei, quod non vsquequaque absurde dici potest, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere siderum. Et Damascenus dicit in secundo libro, quod alij, & alij planetæ, diuersas complexiones & dispositiones, & habitus in nobis constituunt. Ideo indirectè corpora cælestia ad bonitatem intelligentiæ operantur. Et sic, sicut Medici possunt iudicare de bonitate intellectus, ex corporis complexione, sicut ex dispositione proxima: ita Astrologi ex motibus cælestibus, sicut ex caussa remota talis dispositionis. Et per hunc modum potest verificari, quod Ptolomæus in centiloquio dicit: Cùm fuerit Mercurius in natiuitate alicuius, in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in esse suo, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus. Hæc D. Thomas, qui *prima par. summæ, quæst. 115. art. 4. ad 3.* dicit: *Plures homines sequuntur passiones, quæ sunt motus sensitiui appetitus, ad quas cooperari possunt corpora cælestia. Pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant: & ideo astrologi, vt in pluribus, vera possunt prædicere.* Idem affirmat *prima secundæ, quæst. 9. art. 5 ad tertium.* Idem *2. sent. dist. 7. quæst. 2. art. 2. Idem 3. parte summæ, quæstio 93* Idem *secundo cæli lect. 10 super text. 42.* Idem tenet Diuus Antoninus *2. parte summæ tract. 12. c. 10.* Damascenus *lib. 2. de fide orthodoxa c. 7.* Basilius *homilia 6.* Dionysius Cartusianus, *art. 12. super Genes.* nec non & summi philosophi, & Theologi: Scotus, Henricus de Gandauo, Alexander de Ales, Durandus, Albertus Magnus, Paulus Venetus, Ægidius Romanus, Albertus de Sassonia, & plerique cæteri, quos consulto derelinquo.

Si Stellæ à lumine, & motu, vires alias non haberent, earum multitudo innumerabilis, & Planetæ, tot cælorum orbes, & motus, essent inutiles & plane otiosi.

Cap. XI.

Rationes, quibus stellas non motu & lumine tantũ agere probare

SEd rationibus inquiramus. Primum, si stellæ solo lumine, & motu, sublunaria ac vniuersi perfectionem tue-

 teutur,

rentur, ad quid natura, quæ, vt non deficit in necessarijs, ita non abundat in superfluis, *ex Arist. 2. cœli, 60.* multiplicauit in firmamento tot stellas, numero inenarrabiles, motu vehementissimo concitatas, magnitudine vastas, figuras varias, ordine differentes? An ad lumen non erat satis Sol, qui lucem rebus copiosè ministrat, aufert tenebras, sidera reliqua occultat, & suum lumē omnibus stellis tribuit? An non erat satis in nocte Luna? An ad annum, menses, & dies constituendos, latio Solis, Lunæ, & primi mobilis, non erat satis? Essent ergo plane otiosa tot sidera, si nihil omnino, præter lumen & motum, operari possent. Natura autē sine necessitate entia non multiplicat, vt *1. cœli com. 4.* docet Auer. Respondet Picus *lib. 3. c. 5.* non esse stellas otiosas. Cum enim omnes sint natura lucidæ, omnes suum complent officium, luce calorem viuificum immittentes. Ita calorem Solis stellæ adaugent accedentes, minuunt recedentes. Sed hæc euasio non tollit difficultatem. Primo, ad calorem viuificum, pro generatione sublunarium, satis est Sol, vt monstrat Aristo. *2. de gene. 56.* Secundo, stellæ vel omnino effatu indignum, vel omnino nullum calorem ad nos demandant. Nullum ergo caloris incrementum, si accedant: nullum decrementū, si recedant, stellæ producunt. Antecedens est Arist. *1. Meteor. summa 1. ca. 4.* vbi inquit: *Vt igitur fiant tepor, & calor, sufficiens est efficere etiam Solis latio tantum: Velocem etenim oportet & non longe esse. Quæ igitur astrorum est, velox quidem, lōge autem: quæ autem Lunæ, deorsum quidem, tarda autem: quæ autem Solis, ambo hæc habet sufficienter.* Tertio, calor Solis caloris additamentū à stellis non suscipit. Sol enim in genere luminis, & caloris viuifici generantis, ac vegetare facientis, omnium stellarū est maximus, & summe perfectus, ex cōmuni Philosophorum, & Astrologorum sententia: qui dies & noctes, ortus & interitus, & anni tempora, suo lumine distinguit, & constituit. At perfecto additio fieri non potest, vt monstrat Auerroes, *8. physic. com. 75. 1. cœli, com. 4. & 12. 5. Metaph. c. de perfecto, & in paraphrasi 2. cœli, summa 2. quæst. 3.* Quarto, etiam si additionem caloris stellæ facere possint, ob summam tamen à nobis distantiam, vel omnino nullam, vel inducunt sensu non perceptibilem. Id veritate coactus cōcedit Picus, *lib. 3. c 10.* cum inquit: *Et si sequamur experientiam,*

Natura sine necessitate non multiplicat Entia.

1. Solis calor sufficiens ad generationē sublunariū.

2.

3. Solis calor ānaugeatur calore stellarum. Perfecto addi nihil potest.

4. Stellarū calor ob distātiā non percipitur.

iam, videmus, hærentium illarum, quamquam adeo vastæ magnitudinis, radios nocte non præsentiri, etiamsi cum illis supra finitorem Saturnus & Iuppiter nos irradient. Et paulo pòst: *Nam,* inquit: *quicquid deorsum prouenit à sideribus aliis, id perenne perexiguum est.* Quod etiam fatetur *eodem 3. c. 7.* Quinto, cur natura prouida, in terra tot herbas, tot plantas, tot lapides, non modo ad ornatum terræ, vel animalium vsum efformauit, Sed singulis, etiam minimis, etiam abiectis, etiam vilissimis, virtutes indidit admirandas? Cur in homine, animali morticinio, ne partẽ quidem vel minimam, sed nec pilos, omnino sine opere, vel vsu cõstituit? In cœlo autem purissimo, eximio, perfectissimo corporum omnium, primo omnium Motori proximo, in genere corporum summo, in cuius orbibus regendis intellectus immortales imposuit, tot stellas, tãtæ pulchritudinis, & præstantiæ, tantæ magnitudinis, efformauit? quarũ (vel Pico non negante *lib. 3. c. 10.*) quæ primæ sunt magnitudinis, terræ vniuersam molem contineant centies septiesq;: Iuppiter nonagesies quinquies: Saturnus nonagesies & semel: Mars terra sit duplo maior: secundæ vero magnitudinis nonagesies: tertiæ vero septuaginta & vna vicibus excedant: quod fatetur Arist. *1. Meteorolo. c. 3.* vbi terram multis astris dicit esse minorem. An hæc omnia non ad aliud opus elaborauit natura, quam ad vnam leuissimam caloris accessionẽ summo Solis calori, qui cumulatissime omnia caloris opera per se absoluit? An non dici posset, quod dicit Aristo. *2. cæli 50 Nihil enim vt contingit, facit natura: neque curam quidem animalium habuisset: quæ autem tã preciosa sunt, despexisset.* Sexto, ad quid quinque illos Planetas addidisset, quinque separatis cœlorum sphæris, singulos singulis? An non omnino nulla, vel leuissima saltem fieret caloris accessio à quinque stellis ad Solem, Lunam, & alias omnes stellas? quarum tanta est multitudo, vt quæ planè numerari nequeat, esse videatur, authore Aristo. *2. cæli 61.* Septimo, ad quid Planetis proprios indidit motus, inter se diuersos? vt Saturnus triginta annis, Iupiter duodecim, Mars duobus, Venus & Mercurius infra annum, suos orbes absoluant, & omnes simul cõtrarios motui primi mobilis: & omnes, licet propria latione, oppositum iter peragentes, in aduersum rapiãtur, primi mobilis vertigine perpetua,

5.

Stellarũ & Planetarũ magnitudo.

Stella ad quem finem creata.

6.

Planetæ non frustra singulis sphæris infixi.

7.

Planetarũ motus.

petua, vt viginti quatuor horis omnem Mundi circunferentiam percurrentes, eodem tempore ad contrarias lationes, sine contrario, sine labore, sine defatigatione circunducantur.
8. Octauo, si corpora cœlestia sunt diuersæ naturæ inter se, cur idem opus caloris præstant omnia? & si eiusdem, cur alia vnica, alia duplici latione circunducuntur? Ad quid tanta motuum diuersitas, & cõtrarietas, præcipuè cum nulla cœlorum circumlatio, ex sublunaribus quicquam secum rapiat, preter ignem & aëris primam regionem. Secus enim in media nubes non cogerentur, vt *1. Meteor.c.4.* docet Arist.
9. Nono, quę caussa fuit, vt in Zodiaco signa illa duodecim, ex tot stellis natura composuerit, diuersarum figurarum adinuicem, æquali graduum proportione, totum obliquum circulum sibi diuidentia? si, vt inquit Picus, *lib.3.cap.13.* (ad hoc ipsum Zodiaci facit obliquitas, non natura signorum,) non ideo in Leone flagrat Sol, quia signum Leonis, aut Solis domus, aut calidum signum: prætertim cum dicat Picus, *lib.eod.c.12.* quod *stellarum cum sole coniunctio, vel oppositio, accidentalem faciat operationem.*
10. Decimo tandem, cur non pauciores? cur nõ omnes eiusdem cœli? cur non omnes eiusdem figuræ, ordinis, situs, & magnitudinis? si omnes ad idem, vnum opus erant stellæ institutę? & satis erat ad calorem multiplicandum, vel minuendum earum accessus & recessus. Quod si cœlorum motus non ad hæc sublunaria solum, sed propter cœlos ipsos, erant producti, vt primum omnium Motorem imitarentur, in suo bono communicando, vt innuere videtur Picus *3. eodem, cap.9.* cum dicit: *Non pertinere ad effectuum sublunarium varietatem, diuersos illos cœlorum motus,* cur ergo inferiores orbes habent plures motus, supremi vero pauciores? Quòd si, vt inquit Picus, ignobiliora pluribus, nobiliora paucioribus indigent, cur inferiores magis distantes à primo principio, & minoris nobilitatis, plures habent motus, stellas vero paucissimas: superiores autem digniores, & primo Motori viciniores, motus pauciores, stellas vero innumerabiles? cum nobiliora minoribus operationibus indigeant, & cœlum operetur per stellas, tanquam per organa, vt *2. cœli, comment 42.* docet Auerr. cum multitudo arguat imperfectionem, vnitas perfectionem, vt docet Auerr. *1. cœli*
comm.

omm.4. cum cœlo non sint tot intelligentiæ, quot stellæ, sed quot orbes, secundum Aristo. *8. physic. & 12. Metaph.* tum stellæ, quæ corpora sunt, nec Deum intelligant, nec seipsas: in abstractis enim idem est intelligens intellectio, & intellectum, ex Aristo. *3. de anima, 14.* cum stellæ singulę se ipsas non moueant, *2. cæli, 50.* sed sphæræ latione eadem circunducantur. Ergo vel natura omnino fuit improuida in corporibus cœlestibus, quæ in his vilioribus est adeo sagax, & in omnibus adeo sollicita: vel ad vniuersi perfectionem, & ad bonum propagandum, tot stellas ac motus ordinauit, ad opus aliquod eximium, à lumine diuersum, nō minus, quam lumen, necessarium.

2. 25.

Si non darentur influxus, frigidum, humidum, & siccum eßent in vniuerso per accidens.

CAP. XII.

NOn contineret cœlum per se omnium sublunarium corporū perfectiones naturales, nec eorum omniū esset per se caussa, sed quorundam per accidens esset, vt per accidens quædam essent elementorum qualitates in vniuerso, quæ tamen sunt de vniuersi, tum perfectione, tum necessitate. Frigidum enim & humidum, & aquæ elementum non minus, quam ignis, sunt ad vniuersi perfectionem, nexum, ordinem, ac mixtorum transmutationem, successionem, & vitam necessaria. Lumine autem per se non nisi calorem generat, & latione ignem conseruat, nō frigus, nec aquam: alioquin eodem medio per se produceret duo contraria, quod repugnat Arist. *2. de gen. 56.* cum dicit: *Idem & similiter se habens semper, idem natum est facere.* & paulo post: *Contrariorum enim contraria caussæ.* Respondet Picus *lib. 3. c. 4.* cœlum suo motu, & lumine, dare esse, & vitam omnibus sublunaribus. Calor enim cœlestis est in caussa, vt calida calefaciant, frigida refrigerent; illo enim cessante, cessat omnis sublunarium actio: & subdit: *Non enim calor ille sidereus, frigori contrarius est, vt calor igneus, vel aëreus: sed omnes continet elementares qualitates eminenter, vt motus circularis omnes motus, lux omnes calores, vnitas omnem numerum.* Et *capit. 6.* subdit: Hunc calorem cœlestem, & viuificum, pro patientis dispositione, in quo

Cœlum motu suo & lumine dat esse sublunaribus.

Calor sidereus.

in quo recipitur, debilitari adeo, vt in elementis nō videa-
tur differre à natura ignis, vt non nisi in solo homine ver
cœlestis videatur, cuius calorem similē esse elemento stel-
larum dixit Arist. *secundo de gen. animalium c.3.* Verum, vt
ab hoc eius postremo dicto exordiamur, à quo debilitatur
ille calor cœlestis, si frigido contrarius non est, & omni ca-
ret contrario? vt fatetur Picus *c, 4.* & à subiecto, in quo re-
cipitur, actio nō prouenit? eius enim est pati, non agere. A-
rist. enim *1. de gen. 55.* inquit: *Materia autem, secūdum quod
materia, passiuum est. & secundo eodem 53. Materia enim est
moueri: mouere autem, & facere, alterius potentiæ.* Secundo,
etiam si patiens agentis vim immutare posset, cur elemen-
tum cœli calorem & vim diminuit, atque immutat, non
potius actio cœli vim elementi superat, & infringit? cum
cœlum, vt est elementis nobilius, ita sit & potentius: & a-
gens omne nobilius sit patiente, & forma prestantior ma-
teria. Formæ enim non sunt propter materiam, sed mate-
ria propter formas, *ex Auer. 2. de anima, 60. & 2. physico. 87.*
Tertio hic calor cœli, receptus & debilitatus, vt inquit, an
adhuc suam naturam retinet? an illam omnino cōmuta-
uit? Si primum; ergo à frigido non potuit destrui: cum per
se contraria non sint. Si secundum; ergo non erit calor cœ-
lestis: quod enim corruptum est, non est, *ex Arist. 5. physic.
9.* Ergo nec vt cælestis elementa producet, vel conseruabit.
Ab eo enim quod non est, actiones non prodeunt. Rursus
primum Pici dictum *c 4.* difficultatem non soluit. Nam
supponamus, cœlum eminenter cōtinere omnes quatuor
qualitates, ac illas conseruare in suo esse, id aliquo medio
faciat necesse est: cum omnis actio physica per contactum
fiat, *ex Arist. 7. physic. & 1. de ortu & interitu:* Tunc si cœlū
solo motu agit, & lumine, calore quantumvis viuifico fri-
gidam qualitatem, & elementum aquę per se non genera-
bit, ita agentes particulares, eius qualitatis, nec adiuuabit,
nec conseruabit. Inquit enim Aristo. *2. de gene. 22. Extrema
quidem, & sincera, ignis & terra: media autē, & mixta ma-
gis, aqua & aër: & vtraque vtriq; contraria. Igni enim con-
traria aqua, aëri autem terra. Hæc enim ex contrarijs passio-
nibus constituta sunt.* Ergo si per se ignem calidum siccum
producit, per se aquā frigidam humidam contrariam non
producet. Nec est quod dicat, calorem cœlestem frigori
contra-

Hominis calor similis elemento stellarum.

Materiæ est pati.

Materia propter formā, non contra.

Omnis actio physica fit per contactū

Elementa sibi inuicem contraria.

Cœlestis calor num frigori contrarius.

contrarium non esse. Cur enim calor viuificus frigus expellit à terra, in qua radiorum reflexione calorem producit? Cur phiala aqua plena, Soli exposita, radiorum collectione per antiperistasin, ignem concipit, vt lanam suppositam comburat? Quomodo ex putri materia generabit animalia? cum omnis formæ introductionem præcedat alteratio, quæ motus est de cõtrario in contrarium: & idem sit agens disponens materiam, & introducens formam, vt *7. Metaphy. comm. 22.* monstrat Auerroes. Cur tandem calidum innatum homini, quem viuificum & cœlestem fatetur Picus, nimium frigus exstinguit? Manifestum igitur est, quòd licet in natura cœli nihil sit contrarium, tamen calor, radiorum actione ex terra & aqua, de potentia ad actum productus, vt caussa præsente fit, sic remota interit: & vt ex elementorum passiua potentia cœlestis agentis actione ad actum extrahitur: ita & frigore exstinguitur: ita per se suum contrarium, neque producit, neque cõseruat: alioquin per se conseruaret, quod per se destruit. Sed cœlum contrarias qualitates per se producit, & conseruat, vt expedit ad vniuersi perfectionem. Ergo id omne non solo motu & lumine, sed distinctis à motu & lumine viribus aliis exsequatur necesse est. Secundo, si quæratur à Pico, an cœlum producat frigiditatem per se, an per accidens. Respondet *c. 4.* ex seipso cœlum nulla media caussa facere tãtum calorem per se, cæteras vero qualitates ex accidenti; sed vt caussa vniuersalis cum particularibus agentibus, facit per se tam calorem, quam frigus. Sed hæc responsio nõ subsistit. Quãdo enim cœlum generat aquam cum aqua, vel aliquam immittit facultatem, ob quam aqua aquam generet, vel nullam. Si secundum, nullo modo cõcurret ad aquæ generationem. Si primum; cum cœlum aquam immediatè non cõtineat, quo medio viuificam virtutem suã tribuet aquæ generanti? Calore, dicet, per motum & lumẽ producto. Sed calor per se non nisi calorem producet, frigus vero per accidens. Ergo idem cœlum per se, & per accidens, aquam generabit. Actiones enim & mutationes nõ distinguuntur à potẽtia, sed ab actu, & à termino, vt *5. physico.* docet Arist. Tertio, calor cœli, siue immediatè, siue mediante particulari agente operetur, semper intendit calefacere. Ergo si quando refrigerat, erit præter eius naturæ 3

Cœlum contrarias qualitates per se producit.

Cœlum quomodo frigiditatem producat.

Calor per accidens frigus producit.

intentionem: ergo per accidens. Quarto, cœlum eo modo agit cum ſecundis cauſſis, quo modo illis dat eſſe. Ergo ſi ſolo lumine, & calore eſſe tribuit, tunc agentibus particularibus frigidis dabit eſſe per lumem & calorem. Igitur aquam in eſſe ſuo cõſtituet per calorem. Sed calor per ſe intendit ignem aquæ contrariũ. Ergo aquæ per accidens eſſe dabit. Quinto, ſi cœlum áquam producit motu & lumine, profectò Solis lumine omnium ſtellarum potẽtiſſimo id faciet. Sed an accedẽs Sol ad nos, an recedens aquã producet? Nõ accedens: tũc enim calorẽ auget, aquas minuit, frigus exterminat, vt æſtate experimur in aquis ſub Auſtro, *ex Ariſt. 2. cœli*. Non recedens: calor enim minor effectus, nõ producet frigus in ſummo & abſolute. Ergo nullo modo aquã. Inquit enim Ariſt. *2. de ge. 23. Terra enim ſicci magis, quam frigidi: Aqua autem frigidi magis, quã humidi: Aër autem humidi magis, quam frigidi: Ignis vero calidi magis, quã ſicci.* Vt ergo in ſummo calidus eſt ignis: ſic in ſummo frigida eſt aqua. At licet minus calida in ratione ad magis calida dicantur frigida, abſolute tamen frigida non ſunt: cum magis & minus ſpeciem non variet. Sexto, ordo naturæ non erit, nec laudabilis, nec perfectus in vniuerſo. De perfectione etenim vniuerſi eſt, eſſentialis ordo & connexio, & vt ſit perfectus eſſentialis ordo, & connexio omnium partium eius, præſertim in cauſſis efficientibus. Eſt autem perfectior, ſi omnes ſint per ſe, non quædam ex accidenti: & vt omnes cauſſæ inferiores poſitiue producunt effectus: ſic poſitiue ad illos concurrat cauſſà ſuperior. Ad de ſeptimo, quod nobiliori, & perfectiori modo, aqua generaret aquam, quam cœlum aquam: cœlum enim generat aquam per ſe, ex Pico, quatenus dat eſſe aquæ generãti. Sed illi dat eſſe per accidens, ſi nullo alio medio niſi calore illam producit. Aqua vero aquam vniuocè, & per ſe producit. Hoc tamen non eſt dicendum: contrãdicit enim Ariſt. *8. phyſic. 41.* cum inquit: *Quod prius, eſt dignius, quam vt ſit cauſſa motionis cõſequentis, & ſuum mouere ad illud eſt magis.* Ita nec omnino erit verum, quod dicit *in 1. propoſitione libri de cauſſis, quod cauſſa prima plus, vehemẽtius, intimius, inſeparabilius, concurrit ad effectus cauſſarum ſecundarum, quam ipſæ cauſſæ ſecundæ, & iuuat cauſſas ſecundas in effectibus ipſarum, & magis eſt cauſſa effectuum, quam cauſſæ ſecundæ.*

Perfectio vniuerſi in quibus conſiſtat.

Cauſſæ ſecũdæ potiores in effectibus quã prima.

ſecundæ. Octauo, licet elementum ignis maioris actiuitatis, ac nobilitatis, elemento aquæ eſſe videatur, natura tamen non intendit ignem producere vel conſeruare propter ſe ipſum ſolum, quòd reliquis præſtet elementis: ſic enim (cum faciat de poſſibilibus, quod melius,) omnia elementa feciſſet ignẽ, vel ſaltem non protuliſſet aquā aptam ignem exſtinguere. Quare effecit ignem ad vniuerſi perfectionem; ergo non minus intendit natura aquæ elementum. Rationabile igitur non eſt, putare naturam, adeo de igne ſollicitam, aquam ſic deſpexiſſe, vt cum ignem cōſeruet in vniuerſo duplici medio poſitiuo, nempe lumine Solis & omnium ſtellarum, & latione cœlorum omnium, aquam ne vno quidem poſitiuo medio, ſed ſolo caloris defectu, vel receſſu conſeruet, ac generet purè per accidens. Sunt autem vires aquę non minus neceſſarię, quam ignis, ad mundi perfectionem, ac nexum elementorum. Natura enim ob id non minus facit ignem deſcendere, quam aquam aſcendere. Sunt & aquæ vires ad vſum ac neceſſitatem, tum mixtorum, tum viuentium, ſummè neceſſarię, vt Hippocrates *lib. de vſu humidorum, lib de aëre aquis, & locis, & lib. 3. acut.* affirmat Galenus *1. de tuenda valetudine, 1. de ſimpl. med. facul. & 4. Epid. ſec. 6.* Auic *lib. 1. fen 2. doc. 2. c. 16.* abunde demonſtrant: vt non defuerit vnus Thales Mileſius, ex ſeptem Græciæ ſapientibus, qui rerum omnium principium putauit aquam, vt refert Ariſtot. *1. Metaph.* Plutar. *1. de placit. philoſophorum cap. 3.* Sen. *3. q. nat. cap. 13.* *Natura non minus de aqua, quam igne ſollicita fuit.* *Thaletis Mileſij de aqua opinio.*

Nono, ſi cœlum per ſe, ac peculiari medio, diſtinctio à lumine, frigus & aquam non produceret, vt lumine calorem producit & ignem: tunc in vniuerſo generaretur aër ex igne, ſine generante, nec vniuerſali, nec particulari, quod omnino eſt falſum. Ignis enim in ſua ſphæra non eſt numero perpetuus. (Nihil enim tale eſt, quod eſt in potentia ad oppoſitam formam, *ex Ariſt. 9. Metaph. 17.* Quare perpetuo mutatur, ſecundum eius partes, in alia elementa vt docet Ariſt. *2 meteor. c. 3.* Ergo, quando partes ignis mutantur in aërē, hæc mutatio à quo agēte fit? Non ab igne: nihil enim ſeipſum corrūpit vel deſtruit, ſed conſeruat, *ex Ariſt. 2. de anima.* Non à ſolo aëre: tunc enim à minori in æqualitate proueniret actio cùm victoria. In homogeneis enim, vt ſe habet totum ad totum, ſic pars ad partem. Ignis *Ignis non eſt numero perpetuus, ſed per partes mutatur.*

ergo

Ignis aere potentior. ergo tum ratione maioris quanti, in quo est maior virtus, *8.physi.80.* tum ratione maioris actiuitatis, est aere potentior. Sunt enim tria elementa vt materia ignis, *ex Arist. 4. meteororum c.1.* Generatur ergo aër ab aëre, & cœlo, quod perpetuo sublunaria conseruat. Sed id nō facit cœlum suo *Ignis motus.* circulari motu: rapitur enim ignis ad motū diurnum, qui regularis est, vniformis, non accedens, & recedens, vt Zodiaci, qui motus ignem conseruat, non destruit. Est enim aptus ignire ligna, lapides, & ferrum, *2.cœli, 42.* & cōcauus Lunæ locus est ignis: locus vero locatum generat, conseruat, & perficit, *4.physicorum.48.& 49.* & est tāquam actus, & forma, *4. cœli 23.* Locatum ergo non destruit. Nec lumine Solis hoc facit cœlum: radiorum enim reflexione calorē generat lumen, quod in igne, & aëre non fit: densa enim *Media aeris regio frigida, & Cur.* non sunt vt terra. Ideo media aëris regio, licet Solis radios percipiat, frigida adeo est. Aquæ vero & terræ exhalationes frigidæ, ad ignis sphæram non pertingūt, vt in ea partes ignis mutent in aërem; sic enim cometæ, & calidæ impressiones cæteræ, in illa regione nō fierent; potentia etiā, quę posset ignem mutare in aërem suo frigore, calidos vapores exstingueret. Ergo vel cœlum sua peculiari vi aërem producit, vel sine generante fiat, necesse est.

3 · 26.

Fierent Maris tempestates, in luminarium coniunctione sine efficiente, si influxus non darentur. CAP. XIII.

IN Lunæ coniunctione cum Sole vehementissimæ fiunt turbationes aquarum, præcipuè maris & vētorum. Illas *Turbationes aquarū quando & qua de caussa eueniant.* non facit cœlum suo lumine. Dicit enim Galenus *3 de diebus decretoriis, c.3. Nam validissima eorum, quæ prius erant, mutatio committitur, dum Luna cum Sole coit, ac eius lumine circūuallatur: quippe, quæ prius appareat, nunc nulli conspicitur.* Et paulo post: *Lōgum autem hoc tempus occultationis est, integri ferè signi cursum explens.* Hæc suo motu non pręstat. Siue enim ad Aquilonem, siue ad Austrum declinet Luna, à via Solis, siue diurna, siue propria circumlatione ducatur, non nisi in cōiunctione, oppositione & quadris, maris turbationes eueniunt. Quod si per se motus id faceret, perpetuo faceret. Quod enim est per se tale, est de omni

& sem-

& semper; vt *1. de demonst.* docet Arist. Est autem cœlorum latio regularis, & vniformis, ex Aristo. *2. cæli 35.* cum dicit: *Circularis autem lationis non est aut vnde, aut quo, aut medium. Neque enim principium, neque finis, neque medium est ipsius simpliciter: tempore enim sempiterna est, & longitudine simul ducta, & minimè intersecta. Quare si non est lationis ipsius status, neque irregularitas erit.* Quod confirmat *2. cæli 28. 36. & 37.* Ergo illud operatur cœlū abdita, ac peculiari virtute, a tali cōfiguratione producta, præter lumē & motum, quæ determinata analogia mare pertingit, & agitat. Respōdet Picus *lib. 3. c. 5.* facere Lunam illam mutationem, eo modo, quo quis agit nihil agendo: destituens enim corpora suo lumine, nocet illis. Videtur tanta eruditione non digna responsio. Luna in suis configurationibus est verè & positiuè caussa efficiens illarum perturbationū. Hoc probatur. Nam configurationibus præsentibus fiunt, remotis cessant, vt experimentum monstrat, & Galenus confirmat *3. de diebus decre c. 3.* cum inquit: *Vehementiores mutationes eueniunt, vbi ipsa cum Sole coit: insuper in apparitionibus plenilunij. Minores his contingunt, dum dichotomos, seu dimidia apparet. Imbecillæ, dum vtrinque gibba, & falcata videtur.* Auerroes: *4. de gene. anim. in paraph. c. 10.* inquit: *Quod patet ex his, quæ visuntur in cōiunctionibus, oppositionibus, & quadris. Cognoscitur enim eius immutatio in motibus aquarum & ventorum.* Nicolaus Sagri nauta peritissimus idem testatur *lib. suo de fluxu, & refluxu maris:* quod & omnes nautæ longa obseruatione confirmant, & fatetur ipsemet Picus *lib. eod. c. 5.* Sed principium vnde motus, efficiens est; ex Arist. *2 physico 28.* & Galeno *1. de locis affectis c. 2.* vbi inquit: *Id enim, quo nos tangente hic aliquis affectus sit, & quo separato, statim cessat, caussam esse, apud omnes homines in confesso est.* Ergo non est caussa illarum turbationum Luna, quia destituat corpora hæc, sed quia moueat: alioquin à priuatione proueniret effectus positiuus. Rursus ab eo instrumento agentis, quod non est actu, actio fieret, & motus in actu. Ita nec omnis motus esset actus mouentis, non separatus a mobili, vt monstrat Arist. *3. phys. 20.* Secundo, vehementiores fierent actiones à priuatione formæ, quam ab ipsamet forma præsenti. In plenilunio enim Luna lumine plena mouet mare, in coniunctione tamen omni lumine priua-

Motus cœli regularis,

Luna caussa turbationis maris.

Luna quatenus caussa turbationū aquarum.

priuata mare mouet, & vehementius, ex Galeno *3. de diebus decre. c. 3.* Tertio, erit ergo Luna vere efficiens, nihil agens, sed solum non agens, & ab actione desistens: quod omnino affirmare implicat. Quarto, nec deberent sublunaria, vel debiliora fieri, & aptiora, vt offendantur, Lunæ lumine deficiente. Quicquid enim roboris tribuit eis Lunæ lumen præsens, idem & longè validius dat Solis calor nũquam deficiens, ac calore Lunæ potẽtior, qui Lunæ tribuit lumen suo lumine. Id negare non potest Picus, qui *lib. eodem cap. 6.* inquit: *Sed operabitur idem sua natura sidus vtrumque: licet Luna remissius, quod intensius Sol efficiet.* Quinto, coniunctionis tempore maris vehementes perturbationes, à quo excitabuntur, vt ab efficiente actu mouente? Si ab eo quod est; ergo non à lumine, quod tunc nõ est: Non à motu, qui nec vsque nos pertingit. Alio ergo instrumento, ab his distincto, Luna operetur oportet. Sexto, cur est, quòd debilius fiat mare, dum Lunæ lumine destituitur: cum suapte natura frigidum, & humidum sit aquæ elementum, nec calore, vel lumine opus habeat, vt sit id quod est. Quod si debilius inde non fit, nec Luna illi nocebit, lumine illud destituens. Sed si lumine & calore eget mare, vt roboretur, cur id non habet à Sole? cur non à stellis reliquis, quæ calorem diffundunt gignitiuum, atque viuificum, in aerem, aquam, & terram? cum ex Pici sententia ad vnum calorem fabrefactæ sint omnes; præsertim cum, vt Luna minor sit tota terra 39. vicibus: ita Sol toto maris & terræ globo, centum & sexaginta sex vicibus sit maior? An non potius peculiaris erit Lunæ actio, quæ determinatis ipsius cum Sole configurationibus prodiens, propria vi mare turbet? Picus, priori responsioni parum fidens, addit secundam in fine eiusdem capitis, cum inquit: *Quod si credamus adesse proprium Lunæ lumen, licet tenuissimum & obscurissimum, quod nostrum fugit obtutum, potest credi retinere illam efficaciam.* Verum Picus dubitans hæc protulit, qui forte nec vera putauit. A seculo enim non est auditum, esse lumen, esse obscurissimum, & fugere obtutum nostrum. Quod si nostrum obtutum fugit, quis spiritus illi reuelauit lumen esse? naturaliter enim omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, ex Arist. *2. phys.* & dimittere sensum, & quærere rationem, est infirmitas

Maris turbatio tempore coniunctionis vehementior.

Solis & Lunæ magnitudo ratione terræ.

mitas intellectus, auctore Aristo. *8. phys. 22.* An non videretur ista lux, cum stellarum vltimæ differentiæ, ac magnitudinis lux, licet scintillans, à longissima vltra Lunam distantia, à nobis tamen videatur? Rursus nec erit vera Arist. definitio de lumine, *2. de anima, 69.* esse actum diaphani, secundum quod est diaphanũ. Ita dabitur lumen, quod colores non faciet actu visibiles: Dicit tamen Arist. *lib. de sensu & sensili, c. 7.* lumen facere ipsum videre. Cæterum si proprium lumẽ Luna habet, cur Solis lumine destituta nõ lucet, omnium Planetarũ ad nos vicinissima? cur propriũ est adeo tenue, alienum adeo perspicax? vt plena alieno lumine fiat quasi alter Sol. Cur eâdem densitate, ac leuigatione, qua Solis lumen & recipit, & demandat ad nos, adeo vt & calorem producat, proprium non potest sic demãdare, si habet? vt si calorem non producat, saltem videatur eius lux. Præterea, ad quid natura molita est tot aspectus Lunæ varios, tot lucis incrementa & decrementa, tot cum Sole configurationes ad lumen fœnerandum, ac erogandum sublunaribus; si proprio lumine erat efficax ad eadem opera molienda? Cur sola Luna duplex lumen sortita est, cæteris stellis & Planetis vnicum habentibus? Ad extremũ vehementiores actiones fierent à solo Lunæ lumine proprio, quam proprio, & eo, quod Sol illi tribuit: & ita a debiliori potentiores, à potentiori debiliores effectus fierẽt. In coniunctione enim proprio lumine solum vteretur, in plenilunio, tum suo, tum Solis. Vehementiores tamen & longiores multo fiunt maris turbationes in coniunctione, breuiores in plenilunio contingunt.

Lumẽ quid *Luna lumẽ* *Lunæ aspectus varij.* *Luna duplex lumen sortita.* *Maris turbatio tempore coniunctionis vehementior & longior.*

4 25.

Conchylia fierent pleniora, & sicciora, Luna crescente & decrescente, sine instrumento per quod Luna illa tangeret, si non darentur influxus. Cap. XIIII.

Conchylia, & quæ vocant Echinos, crescente Luna humidiora ac pleniora, decrescẽte sicciora esse compertum est. Sed id Luna non præstat suo lumine: lumen enim calefacit. Arist. *4. de partibus animal. cap. 5. Noctes,* inquit, *sub plenilunio sunt calidiores.* Calor autem non humectat, sed exsiccat, authore Galeno *1. aph. com. 16.* Respondet Picus

Noctes sub plenitunio calidiores.

Picus *lib.3.c.6.Esse illa animalia frigida, & sanguine carentia. Vnde Luna lumine vberiori inualescit calor eorũ, & melius concoquit: ideo succulentiora, & habitiora fiunt.* Et paulo post subdit: *Quo clarissime patet, non humefacere Lunam quia frigida & humida sit, sed quia salubriter & viuificè calida, quando sub copia luminis eius illa fiunt humidiora corpora, robustiora, nec aliter humidiora, quam vi caloris, altricé vim adiuuantis, & quod illi est proprium, euocantis humores ab intimis ad extrema.* Verum nec Lunam esse frigidam, & humidam fateri debemus, etiam si producat humiditatẽ, vt nec Solem calidum, qui calorem producit: quando ex Arist. *14. metaph.* cœlum neque ex elementis, neque ex elementorum cõtrariis qualitatibus constet. Cæterum si verum sit, calorem Lunæ viuificum roborare calorem innatum conchyliorum, cur idem non præstat efficacius Solis calor? cum dicat Picus, idem operari suapte natura sidus vtrũque, & quod Luna remissius, intensius Sol. Quòd confirmat Arist. *4. de gen. animal. c. 10.* cum inquit: *Luna autem principium est propter Solis societatem, receptumq; lucis. Fit enim quasi alter Sol minor.* vbi Auerroes, *Quando enim perficitur,* inquit, *fit quasi alter Sol: & propterea habet in suis dispositionibus magnam conuenientiam cum Sole in speciebus generatorum.* Et dicit Gal. *3. de dieb. decret. c. 2.* loquẽs de Sole: *Sed ipse velut Rex quispiam maximus est: Luna vero, vt Hyparchus, (quasi Subprincipẽ dicas) nõ exiguus. Inter illum enim & nos media constituta, terrestrem regionem merito gubernat.* Hęc Galenus Quòd si idem prę stat Solis calor, cur conchyliorum calorem innatum non roborat? & si roborat, cur perpetuo succulentiora, & habitiora non sunt? Sed debiliori Lunæ lumine roborantur, Solis vero nequaquã. Rursus si Solis calor, vt potentior fortè, rarefacit, & absumit illorum calorem, Lunæ vero licet debilior, & proportionatus confirmat; cur æstiuo tempore, sub ardentissimis Solis caloribus, æque plena sunt, crescente Luna, vt vergẽte Sole ad Capricornum? Cur si proportionatus roborat, maior non dissoluit? & si dissoluit, cur coctiones debiliores non fiunt? Aliunde ergo, quam calore, Luna id præstat. Præterea si Luna lumine & calore illa humectat; vel erit illud humidum substantificum, vel inutile excrementum. Si primum; ergo non euocabitur ab intimis ad extrema, vt à

Corpora cœlestia expertia qualitatum contrariarum.

Solis & lunæ conuenientia.

Solis calore non æque vt luna roboratur calor cõchyliorum.

solidis

lidis & continentibus, ad cauitates & contenta. Nutritio enim opposito modo fit ex conuersione humidi in aliā substantiam, quod perficit natura humidi iuxta positione, agglutinatione, & commutatione ad singulas partes nutrientes, quarum est vera nutritio. Nutrientes vero sunt, non contentæ, sed solidæ, ac continentes partes animalis. Si secundum excrementum est illud humidum; ergo inde non erit maior nutritio, cum excrementa coctionem, & commutationem in substantiam effugiant. Rursus, calor Lunę illum reuocat humores ab intimis ad extrema; vel cum humore calorem innatum pariter euocat, vel humorem a calore seiungit & extrahit. Si primum; ergo calorem debilitat, non roborat. Galenus *libr. de causis morborum cap. 3.* dicit, exstingui calorem à maiore relaxante, vt candela accensa à Sole ardente: ideo æstate & autumno cibos difficillime ferimus, siquidem (vt inquit Galen. *1. aphor. comm. 18.*) is, cui eos coquendi ac conficiendi officium natura tribuit, (calor innatus scilicet,) exiguus est. Et *1. aphor. commen. 15. At calor*, inquit, *circumfusus non modo superfluitates, sed omnino euacuat æqualiter materiam inutilem, & ea etiam, quæ in corpore secundum naturam continentur, vnà dissoluens.* Hæc Galenus. Si secundum; ergo putrefacit, & corrumpit: calor enim ambiens extraneus, humidum à calido separando, ac euocando, putrefacit, teste Aristot. *4. meteor* & Galeno *11. methodi.* & quæ putrescunt, fiunt primum humida, mox sicca. Tandem, si actiones Lunæ paruæ mutationis habent facultatem, in animalibus exanguibus, & pauci caloris, vtique ab internis ad extima illorum calorem non euocabunt: & ita humiditatem à calore terminatam non extrahent. Quod si validæ sint actiones, ac non putrefacient, vna cum humido calorem extrahent; ergo non roborabunt calorem innatum, illum vnientes, sed debilitabunt rarefacientes, relaxantes, & disgregantes. Luna igitur alio medio, quam calore, conchylia humiditatis efficit pleniora.

Nutritio vt fiat.

Ciborum concoctio æstate & autumno difficilior & Cur.

5 . 20

Fluxus & refluxus maris perpetuus & ordinat[us] caussam perpetuam non habebit, si Luna præter lumen, & motum, influxus non habet. CAP. XV.

NEc in mari fluxus & refluxus fieret, lege reciprocationis perpetua, regulari, & ordinata, si Luna sua facultate, a lumine & latione diuersa, id perpetuò non efficeret. Picus *lib.3.c.15.* tres affert responsiones: Primam ex Adelardo: *Quòd mare quærit se vnire toti suo elemento, & fluit ad illud, sed à terra impeditum iterum refluit.* Quę euasio recta non est. Si enim mare aliquod extra suum totum elementum sit, Mediterraneum illud esse videtur, in quo præter Adriaticum sinum in fretu Messanæ vrbis, ad Charybdim & Scillam admirabili fluxus & refluxus reciprocatione, perpetuum naturæ miraculũ esse videtur. Sed hoc de Mediterraneo dici non potest: tunc enim extra suum locum perpetuo detineretur, ac violenter. Dicit autem Arist. *2. cæli. 96. Quapropter, cum violenta sit, & præter naturam, non possibile est, sempiternam esse. Mundi autem ordo sempiternus est.* Rursus, tunc nec omnis terra erit locus naturalis aquæ: oppositum tamen innuit Aristo. *2. meteor. cap. 2.* & monstrat Auerroes *in paraph. 2. cæli, summa 2. quæsito 3. num. 31.* Quod si loca elementorum consideremus, pro vt virtute à cœlis indita locata conseruant; ita concauum Lunæ locus est ignis, & concauum ignis est aëris; sic concaua aquæ superficies locus est terræ. Ita Aristo. *4. physico. 46.* inquit: *Quocirca & in cælo cuncta sunt: cælum enim vniuersum forsitan est. Est autem locus non ipsum cælum, sed cæli aliquid, vltimus videlicet finis quiescens, & quo mortale corpus tangit. Quapropter & terram aqua; hæc in aëre, &c.* Manifestum igitur est, totum mare, tam Oceanum, quam Mediterraneum, terram continens, in suo loco esse. Præterea, tunc esset fortior fluxus maris in fine, quam in principio. Elementi enim pars, dum naturaliter mouetur ad suam integritatem, quo magis ad illam progreditur, eo mouetur intensior, atq; velocior. Oppositũ tamen in fluxu contingit, qui in principio fortissimus, sensim decrescit, vt in fine motus sit debilissimus. Adhæc, neque refluxus fieri potest

Fluxus & refluxus maris in fretu vrbis Messanæ.

Elementorũ motus in fine velocior, contra in æstu maris.

potest

potest à terra impediēte. Si enim mare sex horis flueret ad suum elementum, & impeditum à terra totidem reflueret, vtique refluxus non erit, sed vertigo. Vt enim docet Auerroes 7. *physicorum comment. 10.* ab impellente, & propellente fit vertigo: Quare quælibet vnda dum fluit, repercussa reflueret. Ergo eodem momento fluxus & refluxus pariter committerentur. Ad extremum in ipso Oceano, quod extra elementum aquæ non est, fluxus, & refluxus aquarum non fieret: fit tamen; quod Picus fatetur *capite eodem*, dum inquit: *Fit etiam illic idem effectus, sed pelagi vastitas, littorumq; submotio, speciem tollit accessus & recessus.* Arist. idem fatetur, *2. meteor. c. 1* cum inquit: *Fluxus autem maris videtur secundum angustias, sicubi propter adiacentem terram in modicum ex magno coarctatur pelago, propterea quod libratur huc, & illuc sæpe. Hoc autem in magna multitudine maris immanifestum est.* Et paulo post: *Omnia autem, præter hæc maria, minus faciunt hoc euidenter.* Hæc Aristot. Addit Picus secundam responsionem *cap. eodem* cum inquit: *Confitentur Astrologi, non euenire tales recursus in omnibus aquis, sed in his tantum, quorum terra profunda, dura, montibus crebris aspera, & inæqualis est:* additque: *In tali terra suscitantur vapores, & venti, vnde in aqua fit ventus atque tumultus; præsertim, quod ex motu & impulsu isto, & vaporum admixtione calescit. Quare locum quærit ampliorem, quo se diffundat. Accedit quasi tertia caussa.* subdit Picus, *motus, reflexio ventorum vellicantium, aquæ summa:* Et mox ait: *Aquæ necessario, cum eructant, abundant, tumescuntq;:* & tandem dicit; *Rursus vbi vis illa, dissolutis vaporibus, conflammescit, subsident.* Hæc Picus. Quæ responsio veram caussam non adducit. Primum, non refert Astrologos, qui dicant, in mari vasto non esse reciprocationes, cum Phauorinus summus Astrologus dicat oppositum, (Pico etiam referente,) qui *Oceanus*, inquit, *quasi Lunæ comes, cum ea senescit, adolescitque:* quod & Ptolemæus confirmat. Quod etiam Pici confessione & Aristo. authoritate verum esse supra monstratum est. Ergo si in Oceano nec montibus asperis circumsepto, nec littorum duritie, profunditate, & inæqualitate circumuallato, sed tota terræ magnitudine decuplo maiore, ijdem maris fiunt æstus: ratio, quam affert à mon-

In Oceano quoque fit maris fluxus & refluxus.

Maris æstus cur nō æque in Oceano percipiatur, vt in reliquis.

Montium angustiæ nū caussa refluxus maris.

Num vapores à terra eleuati. tium angustijs, caussam maris refluxus non ostendit, sed tantum maiorem eius fluxus euidentiam monstrat. Nec vero, quod de Vaporibus à terra eleuatis commemorat, absoluit. Quamuis enim calore Solis vapores eleuentur à terra, illi tamen non sunt caussa maris æstus, fluentis atque reciprocantis, perpetua, ordinata, immutabilis. Sol enim æquè eleuat à terra vapores, dum mare fluit, atque dum refluit; neque sex horis vapores concitat, sex totidem à vaporum eleuatione se temperat: cum ratione siquidem, & electione ageret Sol. Rursus tūc essent maiores æstus maris, Sole ad nos accedente, inchoante vere, terra existente humidiore post hyemem; quam æstate media, illa ab ardoribus magis exiccata. Sed vtroque tempore sunt æquales, vt non nisi in Lunæ coniunctionibus & oppositionibus fiant vehementiores, singulis mensibus: minores dum dimidia appareat: imbecilles dum vtrinque gibba videtur. In coniunctione autem Luna omni lumine destituta est. Tādem si Luna id præstaret suo lumine, tunc dum aucta lumine, dum declinat ad Aquilonem à via Solis, dum in signis Aquilonaribus est posita, vberiores accessus aquarum fierēt. Opposito vero modo se habent. Perpetuò siquidem sunt vniformes, & in solis cōfigurationibus adaugentur: vt perpetuum experimentum, & expertorum testimonium mōstrat. Neque venti ad id conducunt, qui nec statuta periodo, neque perpetuo flant eodem cursu, nec sex horis ad vnum angulum, totidem ad oppositū spirant, vel quiescūt; nec semper à profundo maris ad summum insurgunt: imo sæpe aduersus maris fluxum impetuosè flantes, contrarij obuiant maris æstum. Dicit Arist. *2. meteor. summ. 2. c. 3. Sic autem ordinatis ventis manifestum est, quod simul flare contrarios quidem nō est possibile.* Ad extremū, non semel venti & maris fluxus è diametro pugnare sunt visi, vt sæpe summa admiratione sit obseruatum, inter admiranda naturæ opera, in vrbis Messanæ fretu nauem secundis impulsam ventis, velisque vehementissime tumidis, à maris fluxu obuio, aduersum repelli ac retrocedere; vt maris impetus vētorum aduersam vim planè vincat. Idcirco Ptolomæus *li. 2. magnæ compos. c. 12.* in Lunam refert caussam fluxus atque refluxus perpetui. Quod post Homerum confirmat Plinius *lib. 2. c 99.* Phauorinus referente Pico, Arthemedorus contra

Æstus maris quo tempore vehementiores.

Num Luna suo lumine.

Num venti.

Historia.

Luna æstus maris caussa.

contra Polybium, & tandem Picus met veritate compulsus idem affirmat, dum *eodem c.* vltimam adducit responsionem, vbi sic inquit: *Nam sint à Luna, quod libenter & facile, etiam ipsi credimus:* & subdit: *Nos si pertinet ad Lunã talis effectus, ad eius id motum referamus, qua ratio naturæ consensu Oceani motus imitatur. Quare ascendit cum ascendente, & descendit cum descendente.* Hæc Picus. Concedit ergo id fieri à Luna ex professo, negat solum contra Baconum, fieri per lumen. Ergo si monstrauerimus, neq; per motum, manifestum erit, per abditas suas vires, quas vocant influxus, Lunam id efficere: quod ita potest demonstrari: Primum si motus Lunæ mare moueret, mare necessario tangeret: ergo mare raperet circulariter in gyrum, vt motu diurno sphæræ Planetarum, elementum ignis, & prima aëris regio circulariter rapiuntur. Mare tamen neccirculariter fluit, sed sex horis ab ortu Solis, totidem à meridie refluit: æquis horis ab occasu æstuat, totidem ad exortum deferuet; vt Eratosthenes, Polybius, Plinius, & Strabo testes sunt. Adde quod impossibile est, sphærã ignis, & primam aëris regionem à cœli vertigine localiter moueri, & mare eadem latione ferri naturaliter, media aëris regione inter illas posita, nõ mota. Moueretur enim eodem motu vtrumque extremum, non motu medio, & sine medio natura faceret saltum de extremo ad extremum: quæ impossibilia sunt. Sed est dubium, inquit Picus ex Aboazar, quod æstus maris non eueniat à Luna. Nam non sunt eadem omnibus aquis initia fluxus & recessus, etiam in quib. nulla est de finitore varietas: sed vbi in vno loco fluunt aquæ, in alio vidẽtur refluere. Verum hoc de facili tollitur. Si enim dicat, diuerso tempore moueri aquas sub diuersis horizõtibus positas, id vltro concedimus: hoc tamen non tollit, eandem Lunam omnium diuersorum fluxuum esse caussam: mouet enim tunc aquas, cum supra eius loci finitorẽ exoritur. Ita nec omnes stellæ omnibus terræ locis æquè sunt orientes, vel occidentes; nec æquè orientales, & occidentales. Nec luminarium eclipses æquales apparent, vel æqualis sunt durationis, occidẽtem & orientem terræ plagam colentibus. Dices ergo, dum Luna est in opposito nobis hemisphærio, aquas nostri maris non mouebit. Mouebit inquam, sed nec pari temporis momento. Fluxus enim

Luna num motu suo mare moueat.

Fluxus maris vt fiat.

aquæ, quæ corpus est, non est alteratio, sed motus localis vnde prius fit in parte mouenti viciniore, in remotiori posterius: quamuis ob sideris vim magnam, ac stellarum omnium maxime propinquam, breui temporis successione id contingat. Neque ex eo datur velocior motus, motu primi mobilis: eisdem enim sex horis, quibus mare fluit, & quartam sui elementi partẽ excurrit, Luna sui orbis quartam portionem peragratur, latione diurna; quod cœli spacium longè maius est maris fluentis magnitudine: cũ cœlum Lunæ toto maris elemento triplo sit maius, vt ex supputatis à Ptolomæo, Alfagrano, Eratosthene, Macrobio, Possidonio: & Plinio cognosci potest. Quod si dicat Aboazar, fluxuum diuersa principia euenire, a quis sub eodẽ finitore positis; est plane falsum. Nam vel nulla, vel omnino pauca satis est mora successionis motus aquarum ad inuicem, & hoc ob littorum diuersos sinus, & varias angustias, aquarum motum impedientes. Obseruant enim nautæ, in vrbis Messanę fretu eodem momento, quo Luna supra nostrum finitorem exoritur, aquas moueri, & singulis diebus à coniunctione ad diametrum singulis ferè horis, eorum æstus initium postponi, singulis horis à plenilunio, ad cõiunctionem anticipare. Totidem enim Luna suum exortũ à Sole postponit, & anticipat: quod confirmat Nicolaus Sagri *libello suo* & Strabo *lib. 3. de situ orbis.*

Æstus maris in fretu vrbis Messanæ.

Agricolæ futuras anni vbertates, & caritates non prædicerent, si stellarum non darentur influxus. Cap. XVI.

SI verũ est, quod dicit Picus *lib 3. c. 19.* agricolas & nautas ab aëre, nubibus, & ventis, & a caussis proximis, non à stellis, prædicere sterilitatis & vbertatis, tempestatũ & serenitatis, singulis annis differẽtias; cur dixit Virgilius, oportere agricolas obseruare ortus Arcturi, Pleiadum, & aliorũ siderum occasus, ac sub eis vno, vel altero modo semẽ terræ committendum, & ex eis futuram vbertatem timẽdam vel sperandam? Primo Georgicorum sic inquit;

Ortus & occasus stellarum obseruatio.

At si non fuerit tellus fœcunda; sub ipsum
Arcturum, tenui sat erit suspendere sulco.

Et paulo post:

Præterea

Praterea tam sunt Arcturi sidera nobis,
Hædorumq; dies seruandi, & lucidus anguis.
Et mox:
Ante tibi Æoæ Atlantides abscondantur,
Cnossiaq; ardentis decedat stella coronæ.
Et tandem:
Multi ante occasum Maiæ cœpêre, sed illos
Expectata seges vanis elusit auenis.

Et alibi, vt designaret pluuias, quas excitat stella Orionis exoriens, inquit:
Fluctu nimbosus Orion.

Quomodo erunt vera presagia, quæ à vario Stellarum ortu & occasu narrat Columella *lib. 10. cap. 1. & 2.* Varro *lib. 1. cap. 32. & seqq.* Ætius *tetrab. 1. sermone 3. cap. 164.* Plinius *lib. 18. cap. 35.* Rursus, quomodo vera erit eiusdem obseruatio? qui *lib. eod. cap. 25.* inquit: *Miretur hoc, qui non meminerit, ipsa brumali die pulegium exsiccatum in coronarijs florescere. Adeo nihil esse occultum natura voluit.* Quomodo vera erit futurarum tempestatum prædictio à Luna? quam refert Galenus ex Arato, *3 de diebus decretorijs c. 5.* Quomodo verę erunt prædictiones ex Luna, in varijs signis posita, circa morbos, & morborũ euentus? quas refert author libri prognosticorum ex decubitus scientia, per Iacobum Mariscotum Florentinum in latinum conuersi. Quomodo erit vera obseruatio Constantini Cæsaris *lib. 1. suæ Agriculturæ c. 8.* quod si oriatur canicula, existente Luna in signo Leonis, vel Geminorum, vel Capricorni, eo anno expectandã fore copiam olei, vini, & frumenti: Omnium vero horum sterilitatem futuram, si in Cancro fuerit. Si vero in Libra, solius olei: solius frumenti, si in Aquario: si autem in Ariete, olei vbertatem, & tritici caritatem. Rursus *lib. eod. c. 12.* ex varia Iouis peragratione in signis Zodiaci, varias eius anni penurias, vel fertilitates imminere, obseruatũ fore, testatur. An ad vnum calorem referri hæc possint? cum Sol in Leone, Geminis, & Capricorno, nec eundem calorem, nec idem anni tempus afferat; qui in Leone propè æstiuum solstitium est; in Capricorno oppositum hyemale constituit. Eius vero triplicitatis nõ sunt Gemini & Capricornus, sed Aries, Leo, Sagittarius, ex Ptolomæo *lib. 1. de iudiciis, c 17.* An sunt negandæ obseruationes grauissimorum auctorũ

Ortus caniculæ obseruatio.

in arte sua, etiamsi pro nostra opinione stare non videantur? Certe potius est imitandus Aristoteles, qui in rebus ad Astrologiam spectantibus *lib. 12. metaphys.* Eudoxo & Calippo Astrologis se remittit; & in stellarum obseruatione, Chaldæis, & Babyloniis Astrologis. Inquit enim *2. cæli 60. Similiter autem & de alijs dicunt astris, quæ dudum ea obseruauerunt à plurimis annis Ægyptij & Babylonij, quibus multam fidem habemus, de vno quoque astrorum.* Ad extremum & imitandus Galenus est, qui non modo sapiētibus, sed nautis & agricolis, in artis eorum obseruatione, fidem præstat *3. de diebus decretoriis c. 5.*

Nec reddi posset ratio vera, cur partus octauo mense lethales sint, si stellarum non darentur influxus. Cap. XVII.

Partus vitalis qui.

ARistoteles *7. de hist. anim. c. 4.* dicit, partus octaui mēsis esse lethales, septimi verò, & noni vitales. Quod antè ipsum protulit Hipp. *li. de octimestri partu*; & cōfirmat Alexander *lib. 2. prob. prob. 48.* Huius diuersitatis partus fœlicis & infausti nulla esset caussa, si stellæ præter lumen & motum abditas vires non haberent. Respondet Picus *lib. 3. c. 18.* quòd eo mēse difficilis est vteri gestatio. Tunc enim grauius se habere prægnantes, & in matrice, inquit, nescio quæ pati grauia & incommoda, & si pariant, duplici labore oppressas, & partus & ægritudinis, infirmissimas fieri; vnde necessario ipse quoque fœtus imbecillior factus raro diu viuat. Verum Picus adducit caussam fortè immediatā, cum de remota sit quæstio, quam propinqua non excludit, sed supponit. Nam si supponamus, eo mense ægrotare fœtum, vel prægnantem in matrice pati grauia incōmoda, debebat Picus rationem explicare, cur illa prægnanti octauo mense contingant, non septimo, neq; nono: à quo vt ab efficiente incommodum vel ægritudo inducatur eo mense. Nā si probabit Astrologus, octauo mense prægnātibus incommoda à stellis prouenire, non tamen per lumē aut motum, influxus dari demonstrabit. Cæterum vt rem à principio repetamus, incommodum vel ægritudo in illo mense caussam habeat necesse est. Caussa igitur erit vel interna vel externa: & si externa, vel priuata vel communis: & si

Cur partus octimestris non vitalis.

t si communis, vel aër, vel cibus & potus, vel cælum. Interna esse non videtur. Non enim est verum, quod refert Hieronymus Mercur. *lib. 2. de morb. mul. c. 1.* dixisse Auicennam *lib. 3. fen. 21. trac de abortu*, & Albertum Magnum *10. de animal. trac. 2. cap. vlt.* octauo mense laborare fœtum in vtero. Nam septimo mense factus grandior & consummatior, opus habet multo nutrimēto, & multo aëre: quæ omnia cū sibi desint, quærit exitum, & incipit moueri. Et subdit: Si vero non exeat, ob labores quos sustinet, septimo mense, in octauo debilis est, languidus, & infirmus: Nō, inquam, verum videtur. Nam fœtus septimo mense, si sua maturitate est aptus vt exeat in lucem, à quo retinetur ne egrediatur? cur illum laborantem, ac egredi quærētem, natura retinet? Si vero solum aëre, & alimento maiore indiget; cur natura de vtroque illi non fuit prouida? (quæ adeo est de generatione ac propagatione sollicita, & nō deficit in necessarijs, ex Hipp. & Gal. *5. in 6. epid. 2.*) vt fœtus non laboret, non ægrotet, non pereat. Præterea si maioris alimenti & aeris gratia, quærit exitum mense septimo, cur idem nō facit octauo, quando fœtus maior est, & alimento ac inspiratione maiore indiget? Quod si octauo mēse mouetur, vt & septimo, cur nono multo magis non ægrotat ob præcedentes duorum mensium conatus atque labores? vel à quo habet, vt expleto octauo mense amplius non ægrotet, permanente adhuc eadem nutrimenti & aëris necessitate? & si ægrotat, cur nono mense partus vitalis est? Ad extremum, quacunq; ratione fœtus ægrotaret, vel vterus prægnantis grauia incommoda pateretur octauo mense; si ab interna causa laborarent, per se laborarent: quare & omnes tum prægnantes tum fœtus. Sed Ægyptiæ mulieres eo mense feliciter pariunt, & facilè ferunt, ex Arist. *7. de hist. anim. c. 4.* Quod autem de intrinseca ratione alicui competit per se, & vniuersaliter illi conuenit, vt ab Arist. *1 post.* monstratum est. Neque est recipienda Vallesij responsio, qui *lib. 2. cont. med. c 9.* (vltra rationem circuitus critici, quę vera est) profert, fœtum septimo mense in vtero conuerti vt exeat, & ideo, si non egrediatur, ægrotare per dies 40. Cur enim septimo mense cōuertitur, qui nono naturaliter in lucem egredi debet? quando quintus quadragenarius dierum ad septimum mensem terminatur, septimus quadragenarius

Ratio Mercurialis.

Ægyptiæ mulieres octauo mense pariunt feliciter.

Ratio Vallesij.

Fœtus in vtero conuersio.

ad nonum: septimi vero index nõ sit quintus, sed quartus. Rursus si conuersio illa naturalis est fœtui, cur inde ægrotat? cur per dies quadraginta? quo ęgritudinis genere? Et si per tot dies ægrotat, cum mutationes fiãt in mensis septimi principio, nõ medio, vel fine: (ad principium enim eius mensis quinque quadragenarij dierũ à die conceptus terminantur, si vera sunt, quæ *c. eod. 9.* supputat Vall.) cur ergo totus septimus mensis non erit infœlix, pleraque pars mẽsis octaui non erit nascentibus salutaris? Interna igitur laboris caussa non erit, octauo mense, sed externa. Verũ non priuata, cum sit communis affectus multarum regionum, & omni tẽpore. Nec cibus, qui communiter vitiosus in tot regionibus esse nõ potest. Nec aër, cum nec eiusdẽ naturæ morbificæ, nec omni tempore esse possit, qui Græciã, Italiam, Germaniam ambit. Ergo vt à cœlo & stellis, quæ perpetuæ transmutationis sublunarium caussa sunt, ac criticarum mutationum ad salutem & ad interitum, id producatur, oportet. Eadem enim est partus ratio, vt & crisis in morbis, ex Hipp. *lib. de sept. partu.* Neque hoc imaginariũ dici debet, vt putat Mercur. si imaginarium nõ est, septem planetas, quadraginta octo stellarum imagines, tot stellas innumerabiles in cœlo esse, nec planè otiosas. Hipp. *lib. de octimestri partu* ad Lunam refert rationem partus mensis septimi, octaui, noni, & decimi, cum dicit: *Ex his igitur omnibus necessarium est, plerasq; mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti & octuaginta dies, sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur, &c.* Aristot. *4. de gen. anim. c. 10. Ratione autem optima,* inquit, *tempora omnium, & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. Circuitum appello diem, noctem, mensem, annum, & tempora, quæ ijs describuntur, atq; etiam Lunæ traiectiones.* Et paulo post inquit: *Nam vt rerum minus principalium circuitus sequantur, magis principalium rerum circuitus ratio est. Vitam enim quandam & ortum, & interitum, vel flatuum esse fateor. Conuersionis vero eorum siderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret.* Ergo quod septimo & nono mense viuant, octauo autem nati intereant in multis regionibus, in quibusdam vero non, cœlorum ac syderum cõuersiones

Diuersitatis partus caussa secũdum autorem.

siones

nes atq; vires caussam esse ex dictis est manifestum. Sed cœlum hæc non præstat lumine & motu in gyrum; cum motus hæc terrena non pertingat, sine contactu vero non efficiat. Lumen autem, si sit Solis, accedendo generat, recedendo corrumpit: non tamen septimo mense vitales facit, octauo nequaquam. Si vero sit Lunæ, omnib. mensibus æquali proportione diffunditur atq; subtrahitur. Altior ergo est & abdita magis, tum Lunæ, tum Planetarũ reliquorum facultas, qua partus varietates contingunt.

8 25

Crises morborum fore sine caussa perpetua, ac certa, si stellæ præter lumen & motum vires abditas non haberent. CAP. XVIII.

AD extremum nulla esset caussa, cur in morbis acutis septimus dies esset criticus, non sextus nec octauus: in lõgis septima, hebdomada, septimus mensis, vt & septimus annus. Dicit autem Hippocrates *3. aphorismo. 28. Plurimæ autem passiones pueruli indicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ vero in annis septem.* Cum enim statutæ ac ordinatæ sint morborum crises, vt caussam habeant statutam, & regularem oportet. Talis caussa non sunt elemẽta in rerum naturalium ordine, quæ mutãtur perpetuo. Erit ergo cœlum, cuius lationem dicit Arist. *8. physic. 47.* esse caussam omnium, quæ sunt in hoc mundo sublunari, quod confirmat *1. meteor. c. 2. & 4. de gener anim. c. 10* Cum autem latio cœli primam aeris regionem non transcendat, vt alio penitiori medio hoc faciat cœlum, necesse est, Respondet Picus *lib. 3. c. 16. Sed ita naturæ dico cursus impleri plerumq; in rebus, non ob constellationes ad hæc tempora comparentes, sed ob occultam proprietatem condictionemque rerum illarum, quibus ita plerumque vsu venit.* Sed Picus, ne illud tribuat stellis, quod negat mordicus, fingit ea ignorare, quæ vir perspicax planè cognoscere potuisset. Non negamus, plures esse rerum differentias nobis ignotas, eorum quæ scimus maiorem partem, esse minimam illorum quæ ignoramus: se habere nostrũ intellectũ ad manifestissima naturæ, vt oculum noctuæ ad lumẽ Solis. Sed si hoc ita est, cur stellas eas vires habere negamus, quas si habeãt, nõ cognosci-

Dies critici.

Crises morborum statutæ & ordinatæ.

Differentiæ rerum plures nobis incognitæ.

gnoſcimus?cur vt ſtellis vires derogemus, rerum eſſe dicimus occultas proprietates? Quod eſt nō philoſophari,nō rerum cauſſas inquirere, non ad quæſtiones reſpondere, non docere: quod philoſophis Scepticis congruere dicit Galenus *1.de ſimpli.med.facul.c.1.* Cæterum ſi in rebus hāc occultam proprietatem admittit, cur eandem cœlo derogat Picus?cum cœlum corpus ſit nobiliſſimum,ſublunariū omnium cauſſa:cum quicquid poteſt virtus inferior, poſſit ſuperior nobiliori modo:cum vt omnes numeri in vnitate,omnes calores in luce;ſic ſublunarium omnium vires perfectiori, & eminentiori modo contineantur in cœlo, auctore Pico *lib.3.cap.4.* Vnde Pythagoræi,qui ſeptenario tribuunt arcanas naturæ vires,cœlo illas maxime tribuūt. Alexander *lib.2.probl.problem.48. Orbem,* inquit, *terrarum ſeptem inſignibus ſtellis regendum nouimus.* Et mox inquit: *Luna per ſeptenarium ſuas accipit formas,menſes ſeptenis cōſtant diebus.* Quod ſi rerum particularium ſolum corruptibilium eſt hæc occulta proprietas, morborū criſis, cuius nam rei particularis & corruptibilis erit hæc occulta proprietas?naturæ nè,an morbi,an cauſſę?Sed nullius horum eſſe poteſt. Natura enim agit neceſſario,& ſine cognitione,ex Ariſt.*9.metaphy.& 2.de interpreta.* Cur ergo ſeptimo mouet,& non ſexto?Si enim poſito agente naturali,& nō impedito in paſſo,actio naturalis fit,cur humore morbifico concocto, natura inſurgit feliciter die ſeptima, infeliciter ſexta,& octaua? Inquit enim Galenus *1. de diebus decretoriis,c.2.Iudicia enim ſeu criſes ipſa omnibus diebus accidunt,ſed neque pares numero,neque ex æquali fide.* Et paulo poſt:*In duodecimo enim,& decimoſexto, nullum vnquam iudicatum vidi.In ſeptimo,ne ve numerare omnes adhuc poſſum.In ſexto iudicantur,ſed cum difficilibus ſymptomatis,& periculo maximo: adhæc abſque fide, imperfectè, obſcure, ſine notis,& ad malum.* Et *3.de diebus decretoriis c.8.Etenim,*inquit,*in ſecundo die natura quodammodo valida adhuc eſt:Item in quarto adhuc valida magis,quam in ſexto, ſed nondū in certamen venire audet.* Id tamen agenti ſine cognitione non conuenit.Præterea ſi eſt naturę occulta proprietas,vt per ſeptimos progrediatur,cur in die vigeſimo criſes fiunt longe plures, & potentiores, quam in vigeſimoprimo? vt docet Galenus *7.aphor.38.* Cur ſeptem dies,qui hebdoma-

Criſis morborum vnde

Natura vt agat.

Criſes meliores quo tempore fiant.

dam constituunt, integri non numerantur? Nec enim mẽsis, nec annus, integris diebus numerantur, ex Hippocrate *3. prognost. 4. lib. de iudicationibus post principium*, & ex Galeno *3. de diebus decretoriis c. 9*. Adhęc si natura per se ad crises insurgit, cur in continuis febribus per dies molitur crises, in intermittentibus vero per accessiones? Vt enim crises fiunt die septimo, sic & accessione 7. 14. 17. 20. 27. 34. & 40. Gal. *3 in primum Epidem. 17*. inquit. *Nam vt hæc septenis circuitibus iudicatur, eadem ratione alia nouenis circuitibus, alia vndenis, atque ita deinceps, pro numero decretoriorũ dierum*. Sic *4. aphoris. 36. Sudores*, inquit, *febricitanti boni, si inceperint die 3. & 5. & 7. & 9. 11. & 14. & 17. & 20. & 27. & 34. Hi enim iudicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam*. Sed cur in chronicis morbis mouetur natura diebus paribus, vt affirmat Galenus *3. de diebus decretoriis, c. 1. 8. & 9*. Neque verò esse potest proprietas morbi, vt die septimo naturam stimulet. Semper enim morbus per se operationes lædit immediatè, *1. de morborum differentiis c. 2*. (Quod enim alicui per se competit, & de omni, & semper.) Perpetuo igitur naturam stimulat. Sed si oportet naturam primo retinere, mox concoquere, tandem expellere; cur humores coctos feliciter die septimo expellit, octauo æquè coctos infeliciter, sexto æquè coctos infelicissimè? Galenus *3. crisium c. 10*. inquit: *Determinati siquidem sunt & ordinati naturæ motus, cum valida fuerit, & materiæ dominatur, & suis propriis rationibus operatur*. Rursus natura sæpe ab humore nõ stimulata ad crisim insurgit. Confirmat idem Galenus cum subdit: *Quæ enim in tempore fiunt opportuno, quod sane idem est, ac in statu & coctionibus, etiam si nullum adsit irritamẽtum, in calidis ac magnis morbis videmus accidere*. Rursus, si tunc fieret crisis, cum ab humoribus coctis excitaretur natura, vt contingit illam excitari ab humoribus in accessionum periodis, ordo dierum criticorum non esset certus, statutus, inuariabilis; nec maioris fidei esset dies septima, quam octaua, nona, quam decima. Vt enim humores, pro eorum copia maiore, vel minore, quòd natura in paroxysmis anticipet vel postponat, in caussa sunt: ita & æquè cocti humores, æquè stimulabunt die septima, vt in minori quantitate die octaua. Æqualis ergo fidei erit vtriusque

Crises febriũ continuarũ & intermittentium.

Natura motus determinati.

Paroxysmi cur nõ semper eodem tẽpore fiant.

Morbi acuti diebus 14. terminātur. diei crisis; quod Galenus non cōcedit. Præterea acuti morbi quatuordecim diebus terminantur, *2. aphorism. 23.* qui magna ex parte fiunt ex humore bilioso, habente accessiones de tertio in tertium, *2, de diff. febrium, c. 1. 1 aphoris. com. 12.* Ergo mouetur natura die quartodecimo potentissimè, quo die humor biliosus non facit accessionem: contra vero die 13. quo validum humor biliosus facit paroxysmum, debilissimè natura ad crisim insurgit, vt dicit Galenus *2. de diebus decretoriis c. 8.* Prǽterea dies iudicatorij impares, habent dies indicatorios pares: cōtra vero, dies critici pares, dies indices impares habent: & hoc totum fit in eodē morbi decursu, habētis accessiones diebus imparibus, vt docet Hippocrates *2. aphor. 24.* cum dicit: *Septenorum quartus est index; alterius septimanæ octauus principium. Est autem, & vndecimus cōtemplabilis, &c.* Quod in eo. com. & vbiq; obseruat Galenus. Picus autē in obseruationibus artis medicæ fidem Galeno præstandam esse plenissimè fatetur, cum dicit, *lib. eod. c. 16. Sit igitur illi fides in medicina, quanta maxima esse potest.* Ergo si nec à morbo, nec à morbi caussa prouenit ista proprietas, quam fatetur Picus, stimulās naturam certo die ad crises conficiendas, tum in morbis, tū in partu vtero gerentium, oportet caussam esse aliquā perpetuam, regularem, quæ naturam excitet, vno tēpore feliciter, alio vero contra. Rectè ergo Galenus *3. de diebus decretoriis, c. 6.* ad Lunę vires abditas caussam refert dierū criticorum, sequutus Ptolomęum & omnes Astrologos. Hoc multis rationibus confirmat Franciscus Vallesius, vir nostrorum temporum doctissimus, *lib. 10. contradict. medicin. c. 1.* Fuxius *super aphoris. 24. sect. 2.* Martinus Acachia Catalaunensis *super 1. librum Galeni ad Glauc. in fine*; Montanus *in exposi. 23. & 24. aphorism. sect. secundæ*, & plerique medicorum celeberrimi. Imo Auerroes, influxuum oppugnator, veritate compulsus, *3. Colliget, cap. 9.* inquit: *Et quidam dicunt, quod inuentio crisium hoc ordine est Luna. Sed tu debes scire, quod est caussa remota.* Ita Haly *primo theisir tract. 9. cap. 7. & 3. eiusdem tracta. 1. cap. 1.* Nec quia mensis ille medicinalis, quem excogitauit Galenus, à Pico non probetur, vt nec a Conciliatore *diff. 104.* nec à Manardo *epist. 5. libri 15.* ideo erit Galenus abijciendus. Ipsum enim tuentur egregiè, & oppositas prædictorum rationes propulsant

Dies iudicatorij & indicatorij.

Caussa dierum criticorum

Mensis medicinalis Galeni.

ſant atque diſſoluunt, Matthæus Curtius ſuper *aphoriſm. 24. lib. 2.* Oddus de Oddis *in eiuſdem loci expoſitione*; & Chriſtophorus Vega *in 3. prognoſticorum. Hippocra. in principio.* Quòd ſi Galenus in illo menſe veram cauſſam non fuerit venatus, vt ipſemet innuit *lib. eod. cap. 9.* cum inquit: *Ac exactam quidem vel miſturam, vel ablationem Deus tātum nouit*: an idcirco cœlos eſſe cauſſam illorum erit negandum? an quia modum, quo id præſtent ſtellæ, ignoremus, ſtellis vires quas habent abnegemus? De cœlo enim longè plura ſunt, quæ ignorant homines, quam quæ cognoſcūt. Ideo Auerroes *14. diſput. deſt. in ſol. 3. dubij* inquit: *Sed concedendum eſt, ſecūdum veritatem, quod humanus intellectus valde deficit in ratione, vel cauſſis naturalium rerū, maximè in illis altioribus & ſublimibus corporibus, quorum neſcimus quantitatem, & eſſe earum ſubſtantiarum totaliter ignoramus.* Hæc Auerroes.

Cœli natura maiore ex parte incognita.

Pici Mirandulæ Rationes Diluuntur. CAP. XIX.

MVltas adducit rationes Picus ſuis duodecim libris aduerſus Aſtrologos, quarum plurimæ euertunt futura diuinātes circa actus humanos: quas rationes efficaces exiſtimamus, & vltro admittimus. Alias affert, quibus Lunam dierum criticorū cauſſam non eſſe contendit contra Galenum: quas quia clariſſimi Medici diſſoluunt, non eſt vt examinemus. Poſtremo enititur multis probare, ſtellas præter lumen & motum nullas vires habere, quas dicunt influentias. Quæ quoniam pugnāt cum illis, quæ ſupra monſtrauimus, in præſentiarum expēdemus. Potiora, quæ adducit, argumenta hęc ſunt. Primo, Cœlum eſt cauſſa vniuerſalis, quæ cum omnibus facit omnia. Sol enim & homo generant hominem: Sol & leo leonem. Sed cauſſa vniuerſalis effectus non diſtinguit. A proximis enim cauſſis omnis effectuum diſtinctio, & diuerſitas prouenit. Ergo nō habet peculiares influxus effectuum particularium productiuos. Secundo, arguit *lib. 3. cap. 5.* ſic. Omnium ſtellarum naturam ſequitur lux: ergo omnes ſtellæ luce ſua calorem producunt. Ergo præter calorem nullas habent vires peculiares ac proprias: alioquin ſequeretur, quod ſtellæ

Rationes Pici contra ſtellarum influentias.

1.

ſtellæ propria ratione, ac, vt ita dicam, ſpecificam haberent naturam longè imperfectiorem, quam habent ratione generis: quod falſum eſt. Nam differentiæ, quæ diuidūt genus, addunt generi perfectionem. Hoc eſt euidens: nam actione communi calefacient: propria refrigerabunt. Calefactio autem eſt actio refrigeratione longe perfectior.

3. Tertio, nihil alicui competit ratione propria, cuius contrarium eidem conueniat ratione ſui generis: (ſecus idem haberet duas actiones contrarias per ſe, & ſecūdum quod ipſum.) Sed ſtellæ ratione generica calefaciunt: ergo ratione ſpecifica refrigerare nō poſſunt.

4. Quarto, Ariſtoteles (vt omnes alios ſileam, quos *libro 1.* recenſet Picus,) maximus Naturæ indagator, nullibi de his influxibus fuit loquutus. Vbique enim, libris de cœlo, de generatione, Meteororū, de partibus, & generatione animalium, vbi de cœli viribus agit, de lumine & motu ſolum verba facit; profecto nō tacuiſſet hos influxus, ſi veros philoſophus iudicaſſet. Ad has Pici rationes egregiè reſpondet Franciſcus Ferrarienſis ſuper Diuum Thomam *3. contra gentes c. 84.* Nos autem alias adducemus reſponſiones, quæ nobis magis arrident.

Solutio rationū Pici.

1. Ad primum, cum dicit, cœlum eſſe cauſſam vniuerſalē, ſi putet vniuerſale, quatenus omnes ſublunaris mundi perfectiones claudit, admittimus: ergo effectus non diſtinguit: falſa eſt conſequentia. Si putat vniuerſale, quatenus concurrit ad omnium agentium naturaliū operationes, concedimus: ergo ab eo non prouenit diſtinctio in effectibus, eſt verum in illis, quæ habent cauſſam communem, & particularem, merito quorum commune dicitur, & indifferens. Sed in effectibus, non habentibus cauſſas particulares, id verum non eſt. A cœlo enim immediatè determinata prouenit actio, in materia determinata. Calor enim cœli ex capite bouis putrefacto veſpas generat immediatè, vt ex capite vaccæ putreſcentis muſcas, & ex qualibet putri materia ſponte naſcentium vnumquodque; nullo agente particulari ad illorum generationem immediatè concurrente, vt alibi monſtratum à nobis eſt. Rurſus hæc nihil ad rem noſtram, qui putamus tempeſtates, ſerenitates, vulgares morbos, morborum criſes vniuerſales effectus eſſe, ac à cœlo, vt ab vniuerſali cauſſa, pendere per vniuerſales influxus. Præterquam quod neque dicimus cœlum producere

Cœlum quomodo cauſſa vniuerſalis.

Caloris cœli effectus diuerſi.

commu-

communes morbos, crises, vbertates, ac tempestates, sine concursu sublunarium agentium, & dispositione patientium: concurrunt enim ad hæc tum aer nos ambiens, tum natura, quæ nostrum corpus regit, tum aliæ caussæ, vnde stellarum impressiones non semel impediūtur. Sic Hippocrates pestem venientem Athenas propulsauit, vt Galenus & Soranus affirmant, & non semel tum ægroti, tum Medici futuras crises morborum impediunt & euertunt. Tādem ex his non valet, cœlum non habere influxus, quia communis sit caussa. Vt enim per lumen communes effectus producit, sic per communes influxus cōmunes ægritudines, & communem annonæ caritatem, vel vbertatem: qui effectus, & communes sunt, & inter se diuersi, atq; etiam contrarij. Hoc fatetur etiam Picus veritate coactus *li. 3. c. 25.* cum dicit: *Sed erit quidem Iouis alia, quam Saturni proprietas:* licet statim hanc veritatem inuertat, cum subdit: *Sed quicquid potest Iupiter, potest Saturnus:* quod rectè dictum non est. Licet enim totum cœlum possit eminenter, quicquid possunt omnia sublunaria naturaliter, non tamen quælibet cœli stella seorsim potest totum id omne, quod potest cœlum vniuersum. Tunc enim ad quid tot stellas & Planetas multiplicasset Natura? Quomodo Saturnus, & Sol diuersas haberent, vt dicit, proprietates? si quicquid potest vnum sidus, potest & reliquum. Rursus, si diuersorum siderum facultates vires suas exerceant, (otiosa enim non sunt,) an producent omnia eosdem effectus, an diuersos? Si primum; non habebunt diuersas proprietates; Potentiæ enim distinguūtur per actus, & actus per obiecta. Si secundum; ergo à causa cōmuni proueniet diuersitas, & effectuum distinctio. Neque vero, quia cœlum est corpus simplex, inde valet, quod quicquid potest vnū cœlum, vel vna stella, possint idem & omnes. Cur enim non omnes cœli eodem motu mouentur? cur motibus contrariis? cur non omnes stellæ sunt, vt est Sol? cur non omnes vt Luna, à Sole lucem recipiunt? & si recipiunt, cur non eclipsantur vt Luna, saltem Planetæ infra Solem excurrentes, terra inter illos & Solem posita? Est ergo cœlum, vt quoddam magnum animal, ex diuersis orbibus, Planetis, stellis, motibus, virtutibus, & operibus conflatum, vt docet Auerroes *2. cæli, com. 42. & 71. & 3. disputat. destructionum. in so-*

Stellarū impressiones à quibus impediantur.

Cœlum influxus habet, licet sit caussa communis.

Stella nō potest, quod cælum vniuersum.

Stellarū vires diuersæ.

Cœlum vt animal magnum.

2. lutione 18. Ad ſecundum reſpondeo, quod ſiue dicamus omnes ſtellas recipere lumen à Sole, vt dicit Plato *in Timæo*, Plinius *lib.2.c.6* & Ptolemæus *lib.4. magnæ compoſi.c.1.* ſiuè omnes excepta Luna habere lucem ex ſeipſis, vt Auicennas, & Macrobius affirmant: Dico, quod lux non eſt ſtellis differentia generica. Si enim talis eſſet, illis per ſe, & ſecundum quod ipſum conueniret: quare & omnibus: quod verum non eſſe Lunæ natura demonſtrat. Ergo erit proprietas conſequens ſtellas, ſed non omnes, vt eſt proprietas hominis, eſſe animal greſſibile: Et tunc non valebit Pici aſſumptum de differentia generica & ſpecifica. Secundo etiam ſi gratis concederemus, lucere eſſe genericam differentiam ſtellarum, erit generis non vniuoci, ſed ab vno, vel ad vnum: in quo genere (cum reducatur ad æquiuocum) nulla eſt differentia eſſentialis, ab omnibus ſpeciebus realiter diſtincta. Rurſus nec eſt verum: Omne per ſe lucidū, eſſe per ſe caloris productiuum. Lumē enim, lux, & radius per ſe calorem non producunt, niſi radius reflexus, & multiplicatus: aliter omnes ſtellæ, omnes radij, omnia corpora, ſuaptè natura luminoſa, neceſſario calefacerent: & ita gemmæ, oculis Felis, oculi Leonis, quercus putrida, per ſe calefacerent. Sic media aëris regio, quæ diaphana eſt, & Solis radios recipit, calida eſſet. Ergo nec eſt neceſſario verum, quod infert Picus, ſtellas omnes, quia lucidę ſunt, calefacere. Rurſus, etiam ſi calefacerent omnes ſtellæ, non omnes æque vt Sol, calorem producerent, ſed quædam vel debiliſſimè, vt remotiſſimæ à terra, quarum calorem ſenſus noſter non percipit: & tūc nec erit vera Pici illatio, ſtellarum propriam vim refrigerandi ignobiliorem eſſe communi actione calefaciendi. Eſt enim maioris actiuitatis ſummè refrigerare, quam debiliſſimè calefacere. Ad extremum nec eſt abſurdum, aliquando in ſpeciebus reperiri proprias differentias, differentia generis ignobiliores, vel æque ignobiles. Hinnibilitas enim ſenſibilitate eſt ignobilior. Cum autem dicimus, ſpeciem addere generi perfectionem, non perfectiorem formam neceſſario debemus intelligere, sed perfectionem, id eſt, actum ἐντελέχειαν, quatenus addit formam, quæ genus contrahit, & ſpeciem cōſtituit. Non tamen eſt perpetuo neceſſarium, vt addat formam nobiliorem forma generis. Ad tertiū, ex dictis patet,

Lux non eſt differentia generica ſtellarum.

Lucida vt calorem producant.

3. nec

nec omnes stellas, quę lucent, calefacere; nec si calefacerēt omnes, & quędam earum etiā refrigerarent, valeret, simul esse cōtrarias operationes per se. In æternis enim proprietates, quæ producunt contrarios effectus, contrariæ inter se non sunt. Quare etiamsi Saturnus sua luce calefaceret, propria influentia refrigeraret, & ita produceret calorem & frigus, effectus inter se contrarios, in seipso contrarias facultates non haberet. Vt nec species rerum contrariarū cōtrariæ sunt in anima, neq; Sol, qui calefacit, calidus est. Et Pico etiā authore, *lib. 3. contra Astrologos c. 4.* cœli calor continet potestate calorem, & frigus, & nec frigori, nec calori contrarius est. Ad quartum, Aristoteles de illis cœlorū abditis viribus, à motu & lumine distinctis, nō fuit loquutus: Eas enim sua methodo physica venari nō poterat, quę à notioribus nobis ducit exordium, vt patet *1. physic. 2.* Ideo de solo lumine & motu, notiorib. nobis, fuit loquutus; influxus autem, licet non protulerit, non negauit, & illos introducētes nullibi reprobauit: quod fecisset, si falsos putasset, & cœlo non congruentes, qui in confutandis aliorū sententijs fuit tam accuratus. Imo influxus vel aliqua ratione insinuauit, *vt 4. de gen. animalium c. 10.* vel manifeste recepit in libris extra naturalem philosophiam, *vt 1. poli. c. 7.* & Astrologis Babylonicis, & Ægyptijs, illos introducentibus, multam fidem præstandam asserit *2. cœli 60.* Nec Aristo. de cœlo, & eius viribus omnia venari potuit; imo de æternis plurima ignorasse fatetur *1. de part. animal. cap. 5.* cum dicit: *Substantiæ, quæ natura constant, partim ingenitæ, immortalesq́ue seculis omnibus sunt: partim ortus particeps, atque interitus intelliguntur. Sed partem illam æternam, & proinde nobilem, ac diuinam minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius nostro sensui patent, quorum beneficio, tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi indagandique suppeditetur.* Et *2. cœli 61.* inquit: *De his igitur quærere quidem bene se habet, & ad eam, quæ ad plura se diffundit, intelligentiam, quamuis paruas habeamus c... s, tantaque elongatione discemus ab ijs, quæ circa ipsa accidunt.* Hæc Atistoteles.

* * *

An stellæ omnes calefaciant.

4\.

Aristoteles cur nihil de influxu tractauit.

Diluitur ratio Medici recentioris contra Astrologos. CAP. XX.

QVidam ex nostris vir eruditus, vbi in hanc de stellarũ influxibus disputationẽ incidit, hæc habet verba: *Vt penitus Astrologantium rationes euanescant: Quoniam aliã habere proprietatem in eorum substantiis, qua in his agũt inferioribus, benignitatem vel malignitatem (vt isti credunt) influentem, præter lumen & motum, quæ illis primo insunt, repugnat Aristotelis principiis. Essent enim astra ipsa composita, & non simplicia corpora, cum proprietas indiuiduale arguat, ac diuersarum substantiarum mistionem, pro vt lapidi sideriti in attractione ferri, & carni sanguinis inest proprietas, ex Galeno 3. de simplicium med. facu. c. 24.* Verum ad vnam veritatem rationem hanc expẽdamus. Primum rationis huius Auctor suis dictis influxus confirmat, quos intendit euertere. Postquam enim dixit, præter lumen & motum astris nullam inesse proprietatem, statim subdit: *Vnde nec Lunæ motus quocunque modo humano corpori illatus, seu siderum in medicationibus est spectandus: quoniam cum sit ex alterationum genere, non potest nisi turbationem quandam primo in aere, postmodum nostri corporis humoribus inferre.* Concedit ergo Lunam humores turbare. Sed non turbat lumine, nec motu suæ lationis in gyrum. Igitur vt proprietate, à lumine & motu diuersa, turbet necesse est. Euidens est ratio. Tempore enim coniunctionis maximè humores turbat, omni tamen lumine priuata est, vt *3. de diebus decret. c. 3.* Galen. Motus vero Lunæ circularis, vt & omnium cœlorum, infra supremam aëris regionem non se extendit; secus enim & media aëris regio frigidissima non esset, cum motus sit ignire ligna lapides, & ferrum, *ex Aristot. 2. cœli. 42.* Neque nubes in ea cogerentur, vt monstrat Arist. *1. meteor. sum. 1 c. 4.* Rursus dicit, proprietatem arguere indiuidualem mistionem ex diuersis substantijs. Sed fatetur lumen & motum esse stellarum proprietates, quæ illis primo insunt. Ergo vel stellæ non erunt simplicia corpora, quod falsum est: vel non erit vniuersaliter verum, proprietates arguere mistionem ex diuersis substantijs. Nec est, quod fortè putet, proprietates, quæ manifestarum qualitatum non sunt, sed à forma specifica profluunt, quas totius sub-

Humorum tempore coniunctionis turbatio.

Proprietates à tota substantia.

tius substantiæ appellant, à mistione diuersarum substantiarum prodire. Primũ enim ex his nõ valeret illatio, quod omnium rerum proprietates mistionẽ substantiarum arguerent. Deinde neque est verũ, specificas formarum proprietates & actiones à forma specifica, &, vt dicunt, à tota substantia prodeuntes, necessario mistionem arguere diuersarum substantiarũ. Lumen enim Solis à tota eius substantia prodit. Nam qualitatum manifestarum expers est Sol in sui natura. At vero maximè omnium stellarum calefacere, Solis esse proprietatem dicit Auerroes *2. cæli com. 42.* Mistus tamen ex diuersis substantijs nõ est Sol, nec Solis radius. Præterea anima rationalis propriam habet operationem, à corpore separatam, *ex Arist. 2. de gen. anim c, 3.* immixta tamen est, vt patet *3. de anima 4. 5. & 6.* & omnino à corpore separabilis ac immortalis, *2. de anima 21.* Adhæc cœlum simplex est corpus, *ex Arist. 1. cœli 8.* nullo modo ex diuersis substantijs commistum, ex principijs Arist. esset enim corruptibile. Nam secundum Peripateticos omne compositum est nouum, *ex Auer. 12. metaph. com. 39. & 3. disp. dest. in fol. 19. dubij.* Est autem cœlum nec graue, nec leue, inalterabile, inaugmentabile, ingenerabile, incorruptibile, sine contrario, ex Arist *1. cœli 20. & seqq.* causa perpetuæ transmutationis sublunarium, *ex Arist. 8. physi. 47.* vt ibi explicat Auer. Hæ cœli sunt proprietates, cũ illi soli, omni, & semper conueniant, nulli corpori, nec simplici, nec misto, præter cœlum. Proprium autẽ quarto modo illud est, quod rei conuenit omni, soli, & semper, *ex Porphyrio c. de proprio, & Auerr. in paraphrasi.* Accedit quod Lunæ est, terra inter eam & Solem posita, eclipsim pati, *ex Arist. 8. metaph. 12. & 13.* Solius Lunæ est hæc proprietas, nullius præter Lunam. Rursus, ignis simplex est corpus, *ex Arist. 1. cœli 7.* At inter omnia, quæ generantur & intereunt, solius est ignis non putrescere, *ex Arist. 4 meteor. tex. 5.* vnius ignis est, in infinitum augeri, quousque fuerit combustibile, *2. de anima 41.* Ab ignis specifica forma prodeũt hę proprietates, illi soli & semper conueniunt, nulli pręter illum. Falsum ergo est in doctrina Arist. proprietates arguere mistionem ex diuersis substantijs. Sed probat hoc in magnete & carne authoritate Gale. *3. simp. c. 24.* Primum quod proponit repugnare doctrinæ Aristo. probat per doctrinam Ga-

Proprium Solis.

Cœlum sine contrario.

Proprium Lunæ.

Ignis proprietates.

Proprietates nõ arguant mistionẽ ex diuersis substantiis.

 leni,

Galenus oppugnator Aristotelis.

leni, quasi esset Galenus sectator Aristotelis, non potius illius oppugnator acerrimus. Deindè nullibi Gal. dixit vnquam, magnetem idcirco trahere ferrum, & carnem sanguinem, quia mista ex diuersis substantijs sint. Rursus nullibi dixit vnquam Gal. loquens vniuersaliter, proprietates necessario in omni rerum ordine prodire à commistione diuersarum substantiarum. Præterea Gal. *3. simp. c. 24.* vt legit versio Theodorici Gerardi, ab Augustino Gadaldino emendata, nō dicit magnetem trahere ferrum, quia commista ex diuersis substantiis, sed medicamenta trahere succos, quæ si quandoq; suo fine frustrentur, quædam extremè lædere, quędam in nutrimentum mutari. Reddens autem rationem huius diuersitatis, dicit, in medicamentis intelligere oportet multas diuersi generis mistas esse substantias. Capite autem 25. versionis eiusdem, dicit quidem magnetem trahere ferrum, carnem sanguinem: non dicit autem attrahere, quia cōmista sint ex diuersis substantijs, sed quia similia & fortiora. Verba Galeni hæc sunt: *Verum quæ attrahunt, quodammodo esse efficaciora valentioraque, sicuti magnes lapis ferro: quippe qui ad ferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique magnopere speciei persimilis sit. Verum fortior est quodammodo, vt attrahere sit aptior, quam attrahi.* Et paulo post: *Sed quia attractiones substantiarum fieri similitudine ostendimus.* Et tandem: *Etenim similitudinem in esse substantiis diximus, non identitatem: contrarium enim cernimus. Nam neque ferrum attrahit ferrum, neque caro carnem, sed lapis sideritis ferrum, caro sanguinem. Differunt enim, mea quidem sententia, idem & simile.* Locus autem, vbi Galen. dicit proprietatem prodire à mistione, est *4. simp. 15.* ibi tamen de omnium rerum mortalium, & æternarum proprietatibus non loquitur, sed tantum earum, quæ ex elementis commistæ sunt. Dicit enim: *Ex quatuor elementis, particulatim corporibus omnibus constare generationes, impares misturа, ac diuersæ.* Et mox subdit: *Ex eiusmodi itaque imparitate proprietates corporum particularium sunt perfectæ: ex elementis quidem, plantarum: ex his autem, animalium, sicut in libris de elementis demonstratum est.* Ita Auerro. *5. colliget c. 24.* dicit, proprietatem esse operationem, quæ transit ab vno ad aliud, propter proportionem mensurarum ele-

Cur magnes ferrum, & caro sanguinem attrahat.

Attractiones substantiæ similitudine fiunt.

men-

mentorum, quam habet vnum ens cum alio. Sed loquitur de proprietatibus medicinarum & ciborum. Ex his patet, arguere à mistorum proprietatibus ad proprietates rerum omnium, fallaciam esse à secundum quid ad simpliciter. Neque valet arguere à sublunaribus ad æterna, quæ specie & genere differunt, *ex Arist. 10. metaphysic. c. 9.* Tandem cœlorum vires abditæ nobis sunt, cum paruas habeamus caussas, tantaque elongatione ab ijs distemus, vt *2. de cœlo, 61.* dixit Aristoteles.

Cœlorum vires nobis abditæ.

DISPVTATIO VI.

An dentur morbi à tota substantia. Opinio Alexand. Massariæ, & Marcelli.

CAP. XXI.

MArcellus libello suo de morbo pandemico *fol. 20.* inquit; *Tria tantum genera morborum nos docuit Galenus, & non hoc quartum, quod morbum formæ, ac totius substantiæ, alijsque nominibus commentati sunt noui isti medicinæ scriptores: cum alios morbos, quam ex intemperie, mala compositione, & soluta vnitate inuenire aut excogitare opus non sit.* Accepit Marcellus hanc sententiam à clarissimo viro Alexandro Massaria, qui *libro de abusu vesicantium folio 12.* inquit: *Fernelius, & Argenterius, & alij nostrorum temporum nouatores, inter quos fortè Saxoniam quoque licet numerare, contendunt, ab ijs occultis caussis morbos in nobis excitari, qui non manifestis qualitatibus, sed totius substantiæ dissidio vitæ nostræ primordia demoliuntur. Quare præter Galeni disciplinam, qui tria tantum morborum genera nos docet, nescio quas occultas qualitates commenti sunt, quas morbos formæ, totius substantiæ, & alijs nominibus vocant.* Hæc Massaria: qui ad hoc probandum argumentum affert, quod putat Achillem, cum subdit: *Ac sanè si vnquam licuit, vel venenatam qualitatem, vel morbum occultum inducere, id maxime in rabie canina videtur licitum esse. Namque si consideretur caussa, & modus, quo hic morbus originem habet, & progressionem facit, nec non symptomata, quæ tandem superueniunt, nemo est, qui non summa cum ra-*

Massaria reijcit morbos à tota substantia.

Ratio Massariæ à rabie canina.

tione debeat mirari, & stupescere: cum videamus modicam spumam, leuissimam plagam: & si nullum protinus in loco affecto appareat notabile symptoma, tamen post duos, tres, quatuor & aliquando plures menses, & integrum annum, timorem aquæ, delirium, rabiem & certissimum interitum afferre. Veruntamē si quæras, quis nam, aut qualis sit hic morbus, qui in rabie canina excitatur, tibi respondet Galenus, morbum nō esse occultam qualitatum proprietatem, morbum totius substantiæ, sed intemperiem calidam, & siccam, quæ in solidis animalis partibus inducitur. Secundo in primum prorrheticorū com. 17. vbi inquit, loquens de timore aquæ: De quo medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas fieri videbatur, atque vna adaucta naturalis caliditas in igneam conuersa. Affectionem hanc caninum virus parit longo tempore, hoc est paulatim: atque ob id immedicabilior existit, quod partium solidarum substantia in aliam transeat cōditionem veluti in vitiliginibus. Tanti fuit hęc Massariæ ratio apud Saxoniam, vt cùm in sua prima editione de vsu vesicantium, visus fuerit admittere non modo caussas, & agentes à tota substantia, verum etiam & morbos: in secunda tamen sua de phænigmis editione, quam edidit ad Massariæ librum, morbos a tota substantia omnino vituperet, vt planè à seipso dissentire videatur. Et ne gratis virum præclarissimū notare auserim; verba eius libro primæ editionis *fol. 7.* hæc sunt: *Quibus sic declaratis, etiamsi iam luce clarius constare putem, non modo pestiferam febrem cum legitima peste in hoc communi cōuenire, quod scilicet ab occulta, & venenata qualitate quadam proficiscatur, verumetiam & hâc vnam caussam à cæteris omnibus febribus formali, & essentiali, vt dicūt, distinctione differre;* Et paulo post: *Itaque sola occulta & venenata ipsa qualitas legitimam pestilentem constituit. Hanc ipsam à cæteris omnibus febribus, & morbis distinguit.* Hæc ille. Quod autem rem constituit essentiali, atque formali differentia, & à reliquis essentialiter distinguit, eius est essentia, quod quid erat esse, & forma. Oppositum vero dicit in secunda editione *lib. 2. c. 18.* cum dicit: *Et ideo venenatā qualitatem, nō morbum, sed caussam, & omnium morborum principium diffiniui, & nunc etiam diffinio;* Et mox: *Ego enim hos morbos, non minus quam Massaria ex toto reprobo.* Et tandem: *Ego itaque, quid in hac parte Massariæ responde-*

Rabies canina qualis morbus secundū Massariam.

Saxoniæ opinio.

re de-

re debeam ignoro: si enim me tanquam morbi à tota substantia assertorem accusat, iam dictum est, nullum me occultum, & à tota substantia constituere morbum, & ideo ab eo in hac re differentem non esse. Hæc Saxonia.

Opinionem euertit; & primo, caninam rabiem morbum à tota substantia constituere demonstrat. CAP. XXII.

CÆterum rectè dictum non puto, morbos à tota substantia non inueniri, à tribus illis generibus, a Galeno positis, diuersos. Primum id eodem Massariæ argumento euidens est. Nam si quærat Massaria à Galeno, quem morbum constituat in homine caninum virus? profectò intẽperiem calidam siccam nullibi de propria mente respondebit Galenus, vt putat. Nam *com. 17. secundi in 1. prorhet.* nõ dicit se hoc sentire, sed alios medicos ita putasse, è quorum numero fuit Pelops. Verba eius eo loco hæc sunt: *Noui sane & quendam, qui exacto anno eum incurrit affectum, quem hydrophobiam, id est aquæ timorem vocant, de quo Medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas fieri videbatur.* Hæc Galenus, Ex horum medicorum numero fuit Pelops, non fuit Galenus. Hoc patet ex verbis Galeni *lib. 11. simpli. cap. de cãcris fluuialibus*, vbi dicit: *Cæterum Pelops Doctor meus, & ipse omnium eiusmodi causas reddere volens, non abs re inquit: Cancer, cum animal sit aquaticum, prodest à cane rapido morsis, quibus videlicet metus est, ne corripiantur affectu siccißimo, nempe rabie: quam ob rem sane etiam aquam metuunt. Ac fluuiales, non marinos, conuenire cancros dictitabat, scilicet quod animalia marina, ob admistionem salis natura siccißimi, haud aque exactam tueantur eam; quæ est aduersus rabiem, contrarietatem,* Et non nullis interpositis verbis: *Hæc igitur sane Pelops dicebat, profitens ambitione quam magna, iactitans omnium se talium nouisse causas. At ego nisi plane me scire quippiam persuasum habeam, aliis persuadere tento.* Ergo Pelopis fuit sententia, canem rabidum inducere affectum siccissimum, cancros fluuiales cõferre: nam animalia sunt aquatica, nec omnia, quæ degunt in aquis, idem efficere: similem enim cancris præparationem non admittunt. Galenum vero non puta-

Morbos à tota substantia reperiri probatur.

Caninum virus quem morbum in homine constituat.

Morbum à rabie canina qui fit, occultum esse probatur ex Galeno.

re, siccissimum fore affectum, nec ob manifestam illam contrarietatem à cancris iuuari: sed occultum esse morbum, & à cancris occulta substantię proprietate curari patet. Subdit enim: *Itaque neque Pelopis rationem ut ueram accepi, ut quæ crebras habeat contradictiones.* Rursus, si intemperiem siccam putat hunc morbum Galen. cur vt Pelops, non sic ipse contrariam aquatici animalis dispositionem, caussam curationis admittit? cur non reprobat Æschrionem, qui hos cancros præparabat post ortum caniculæ? Cur cinerem cancrorum exsiccatorium dicit Galenus?& si exsiccatorius est, quomodo siccissimus erit morbus, quem curat: cum morbus in intemperie à simili non curetur? Cur tandem, inquit Galenus, cancros non alia ratione conferre, quam occulta proprietate? Eius verba hæc sunt in principio eiusdem capitis: *At fluuialium cancrorum cinis, quamquam similiter prædictis exsiccatorius est, substantiæ tamen proprietate mirabilis eius in iis, qui à rabiente cane sunt morsi, effectus.* Et paulo post: *Cæterum seorsum etiam librum conscribam aliquando, de ijs, quæ proprietate substantiæ totius quid agant, è quorum numero sunt id genus omnia.* Et tandem: *Verum cancros opinor ex proprietate totius substantiæ prodesse.* Hæc Galenus. Ergo si canis rabidi affectus est intemperies calida sicca, cur rebus occulta substantiæ proprietate pugnantibus curatur? cur non frigidis humidis tantum? Adhæc curatio debetur caussæ tantum, an magis ipsi morbo? & si morbo, dum curatur morbus contrarijs à tota substantia, an quia & ipse lædit operationes à tota substantia?& si sic; cur ergo non erit à tota sua substantia morbus? Rursus sit hic affectus caninus in sola intemperie calida sicca, an poterit curari frigidis humidis, an non? Si non: ergo non erit rectè dictum Hippocratis 2. *aphorism.* 22. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas?* Si sic: ergo vni duo erunt contraria, vtpotè morbo calido sicco, frigida humida, & totius substantiæ proprietate occulta pugnantia. Præterea, remedia quæ in canina rabie curant, & præseruant caussam, eadem curant affectum ab illa caussa productum: ergo affectus est eiusdem naturæ cum caussa. Antecedens est Galeni 2. *aphoris.* 22. cum dicit: *Nonnunquam præser-*

Cinis cancrorum.

Cancri à substantiæ proprietate prosunt morsis à cane rabido.

Canina rabies quibus potissimum curetur.

præseruari dicentes, ne morbus, qui iam incipit generari, ad complementum perducatur. Nonnunquam vero curari, quẽadmodum in ijs, quos canis rabidus momorderit. Quæ enim ipsis adhibentur medicinæ, duplicem habent appellationem. Nam nonnunquam rabiei remedia dicuntur, ac si dispositionis, quæ rabiem fecerit, dicerentur. Nonnunquam vero non remedia præsentis dispositionis appellantur, sed à rabie futura præseruantia. Hæc Galenus. Consequentia patet. Nam si eodem antidoto caussa & morbus aufertur, eiusdem naturæ caussam & morbum esse necesse est. Nam eadem corruptione, corrumpuntur quæ eadem generatione generantur, & eiusdem sunt naturæ, quæ eadem vni tertio sunt æquè contraria. Ad hæc, si morbus est in intemperie calida sicca, cur illo effecti, adeo vehementer aquam frigidam humidam expauescunt, vt non modo aquam, sed & aquæ nomen, sed & liquida omnia horreant adeo, vt mori potius eligant, quam illam degustare, vel ad eam deduci? Democritus apud Galenum *2. de antidotis cap. 15. Et aquæ,* inquit, *& potus omnis inanem metum, vsque adeo, vt si aquæ tantillum videat, & conuellatur æger & statim tremat.* Eudemus sectator Themisonis, se vidisse aliquos refert, cane rabido demorsos, qui etiam proprias lacrymas expauescerent. At si hic aquæ timor eius morbi calidi sicci est symptoma, cur & marasmus, qui summam siccitatem, & caliditatem in solidis partibus inducit, eundem aquæ timorẽ non infert? Quod si aquam expauescant, (nam corrupto mentis iudicio, quod eis prodesse possit, nõ intelligunt, vt dicit Galenus *lib. de Theriac. ad Pisonem c. 16.*) cur & marcor, qui & ipse est exstinctio calidi innati præ siccitate, eãdem nõ infert iudicij corruptionẽ? cur delirium & mania, quæ deprauant & corrumpunt mẽtis iudicia, aquæ timorem non inducunt? Vel cur canina rabies timet aquam, non cibos? non tonitrua; Et si iudicium habent læsum hoc morbo affecti, an habent memoriam integram, an non? Si sic; cur nomen aquæ formidant, qui ab aqua nunquam læsi fuêre? Si non, quomodo aquæ recordantur? Præterea, cur mingunt vrinam, in qua apparent vt viuę canum imagines, vt testis est Alzarauius *lib. suæ practicæ, trac. 30. sec. 2. c. 3.* Auicennas *lib. 4 fen. 2. trac. 4. c. 7.* vbi dicit: *Et quandoque mingit rem, in qua apparent res carnosæ mirabiles, quasi*

A cane rabido morsi aquam expauescunt.

ſint animalia, & quaſi parui canes. Quod confirmat Raſis *lib.3.c.495.* Rurſus, vel cum iſta intemperie calida ſicca, eſt complicatus alius affectus, vel nullus. Si ſic; talis non erit in compoſitione, neque in ſolutione continui. Hi enim affectus non inducunt cogitationem corruptam, deliria, ſpaſmos, ſitim, ſingultum, luminis auerſionem, gentis timere, ſemen inuoluntarie emittere, ſudores frigidos, ſyncopas, & alia quæ præter aquæ timorem inducit hic affectus, vt ibidem dicit Auicennas. Si ſola eſt intemperies, vel illa per ſe hæc ſymptomata non inducet, & ita erunt ſymptomata ſine morbo: vel omnis intemperies calida ſicca eadem ſymptomata concitabit: quod experimento repugnat. Quod autem eſt per ſe tale, ſemper & omni tempore eſt tale. Rurſus ſi eſſet in ſola intemperie calida ſicca, non eſſet affectus cõtagioſus. At homo rabido cane commorſus, alios mordere eſt paratus, & commorſos ducit contagione in eãdem rabiem, Inquit enim Auicennas: *Quod ſi momorderit hominẽ apud commotionem vel furiam ſuam, accedit illi homini illud, quod accidit ei.* & panni eius ſaliua infecti in rabiem ducunt hominem illos ore lambentem, vt de puella Sartrice narrat Cœlius Aurelianus. Sed ab intẽperie calida ſicca per ſe contagium non prouenit, vt monſtrat Fracaſtorius *lib.1. de contagio c.10.* Præterea, cur homo à cane rabido commorſus, ſi ſanus euaſerit, vbi ſub arbore ſorbo dormierit, iterum in rabiem agitur? Hoc ſi inde fit, (nã, vt inquit Fracaſtorius *lib.2. de cont c.10.* arbor illa melancholici temperamenti ſuis vaporibus iterũ rabiem ſuſcitat:) cur arbor melancholicæ naturæ morbum generat calidum ſiccum, non frigidum ſiccum? cur nux, cupreſſus, auellana, pinus, & reliquæ eiuſdem temperamenti arbores eandem rabiem non concitant? cur non redeunt in rabiẽ, ſi quartana illis ſuperueniat? An non potius occulta vis eſt in morbo? Ideo Auenzoar *lib.1. tract.5. c.15.* ait: *Fieri nõ poſſe, vt reddatur vera cauſſa huius effectus. Etenim multa alia habentur in hoc noſtro orbe ſublunari, quorum non eſt hominis rationem veram reddere.* Ad extremum cur hunc affectũ curant res calidæ ſiccæ? vt Gentiana, ex Galeno *11. ſimplicium,* & ex Dioſcoride *c.37 lib.6.* Gentiana enim calida eſt in tertio, ſicca in ſecundo, auctore Auicenna *lib.2. tract. 2. c.281.* Et, vt inquit Gal. *6. ſimp. Huius herbæ radix multum eſt effi-*

A cane rabido commorſi, alios eodẽ afficere poſſunt morbo.

Sorbus à rabie canina ſolutum, in eandem redigit.

Gentiana curat rabiẽ caninam.

est efficax, cum opus est extenuatione, purgatione, abstersione, obstructionis liberatione. Nec mirum, si hoc possit, cum impense sit amara. Rursus cur est, quod canis rabidi morsum Medici curant theriaca? vt patet ex Andromacho referente Gal. *li. de ther. ad Piso. c. 6.* quæ admodum calida est, *ex Gal. lib. eod. c. 17.* Tande cur Galenus *6. simplicium* inquit? *Nuncupata est hæc herba Alysson quod mirificè iuuet morsos à cane rabido. Sed & rabienti quoque data sola sæpe in totum sanauit: atque hoc ex totius substantiæ similitudine efficit, dictumq́ prius est, talem facultatem ex sola percipi experientia, & plane nulla cōstare methodo.* Quod confirmat Auicennas *lib. 2. tract. 2. c. 26.*

Theriaca.

Alysson.

Venena toto genere lædentia, morbos inducunt à tota substantia. CAP. XXIII.

IN doctrina Galeni dantur venena, lædentia corpus nostrum ab occulta totius substantię proprietate: ergo dātur & morbi in totius substantiæ proprietate cōstituti. Antecedens est Gal. *5. simp. c. 19.* vbi inquit: *At sunt, quæ tota essentia nobis contraria sunt. Proindè si vel minimum corū assumptum fuerit, omnino lædat necessè est.* Idem dicit *6. in 6. epid. com. 5. 3. simp. c. 22. 5. simpl. c. 18 & 3. de temper. c. 4.* Quod confirmat Auicenna exemplo napelli, hominis substantiā corrumpentis ex eius formą specifica, *lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 15. & Auerroes 5. colliget, c. 18.* Consequentia est Galeni *lib. 1. de semine c. 16.* vbi inquit: *Qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellant, vbi in animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat.* Ergo si alterās agit à tota substātia, & sibi similem inducit affectum à tota substantia inducat necesse est. Præterea, venena toto genere deleteria, atque agentia à tota substantia, sic immutant corpus nostrum, vt corpus nostrum immutat cibos. Ita Gal. *3. de tempe. c. 2.* vbi inquit: *Quippe, vel cuiusmodi sunt assumpta, eiusmodi etiam permanentia vincunt mutantque corpus, ad eum modum, quo id cibos. Atq; hæc prorsus tum venenosa, tū naturæ animalis corruptricia pharmaca sunt.* Sed corpus immutat cibos, non modo in sui qualitatem, sed in veram suam substantiam, vt patet ex Gal. *lib. 6. de decretis Hipp.*

Venenorū lethalium vires summæ.

Hipp. & Plat. c. 8. Ergo, & venenum, dum corrumpit, & immutat corpus nostrum in sui substantiam, & naturam cõmutat. Sed talis commutatio est vere morbus. Ergo à tota substantia morbus erit. Minorem sic demonstro. Illa commutatio est pręter naturã mutatio: Omnis enim mutatio, & motus distinguitur à termino, vt elicitur ex Arist. *3. physicorum tex. 31.* Sed est mutatio ad corruptionem, ad venenum, ad interitum: (Est enim venenum, vt inquit Cõciliator *diff. 178.* substantia humani corporis propriè corruptiua, & destructiua, &, vt inquit Haly, humiditas aquosa, subtilis, horribilis qualitatis, humanæ naturæ interceptiua.) Igitur est vere morbus in tota substantia. Omne enim quod est præter naturam, vel est morbus, vel caussa, vel symptoma, *ex Gal. lib. 1. meth. cap. 9.* Sed non est caussa: caussa enim est venenum immutans, non corporis immutatio, quæ est effectus à veneno productus. Nec est symptoma; symptomata enim illius cõmutationis sunt dolor, ardor vehemens, aut sensus erosionis, aut stuporis perculsio; punctura itẽ, tremor, singultus, contractio, eruptio bullarum, liuor, tumor, coarctatio, quarundã partium putrefactio, vomitus fœtidus & plenus, *ex Aetio tetrab. 4. serm. 4. c. 47.* Ita & corpus liuens, aut nigricans, aut diffluẽs, aut putredinem molestam olens, vt docet Gal. *lib. 6. de locis affectis c. 5.* Ergo illa affectio & immutatio nostri corporis, ad quã sequuntur ista horribilia symptomata, erit morbus. Cõfirmatur: nam est mutatio ad interitum: morbi vero, vt ad salutem, sic & ad interitum iudicantur, *ex Gal. 2. aph. 23.* & crises, siue ad bonum, siue ad malum, sunt morborum mutationes, *ex Galeno 3. crisium c. 1.* Ergo cum talis commutatio non sit ad qualitatem, sed ad substantiam veneni, toto genere corrumpentis, in tota substantia sit mutatio & morbus necesse est. Rursus, si venena (quocunque modo illa aduersarentur naturæ hominis) solum inducerent morbos in intemperie qualitatum manifestarum, nõ autem in tota substantia: tunc vel non erunt abdita substantię antipathia hominis naturam corrumpentia, vel si erunt, nullo modo à Medicis, vt toto genere malefica, poterũt cognosci. Quod repugnat Galeno, qui *3. de temp. c. 4.* inquit: *Medicamenta itidẽ sunt, & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt: cæterũ grauia, &*

Venenum quid.

Symptomata assumpti veneni.

Medicamẽta quædam non alterata corpus afficiunt.

uia, & naturæ animalis corrumpentia, unde & totum eorum genus deleterium & pestilens dici reor. Euidens est ratio: cognoscuntur enim venenorum contrarietates, & actiones per mutationem, quam inferunt Subdit enim Galen. ibidem: *Porrò iudicabitur contrarietas ex ea, quæ media intercedit, mutatione.* Ergo si solam mutationem in manifestis qualitatibus inducunt, & in tota substantia mutationem non inducunt; erunt, vel cognoscentur homini contraria secundum manifestas qualitates, non vt toto genere deleteria. Sed hoc repugnat Galeno, qui *c. eodem* vbi de alteratione manifestarum qualitatum ignis & aquæ loquutus est, subdit: *Nequaquam igitur sic iudicanda deleteria sunt, immo totius naturæ suæ contrarietate.* Præterea Aspides, Viperæ, & Scorpiones, dum hominem veneno offendunt, & enecant, vel morbum inducunt, vel non. Morbum non inducere dici non potest; induceret enim maleficium, quod non modo læderet hominis operationes immediatè, sed ipsum enecaret: quod tamen morbus nõ esset Id enim repugnat principijs medicinæ. Si morbum inducunt, certè in intemperie manifestarum qualitatum non inducunt. Ergo vt à tota substantia lędentia, in tota substantia morbum producant necesse est. Primum venenosa animalia, quæ retulimus, si morbum in intemperie manifestarum qualitatum inferrent, calidum siccum, vel frigidum humidum inducerent. Nullum tamen horum efficiunt. Non calidum siccum; Inquit enim Gal. *lib. quod animi mores. c. 3.* demorsos ab Aspide illico exanimari, perindè, atque si cicutam biberint, vtpote ipsius veneno refrigerante. Et *3. de locis affec. cap. 7.* dicit: *Quum nuper quidam ictus esset à Scorpione, videor mihi videre, inquit, quod grandine percussus sim, eratque omnino frigidus, sudore frigido accedente.* Quod confirmat *4. method. cap. 3.* Viperarum temperamentum frigidum esse vel illud monstrat, quod hyemis tempore sub saxis condantur, *ex Aristot. 8. de hist. animal. cap. 15.* At animalia frigida morbum calidissimum per se non possunt inducere, quando omne, quod per se fit, fiat à consimili in specie, non à contrario, à quo res non fit, sed destruitur. Non morbum frigidum humidum: tunc enim a pauco vulnere ab illis animalibus inflicto tã grauia symptomata, tã celeres, ac magnæ mutationes in toto corpore,

Deleteria totius naturæ contrarietate agunt.

Animalia venenosa morbũ à tota substantia inducũt.

Aspis.

Scorpio.

Viperæ.

corpore, tam repentinæ mortes non euenirent: vt euenire dicit Gal.*3.de loc.aff.c.7.* cum dicit: *Quis enim crederet, vel à scorpionibus infixo aculeo, vel à phalangiorum paruorum ictibus totum corpus ingenti, & inusitata mutatione affici, nisi sæpenumero id accidere videret, præsertim minimam quandã substantiam feris in ipsum demittentibus.* Hæc enim omnia frigidis venenis repugnant, vt docet Gal.*3.simp.c.22.* Ita solanum manicum in pauca dosi inducit delirium, & in paulo maiori enecat, *ex Gal.8.simplicium.* Morbum ergo frigidum non inducit. Tandem, curatio debetur morbo. Morbus vero, quem venena inducunt, non qualitatibus manifestis curatur, sed occulta substantiæ proprietate. Crocodili morsum crocodili pinguedo sanat: mus araneus, & corpus viperæ suos morsus, *ex Gal.lib.de Ther.ad Piso.c.10.primo de Antid.c.1.* Buffonis venenum curat lapis in eius capite genitus, *ex Concil.* Scorpio sanat plagã, quam infert, *ex Dios.lib.6.c.44.* aspidis venenum frigidum curat acetũ, *ex Plin.lib 23.c.1.* cristallus curat venenum arsenici, *ex Matthiolo in Dios.lib.6.com.29.*

Solanũ manicum.

Morbi à veneno quibus curentur.

Lues, quam dicunt gallicam, morbum à tota substãtia constituit. CAP. XXIIII.

Lues Gallica in quo cõsistat, & eius symptomata.

LVes Gallica, quam Gal. non cognouit, morbus est, cũ lædat immediatè operationes, & sæuissima inducat symptomata. Sed nõ est in intemperie frigida humida positus; sic enim contagione nõ inficeret, seminis profluuia, inguinũ phlegmones, pustulas, vlcera, & alias affectiones, quæ succi calidi, acris, & erodentis soboles sunt, non inferret. Nec est in intẽperie calida sicca constitutus: tunc enim dolores diuturnos non induceret, (Dicebat enim Hipp. *1. in 6.epide.8.* In Cranone veteres dolores frigidi) nec œdemata, quæ à frigido succo fiunt, *ex Galen.lib. de tum.præter naturam c.9.* nec atheromata, quæ a phlegmate producũtur, *ex Auic.lib:4.fen 3.trac.2.c.4.* nec ligno Indico calido sicco curaretur. Hepatis autem intemperies calida, si (vt quidam dicunt) mutaretur ad frigidam, idem numero, vel specie morbus non esset, sed ex cõtrario in contrariũ permutaretur affectus. Ergo non esset lues Gallica intemperies vel præcedẽs calida, vel subsequẽs frigida. Quod enim

est per

est per se, est de omni, & secundum quod ipsum. Ita vel vlcera, vel dolores non erunt Gallici affectus: sequūtur enim symptomata morbum, vt vmbra corpus, cum esse corū ab illo pendeat. Erit ergo morbus à tota substātia, vt egregiè monstrat Fallopius *lib. suo de morbo Gallico.* Hieronymus Capiuacius *lib. 5 suæ prac. med. sect. 2. c. 1.* putat luem Gallicam non esse morbum, sed caussam agentē à tota substantia, producentem morbos diuersos in intemperie, in compositione, in solutione continui, tot, quot sunt vlcera, gūmata, dolores, & reliqua, quæ hoc morbo affecti patiūtur. Est enim inquit Hieronymus Montalius Siculus Platiensis *lib. suo de homine sano, lib. 2. c. 11.* lues excrementum toto genere præter naturā, genitum ab omni hominis substantia, tum continente, tum contenta, producens per contagiū sibi simile in substantia alterius corporis, secundū propriam formam humanæ naturæ contrariam: vt venenum, licet non ita perniciosum. Quod contagium est calidum, putridū, viscosum, immutās in sui naturā, quod in homine est, quod in eo producit omnes illos morbos & symptomata, pro maiori, vel minori antipathia, & aptitudine, ac dispositione hominis patientis. Sed cōuincuntur ex antedictis. Caussæ enim à tota substantia lędentes, corpus nostrū sibi simili affectione alterant: ergo & à tota substātia morbū inducunt. Rursus lues Gallica est morbus cōtagio productus: ergo caussæ produceti adæquatus. Contagiū enim est corruptio, seu infectio cōsimilis in speciē, ex vno corpore in aliud trāsiens, infectione in particulis clam facta. Sed illi omnes affectus (quos vocant morbos, scilicet vlcera, tumores, dolores, &c.) sunt inter se specie diuersi. Ergo vt in vna communi affectione conueniant consimilis speciei cū caussa, illos omnes affectus producente, necesse est; alioquin contagione non producerētur, nec à simili in specie. Sunt enim vlcera illa, & tumores, morbi specie inter se differētes: ergo erunt omnes symptomata vnius morbi, eiusdem speciei cum caussa à tota substantia producente. Prętetrea homo habens contagium Gallicum, cum alium hominem inficit, vel in eo producit morbum eiusdem naturę cum ipsa caussa inficiente per contagium, vel diuersæ. Si eiusdem; ergo producit morbum à tota substantia. Nam ex eorum sententia excrementum illud producens conta-

Lues Gallica morbus à tota substātia.

Lues Gallica quid.

Lues Gallica morbus contagiosus.

Contagium quid.

gium Gallicum, tota ſubſtantia, ac ſpecifica forma homini eſt aduerſarium. Si diuerſæ naturæ; ergo contagio Gallica morbum Gallicum non producet. Quæ enim ſunt diuerſæ inter ſe, eiuſdem naturæ non ſunt. Accedit quod dum contagio Gallica à tota ſubſtantia hominem afficit, neq; qualitates, neq; temperamentum, ſed totam ſubſtantiam hominis primò & per ſe immutat. Ergo cauſſa à tota ſubſtantia morbum in tota ſubſtantia efficiet. Antecedens patet. Nam omnis actio & paſſio fit inter contraria, quæ ſub vno eodemq; genere comprehenduntur, *ex Ariſtot. 1. de gen. 50. & 51.* Ergo cauſſa agẽs ſecundum qualitates, corporis qualitates afficiet: agens à tota ſubſtantia corporis ſubſtantiam commutabit. Adhęc ſi gummata, vlcera, dolores, & alij effectus Gallici, præter intemperiem, compoſitionem, & continui ſolutionem, non haberent aliquid cõmune abditum, quo formaliter, & peculiari antipathia læderent operationes eius in quo ſunt, non eſſent diuerſi generis ab vlceribus, doloribus, & morbis aliis à lue Gallica. Sunt tamen, vt patet ex modo læſionis, & progreſſus eorum, ex vehementia ac difficultate, ac curationis cõtumacia, ex contagione, & tandem, quod remediis, quib. dolores, & alia vlcera non Gallica curantur, hæc non cedãt. Ad extremum curatio principaliter indicatur à morbo, *ex Gal. 12. meth. c. 1. 2. meth c. 2. 4. eiuſdem cap. 3.* Sed lues Gallica curatur non calidis, vel frigidis, ſed tota ſubſtantia pugnãtibus, vt ligno Indico, Salſaparilla, radice Cinarum, quæ inter ſe penes manifeſtas qualitates longe differunt. Ergo à tota ſubſtantia eſt vnus morbus, à cauſſa conſimili productus, (cuius illi omnes dolores, inflammationes, tumores pro varia patientis corporis aptitudine, & morbi diuturnitate producti, ſunt caſus, & ſymptomata,) vnicam habens à tota ſubſtantia pugnantium remediorum contrarietatem. Inquit enim Gal. *11. meth. ca. 2. Prima namque omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo, qui curatur, morbo accipitur, contrarietatem præſcripſit. At quoniam morborum plura ſunt genera, cuique eorum ſua erit contrarietas.*

Lues Gallica ſubſtantiam hominis primo immutat.

Lues Gallica quibus curetur.

Curationis indicatio vnde deſumenda.

***

Hiero-

Hieronymi Montalti rationes aduersus morbum in tota substantia diluuntur. CAP. XXV.

Hieronymus Montaltus *lib. 2. de homine sano cap. 11.* morbum in tota substantia oppugnat. Primum inquit, quod sanitas & morbus sunt accidentia. Nam manẽte partis materia ac forma propria substantiali, & proinde rei essentia inuiolata, eiusdem sanitas variè mutari, immo prorsus violari potest. II. Nam rei specifica forma indiuisibilis, alias cum sanitate minimè indiuidua, alias cum multiplici morbo in subiecta materia subsistit. III. Quoniam sanitas & morbus magis & minus suscipiunt, & sunt accidentia separabilia, nec contrariorum expertia. At hęc nullo pacto euenire possunt essentiæ rei: Materia enim & forma, cum sint substantiæ, nec intendi, nec remitti queunt, nec contrarium habent, & citra subiecti corruptionẽ abesse non possunt. IV. Corruptela essentiæ rei morbus non est, cum per corruptionem & dissolutionem substãtia cõposita annihilata sit, neq; amplius sanitatis vel morbi subiectum esse possit. V. Tandem, morbus est affectus præter naturam, qui primo & per se actiones lædit sensibiliter: constitui igitur debet, vbi operationes immediatè lædi possunt: læduntur autem, vbi secundum naturam fiunt. Idem enim est sanitatis & morbi subiectum Ex his arguit, operationum immediata & adæquata caussa sunt, forma substantialis & facultas, quæ ab ea emanat, eiusque ratio est & conditio ad agendum, & organũ, tũ principale, tum adæquatum, quo ad agendum vtitur. Sed in forma & facultate lęsio operationum esse non potest: ergo neq; morbus. Forma enim & facultas, quæ eius est proprietas, impassibilia, & immutabilia entia sunt, quæ non nisi per subitam mutationem momento euanescunt. Solum igitur organum, & eius apparatus, & cõstitutio sanitatis & morbi subiectum erit. Cæterum hæ rationes dilui possunt, si dicamus, in homine duplicem esse cõpositionem, seu constitutionem, vnam substantialem, quæ ex materia & forma resultat; (substãtia enim dicitur de materia, forma, & cõposito, *ex Arist. 2. anim: 2.*) alterã accidentalẽ, propriam tamen, quę in recta partiũ similariũ tẽperie, organicarum cõpositione, & continui vnitate consistit. Igitur vt homo sanus sit, vtramq; cõpositionem habeat secundũ naturam

Rationes Montalti aduersus morbum ĩ tota substãtia.

I. *II.* *III.* *IV.*

Duplex in homine cõpositio.

oportet; vtraque enim ad operationes recte obeundas necessaria est: quoniã compositum substantiale actionum est efficiens per formam, *ex Arist. 1. de anima 64.* compositum verò accidẽtale operationum, quæ fiunt, organum est. Ergo in vtraq; compositione, si aliqua earum secundum naturam non se habeat, ita vt operationes immediatè offendat, morbus erit. Quare essentialis constitutio quoties immutatur, & à sua perfectione recedit, vt operationes, quarum secundum naturam est opifex, per se lędat, morbus in tota substantia est. Accidẽtalis compositio, si pręter naturã constituatur, vt sensibiliter & immediatè operationes lædat, morbus erit ad morbos in intemperie, in compositione, in continui solutione communis. Gal. morbos substãtiæ nouit quidem, vt *c. 22. & 23.* mõstratum à nobis est; eos tamen exactè non explicauit, nec ad suam illam morborũ diuisionem retulit, quã *lib. de diff. morbo. c. 2.* exposuit: ex eo tamen non fuit diminutus, vt infert Alex. Massaria: quandoquidem solius accidentalis compositionis sanitatem & morbos edocuit, non substantialis. Accidentalis siquidem demonstrationem afferre potuit, ac methodo morbos venari, & curare; substantialis vero neq; demonstrationem, neque methodum habuit Gal. vt professus est *13 meth. c. 6.* cum dixit: *Vbi autem ex animalis punctu morsuvè dolor incidit, duplex sedandi doloris ratio est, vel virus ipsum vacuãdo, vel, quod dolorem excitat, alterando. Sanè vacues id eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt: alteres ijs, quæ sunt contraria, idq; vel qualitatibus, vel tota substantia. Mõstratum namq; est in libris de medicamentis, quædam esse totis substantiis inter se contraria: quædã solis qualitatibus. Sed & illud indicatum æque est, quod eorum, quæ contraria qualitate sunt, methodus quæpiam sit: eorum, quæ tota substantia sunt aduersa, methodus non sit.* Quod item hominis substãtiam perfectè non cognouit Gale vel ex eo patet, quòd tẽperiem ex calido, frigido, humido sicco, ferè semper substantiã, & naturã hominis appellet, vt videre est *3. de temp. c. 4. 1. de vsu par. c. 9. lib. quod animi vires. c 3. 2. aphor. 34. 3. eiusdem 2 & alibi sæpe:* cum tamen id verum esse non putauerit, qui naturã formæ hominis, quæ anima est, se ignorare professus si *5. & 6 epide. comm. 5. 2. de symp. caus. c. 5. lib. de nat. facul. subs. propè medium. 5. de simp. mend. fac. c. 9. 7. de* vsu

Morbi à tota substãtia unde & quomodo fiant.

Galeno cogniti morbi à tota substantia, & curãe eis nihil tractarit

Galenus naturam animæ se ignorare professus est.

sū par. c.8. & li. de form. fœtus c.6. & 3 methodi 7. indiuiduā cuiusq; naturam ignotam esse fatetur. Et tādem formam cuiusq; partis substantialem à tēperamento diuersam pronūciat, *1. de nat. facul. c.6.* quam formā, vt proprio nomine carentem, pro partium corporis diuersitate ossificam, cartilaginificam, neruificam, membranificam appellat, claritatis gratia his nominibus vti affirmans. His in hunc modum explicatis ad 1. & 2. Montalti rationem dicimus, non esse verum, omnē sanitatem & morbum accidens esse, nisi secundæ constitutionis, non autem primæ, & essentialis. Nec verum est, mutari perpetuo sanitatē & morbum, forma & essentia immutata, indiuisibilique manente. Licet enim forma, quæ homini esse perfectum atque specificum tribuit, anima sit rationalis, quæ vt non est educta de potētia materiæ, sic ingenerabilis est, incorruptilis, indiuisibilis, ac ad sanitatis, & morborum vices, neq; per se, neq; per accidens mutabilis: sunt tamen in homine multę alię substantiales formæ, *ex Aristo. sententia 2. de gen. ani. c.3. lib. de morte & vita c.1.* ad animam rationalem subordinatę, vt elementorum formæ, quæ refractæ, non corruptæ, in misto remanent, *ex Arist. 1. de gen. tex. 84.* & partium mistarū formæ particulares, ex elementorum mistione diuersa resultantes: quæ vt eductæ sunt de potentia materiæ per trinam dimensionem dispositæ, sic per accidens quantæ & diuisibiles sunt, & per accidens patiūtur, *ex Auerroe 9. metaphysi. comm. 2.* Igitur compositum substantiale ex materia & forma materiali resultans, vt per se generabile & corruptibile est, quoties perfectè corrumpitur, interit: cum verò immutatur, ac à sua perfectione recedit, nondum tamē omninò corruptum est, si indè operationes lædi immediatè cōtingat, & morbum in tota substantia patitur, & ad morbi ac sanitatis vices permutatur. Ad 3. dicimus, nō recipere substantiam magis & minus in eo, quod substat, ac per se & in esse specifico consistit subiectum accidentium, sed vt est rei essentia, perfectior est & imperfectior, ac magis & minus recipit. Sic primæ substantiæ sunt magis substantiæ, quam secundæ. Et quamuis formæ materiales non intendantur, neque remittantur, vt qualitates per admistionē veri contrarij; tamen dum trāsmutantur per successiuam graduū, vel perfectionis amissionem, & acquisitionem, per quandā analo-

Solutio rationū Montalti. 1. & 2.

Anima hominis non educta de potentia materiæ.

In homine multæ formæ substantiales.

3.

Formæ materiales vt intendantur vel remittantur.

analogiam intenduntur, & remittuntur. Dicit enim Auerroes loquens de perfectioribus formis materialibus 1. *Phy.comm.62. Apud generationem hominis, non cessant partes spermatis recedere, & partes fieri hominis, donec forma humana perficiatur.* Et hoc voluit Arist. *8.metaph.10.* vt probat Scotus *8.metaph.q.3.* Ita nec est in substantia contrarietas, quæ subiectum in actu requirit: ea enim est qualitatum. Est tamē illa contrarietas, quæ formarum est, se mutuo ab eodem subiecto in potentia expellentium: (Secus non esset in substantia transmutatio:) Secundum quam contrarietatem forma seminis, & hominis in eodem subiecto stare nō possunt, & generatio vnius alterius est corruptio, & forma napelli formam humani temperamenti demolitur, & in vniuersum sunt admirabiles illæ formarum naturalium contrarietates, quas antipathias appellant. Tandem sanitas & morbus accidentalis constitutionis, citra subiecti corruptionem seorsim separari possunt, vt rectum vel obliquum à linea, par vel impar à numero; simul tamen citra subiecti corruptionem separari non possunt. In compositione vero substantiali possunt partes aliquæ defluere, & restitui: omnes tamen simul citra totius corruptionēm non possunt: quod euidēs est exemplo nutritionis, quæ in viuente fit. Dum enim partes v. g. carnis defluunt, & affluunt, partes formæ materialis illam constituentis defluere, & affluere necesse est. Aliter formæ eductæ separabiles essent, se contraherent, & de parte in partem migrarent, quod verum non esse alibi fusius explicabitur. Ad 4. rationem, quam protulit & Rudius *lib. de feb.c.1.* dicimus, corruptionem de mente Arist. non modo pro alteratione præuia acceptam tempore fieri, vt communiter Latini putant, sed quoque pro substantialis formæ mutatione, vt recte monet Simplicius *8.phys. 3. digres. contra Grammaticum.* Arist. enim cum ostendisset *7.physi. tex.31.32. & 33.* in latione, accretione, & alteratione velox, & tardum esse, tex.34. declarat, in ortu & interitu esse velox & tardum, asseritque, ortum velocem esse, qui in minori tempore fit: tardum, qui in maiori. *& 4. physico. 129.* inquit: *His ita definitis perspicuum est, mutationem omnem esse in tempore, & omne quod mouetur, necessario in tempore moueri.* & iterum subdit, *Perspicuum, omnem mutationem,*

Formarum contrarietas.

Antipathia.

omnemque motum in tempore esse. Ergo quod corrumpitur, si viuens est, dum adhuc corruptum non est, & viuit, & ægrotat in tota substantia. Ad 5. si ibi est morbus, vbi læduntur immediate actiones; læduntur autem vbi fiunt: manifestum est, in compositione essentiali præcipuè fieri, & lędi posse; dum tale compositum per contrariam formam mutatur, vt à sua perfectione decidat, & operationes, quas naturaliter edebat, offendat. Materiales autem formas indiuisibiles esse, & momẽto per corruptionem euanescere, verum nõ est; mutari enim necessario præcedit mutatum esse, vt docet Arist. *6 physic. tex. 55.* Quod alibi aduersus Archangelum Mercenarium à nobis monstratum est.

Formæ materiales non sunt indiuisibiles.

DISPVTATIO VII.

An febris pestilens differat solum secundum maiorem putredinem à febribus putridis: An morbus sit à tota substantia. Opinio Alexandri Massariæ & Marcelli.

CAP XXVI.

CVm itaque ex antedictis monstratum sit, cognouisse Galenum morbos à tota substantia, à cæteris morborum generibus distinctos; succedit nunc examinãdum, an febris pestilens morbus sit à tota substantia: vt ex his fiat manifestum, quam vana sit Marcelli sententia, qui penes solam putredinem maiorem, vel minorem, febrem pestilentem à putridis differre putauit. Marcelli verba libro suo de morbo pandemico *folio 18.* hæc sunt: *Cum perspicuum atque satis manifestum sit, apud Galenum febres pestilentes, ac malignas, à cæteris putridis non aliter differre, quam maiori putredine. Qrapropter si præcauendi, atque curandi rationes habere volumus, totum negocium non in antidotis, & tollendo veneno esse debet, sed siccatione, purgandis excrementis, tollendis obstructionibus, aliisque id genus præsidiis consistere oportet.* Marcellus totũ hoc accepit à Massaria, qui libro suo de abusu vesicantium *folio 8.* idem dicit ad verbum, & probat authoritate Galeni, qui *1. de diff. feb. cap. 4. 3. in primum Epidemiorum ægroto nono*, in Critone, vbi de febre loquitur pestilenti, omnia refert ad vnã putredinem

Marcelli & Massariæ opinio de febre pestilenti.

dinem. Ego in Marcelli gratiam hanc sententiam confirmo ex Galeno, qui *1. in 6. epid. 29.* dicit, calorem febris pestilentis ab alijs per putredinis excellentiam differre: Et *3. in 3. Epidemiorum 1.* dicit, vtriusque tempestatis affectũ esse putredinem, obtinentem pro caussa humiditatem citra ventos. Aduersus Massarium inquit Saxonia *secunda editione de phæn. lib. 2. c 6.* non esse febres pestilẽtes putridas omnes, quando sint quædam hecticæ, quædam ephemeræ pestilentes, quæ sine putredine sunt. Sed pro Massaria responderi posset, Saxoniam aduersari tum sibi ipsi, tum Galeno. Ipse enim *lib. eod. 2. c. 46.* contrarium manifestè affirmat, cum inquit: *Ego vero, in omni hectica pestilenti roridam humiditatem putrescere quidem censeo, & hac ratione Galenum omnes pestiferas ex putredine oriũdas scripsisse arbitror.* Rursus aduersatur & Gal. qui *3. de præsag. ex puls. c. 3.* loquens de hectica pestilenti, inquit: *Vbi aër, quem spirando attrahimus, infectus putredine sit, ac putredo corpus cordis attigerit.* Et mox subdit: *Quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ in corde sit? Nam quibus calor hic putredinosus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, quam ad corpus ipsum visceris, multi horum fuerunt superstites.* Nec est quod dicat Sax. *lib. eo. 2. c. 8.* tunc hecticam, non magis hecticam, quam putridam fore, cum Gal. hecticam ab ephemeris, & à putridis seiungat. Dici enim posset, differre penes partem affectam. Nam vt per febres pestilentes humores putrescunt; ita per hecticam putrescit cordis substantia, vel eius ros. Præterea si datur ephemera pestilens, (Non desunt enim, qui illam non admittunt, vt Conciliator *diff. 94.* Vallesius *lib. 5. contro. medic. c. 21.* Eustachius Rudius *lib. de febribus c. 30.* & alij:) nihil prohibet, illam à spirituum putredine fieri. Omnia enim, vno igne excepto, putrescunt, *ex Arist. 4. meteo. tex. 5.* Spiritus verò ex aëre inspirato, & humorum exhalatione constãt, *ex Gal. 7. de decretis Hipp. & Plat. c. 3. & 6. de vsu part. c. 17.* eosdemq; vitales spiritus maximè ex respiratione, sed tamen & ex sanguine nutriri dicit Gal. *12. meth. c. 5.* (quamquam eorum non vera nutritio sed regeneratio sit.) Et quamuis sint velocissimi motus, nihil prohibet, quin cõtenti in sinu cordis, humoribusque permisti (aëre putrido, illos pertingente, per inspirationem introducto) vt ipsi quoq; putrescant. Mobilitas enim

Saxonia aduersatur Massariæ.

Ephemera pestilens ab aliquib. negatur.

Spiritus putrescere possunt.

tas enim

tas enim difficultatem arguit ad putreſcendum, non autẽ impoſſibilitatem; pręſertim cum non vulgaris ſit putredo, ſed vehemens, ac ſummæ, & acutiſſimæ contagionis, quæ illos inficiendo putrefaciat, atque corrumpat. Neque ephemera illa Britãnica Fracaſtorij videtur eſſe ſine putredine, quæ ſudore copioſo terminatur. Ergo ad vnam putredinem omnes iſtæ febres referri videntur.

Impugnatio opinionis Maſſariæ & Marcelli.
CAP. XXVII.

HAnc Maſſariæ ſententiam Hercules Saxonia profuſe oppupnat *lib 2. de phæ.* Ego quoq; alijs rationibus veram non eſſe demonſtrabo. Primum in febre peſtilenti eſt venenum, quod non eſt in alijs putridis. Sed venenum differt ex natura rei ab omni putredine, etiam excellenti, & ſumma. Ergo differt febris peſtilens à putridis, non modo per maiorem aut minorem putredinem, ſed per venenum a putredine realiter diuerſum Maior eſt Galeni *lib. de theriaca ad Piſonem c. 16.* vbi dicit: *Cum peſtis ipſa, ceu fera quædam venenata, non paucos aliquot miſerè perdat, verum totas ciuitates depaſcatur. Immutat enim aërem malo quodam modo, vt homines interficiat, qui cum reſpirare non poſſint, contagium miſeri euadere nequeunt. Attrahunt enim in ſe ipſos aërem illum infectum, tanquam præſentaneum aliquod venenum.* Et Maſſaria veritate coactus *lib. de abuſu veſic. fol. 7.* idem fatetur, cum inquit: *Neque vero eſt, vt Saxonia in eo multum laboret, ac ſtudeat probare ex deprauata victus ratione, ac vitioſis humoribus, in noſtro corpore eoſdem poſſe fieri affectus qui à lethalis veneni potione fieri ſolent: quandoquidem in doctrina Galeni id tam manifeſtum, & certum eſt, quam quod manifeſtiſſimum, & certiſſimum.* Sed reliquę febres putridæ nullo modo venenum continent. Si enim id continerent lethales eſſent magna ex parte, ac pernicioſæ. Quare omnes eſſent peſtilentes ſine peſte. Minor patet: ſubdit enim Maſſaria *ibidem fol. 8. Sed ego illud addo, huiuſmodi venenum non aliunde in febribus peſtilẽtibus, quam ex ſumma, & inſigni putredine originem habere.* Quæ verba Marcellus ita tranſcribit *lib. ſuo fol. 18. Huiuſmodi igitur venenum non aliunde in febribus peſtilentibus proueniſſe cen-*

Rationes cõtra Marcellum & Maſſariam.

Peſtis natura

Venenum differt à putredine.

ſemus, quam ex ſumma & inſigni putredine, &c. Tunc ſic arguo: Venenum hoc per ipſos fit à ſumma & excellenti putredine: ergo differt ab illa, vt mutatum eſſe a mutari, vt genitum à corrupto. Sed hæc differunt ex natura rei, vt id quod eſt, ab eo quod deſiit eſſe. Confirmatur: nam ſi venenum fieret ab excellenti putredine, & ab ea non differret ſecundum ſpeciem & formam, idem fieret à ſeipſo, & eſſet antequam generaretur, quæ impoſſibilia ſunt. Secundo ſic: Febres peſtilentes lædunt eſſentialiter & per ſe, modo læſionis toto genere diuerſo, & penes vehementiam, & penes perniciem, ab eo, quo lædunt reliquæ febres putridæ: ergo peſtilentes, & reliquæ putridæ ex natura rei, toto genere ſunt diuerſæ. Argumentum eſt euidens. Nam cum eſſentia morbi ſit affectus præter naturam, immediate lædens operationes, *ex Galeno lib. de diff. ſymp. cap.1.* Quicunque morbi lædunt operationis modo læſionis toto genere diuerſo à reliquis, vt toto genere ab eis diſtent, oportet. Nam & apud philoſophos operationes eſſentialiter diuerſæ, formas a quibus profluunt, eſſentialiter demonſtrant. Antecedens patet: nam putredo per ſolas qualitates manifeſtas lædit, calore nimirum extraneo, diſſoluente calidum innatum, ſeparante humidum à ſicco, & tandem mutante id, quod putreſcit, in fimum, & terram, *ex Ariſt.4 mete.* Venenum vero non modo per manifeſtas qualitates, ſed quia toto genere eſt deleterium, & inimicum, abdita ſua antipathia calorem noſtrum demolitur, *ex Gal. 3.de temp.cap.4.1.de ſem.cap.16.6.in 6.Epid. com.5.5.ſimp.c. 15.* Ergo febres putridæ, & peſtilentes, toto genere diuerſas læſiones inducunt. Nam febres putridæ, & quia putridæ, & quia febres, mutant calorem innatum in igneum. Putredo enim mutatio eſt totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo, *ex Galen. 11. metho.cap.8.* Febris vero eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam, *ex Gal.1.aph.com.16.* Peſtilentes vero præter hoc enecant vt venenum, *ex Gal.3.in 3.Epi. 75.* cum dicit: *Itaq; vt veneno epoto lethali quidam poſtridie vel tertio die moriũtur, qualitate eius, non copia mortem afferente, & item hic quoque æger ſtatim tertio die cenſendus eſt obiiſſe, à qualitate ſuccorum virulentorum, non à phrenitide peremptus. At phrenitis illum eſſe ſubſequuta, ſymptomatis vice.* Quod & ratio mon-

2. Febres peſtilentes & putridæ non eodem modo lædunt, & ob id diuerſa.

Morbus quid.

Putredo & venenum vt lædant.

Putredo quid.

Febris quid.

monstrat. Nam cum celerrimis illis, & sæuis symptomatibus obiit, vt veneno epoto mori contingit, *ex Gal. 6. de locis affec. c 5.* Dicit enim ibidem Gal. eosdem fieri affectus & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet. Quod confirmat *3. eiusdem c. 7. & 2. in primum prorhet com. 17.* Quod si febres pestilentes enecarent sola qualitate calida sicca, innatum calorem vertentes in igneum, vt reliquæ putridæ: tunc ardentes pestilentib. essent magis perniciosæ: habent enim vrentem caliditatem, sitimque incompescibilem, vt ægtos vrere videantur, auctore Hippocrate, & Galeno *4. aphoris. 48. 4. acuto. 13. & 7. aphor. 68.* Ardentes tamen pestilentes non sunt. Neq; vero calore vehementes sunt omnes febres pestilentes, vt docet Galenus *9. simpl. c. de terra Samia.* Quod saltem de hectica dubium non est, de qua Galenus *3. de præsag. ex pul. c. 3.* dicit: *Si qui essent inter ægrotos, qui se negarent febricitare, his febris, occupato ipso cordis corpore, plane erat confirmata, & vt ita dicam, in habitu.* quod confirmat Auicennas *lib. 4. fen prima tract. 4. c. 2.* cum dicit: *Et quandoque est de his febribus pestilentialibus. in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem calore, & non alteratur pulsus, & aqua magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens velociter, & hæsitant Medici in esse eius.* Tertio febres pestilẽtes curantur non modo contrariis qualitatibus, vt reliquę putridæ, sed medicamentis à tota substantia pugnantib. Ergo quãtum differt morbus à tota substantia à morbo in intemperie posito, tantum pestilentes à putridis differre necesse est. Consequentia est euidens: nam docet Gal. *11. meth. c. 2.* vnicuique morborum generi suam esse contrarietatem. Antecedens patet; pestis. n. curatur à Gal. theriaca. Inquit. n. *lib. de the. ad Pis. c. 16. Deprehensaq; est mihi vel sola in pestilenti constitutione languentib. posse succurrere, cũ nullum aliud præsidium tam magno malo tunc ita resistere valeat:* Et paulo post: *Ad istum modum arbitror & theriacam, tanquam ignis quidam purificans & ipsa esset, illos quidem, qui sani adhuc ipsam biberint, non permittere, vt pestilentia prorsus capiantur: illos autem qui iam ægrotent, sanare posse, cum aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo.* Quod confirmat *lib. de theriaca ad Pamphilianum.* Ita Paulus *libr. 2. capit. 36.*

Febres pestilentes non enecant sola caliditate.

Nec omnes æque calore vehementes.

3. Febres pestilentes quib. potissimum curentur.

Theriaca ceu antidot curatur pestis.

Ætius

Aëtius *tetrabibl.4.serm.1.c.96.* Auic.*lib.5. summa 1.trac.1. c. de theriaca.* Quod si febris pestilens offendit sola intemperie calida sicca; cur ergo theriaca calida sicca curatur? Rursus si theriaca aëris malignitatẽ commutat, an frigida est aëris malignitas, an calida? an toto genere offendẽs? Si frigida, cur tam cito enecat? Si calida, cur antidoto calido nõ augetur? Si toto genere offendens, cur ergo morbum toto genere perniciosum nõ inducet? cum sibi simili alteratione corpus immutent, quæ toto genere offendunt, atq; actio & passio inter ea sint, quę in eodem genere sunt, vt supra abundè monstratum est. Rursus Gal. & venena & alexipharmaca à tota substantia esse dicit, quibus & theriacam adiungit *6.in 6.Epid.com.5.& 1.de antidotis c.1.* vbi inquit: *Medicamenta, quæ nõ extrinsecus imposita, sed intus assumpta, malas corporis affectiones sanãt, antidotos Medici vocant: quarum tres sunt omnes differentiæ. Nam aduersus exitiales potiones quædam faciunt: quædam ad feras valent, quæ venenum ictu morsuvè relinquunt: quædam excitis mala victus ratione morbis auxiliantur. Nõnullæ vero tria hæc simul pollicentur, cuiusmodi est quam theriacam vocant.* Sic bolo Armenia pestis illa curata fuit, quam docet Gal.*lib 9.simp. c.de terra Samia.* Contulit autem non quia exiccet, vt putant; tunc enim plurima maioris longè exiccationis, vt ossa sepiæ, conchæ buccinarum, pumices exusti, & huius generis alia, pestem efficacius curarent, quod falsum est. Sic quædam pestis sola hominis vrina curata fuit, vt *10. simp.c. de vrina humana,* in peste Syria docet Gal. euenisse. Idẽ de scordio, de gentiana, ac de reliqnis tum simplicibus, tum compositis alexipharmacis est euidẽs, quæ suis manifestis qualitatibus pestilentem febrem augerẽt potius, illam tamen abdita totius substantiæ antipathia demoliuntur.

Theriaca calida sicca.

Venena & Alexipharmaca à tota substantia statuit Galenus.

Theriaca alexipharmacum.

Bolus Armena in peste confert.

Vrina curata pestis.

4.

Pestis nõ habet essentiã in sola putredine.

Quarto, si febris pestilens ab aëre producta suam haberet essentiam in sola putredine, quantumuis summa, & excellenti, tunc animalia diuersarum specierum sub eodem aëre, putredine pestilenti coinquinato, degẽtia, eâdem peste corriperentur. Oppositum tamen est obseruatum. Diuersę enim pestes diuersas habuere analogias ad diuersas species animalium, ad diuersas ætates, ad particularia membra, vt vnam animalium speciem sæpe affecerint, cæteris eundem aërem inspirantibus omninò illæsis. Id nullo modo referri

potest

potest ad solam putredinem: cum eadem animalia eundẽ aerem putridum inspirantia, licet magis & minus sint apta putrescere, apta tamen sunt putrescere omnia. Ergo ad abditam, & peculiarem vim, & antipathiam, ita vni animalium speciei contrariam, vt non reliquis (quod longè distat a putredine) referendum est. Confirmat hoc Hippo. *lib. de flatibus* per hęc verba: *Communis ergo febris propterea omnibus accidit, quod eundem spiritum omnes attrahunt, sitque vt simili corpori similes spiritus similiter permixti, similes gignant febres. Sed est fortasse qui dicat, vt quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego sic responderim: Differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda sunt, sed sunt alia alijs magis conuenientia. Quãdo igitur aër eiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant. Quando vero alteri cuipiam animantium generi aër inconueniens est, tũc morbus illud genus corripit.* Nec est quod dicat Donatus Antonius Altimarus *lib. suo de febre pestilenti c. 5.* ideo aërem lædere vnã speciem animalis non reliquas: nam vni speciei fit cõtrarius, stare tamen hanc contrarietatem in sola putredine. Quãdoquidem si sola putredo esset ratio huius contrarietatis, non esset contrarietas determinata ad vnam speciem, sed ad omnes diuersas species æquè communis. Cur enim si ratio illius contrarietatis stat in sola putredine, diuersa animalia æquè apta putrescere, & æque inspirãtia eundem aërem putridum, non æquè omnia eadem putredine corripiuntur? cum agens naturale appropinquatum passo agat necessario, & non cum electione. Imo sæpe obseruatũ est, species animalium magis aptas putrescere non offendi à coinquinato aëre, alias verò minus aptas putrescere, magis offendi. Non semel enim grassatæ sunt pestilentię, quę pueros & iuuenes non lædebant, & solos senes afficiebant. Ita & pestes fuère, quæ sub Austrina constitutione nõ sunt grassatæ, sub Aquilonia vero totas vrbes adortæ sunt. Tãdem putredo est cõmunis omni speciei animalium aptorum, ac paratorum, vt putrescant. Sed à caussa communi non prouenit differentia neque distinctio in illis, quibus communis est. Quinto si essentia febris pestilentis stat in sola

Animalia non æque omnia lædũtur ab aëre putrido, & cur.

5

ſola putredine, tunc vel erit in putredine, vt putredo eſt, vel vt talis putredo. Sed neutro modo id eſſe poteſt. Non putredo; tunc enim in qualibet febre peſtilenti longe magis putreſceret ſanguis, quam flaua bilis, & hæc magis, quam melancholia, & in vniuerſum in qualibet peſte magis putreſcerent humores, quam ſolidæ partes.

Calida humida putredini aptiora.

Magis enim parata ſunt putreſcere calida humida, quam calida ſicca, *ex Galeno 8. metho. cap. 7. 1. de diff. feb. cap. 3. & 3. in 3. epid. com. 1.* Quod confirmat Auicennas *1. fen. 4. tract. 1. ca. 2.* Humidiora enim ſiccioribus promptius putreſcunt. Huius tamen oppoſitum docet experimentum.

Peſtes quando partes ſolidas demoliuntur non humores.

Fiunt enim quandoque febres peſtilentes, quæ partes ſolidas demoliuntur, & non humores. Teſtis eſt Galenus *3. de præſag. ex pul. cap. 3.* cum dicit: *Si qui eſſent inter ægrotos, qui ſe negarent febricitare, his febris occupato ipſo cordis corpore, plane erat confirmata, & vt ita dicam, in habitu.* Et mox, declarans aliam peſtis analogiam, ſubdit: *Nam quibus calor hic putredinoſus ad humores, quos continent cordis ſinus, magis deflexit, quam ad corpus ipſum viſceris, multi horum fuerunt ſuperſtites.*

Variæ peſtis ſpecies.

Ita Galenus *3. de vſu partium cap. 5.* refert quandam peſtem ad ſummos pedes ſuam habuiſſe analogiam. Dionyſius Alexandrinus *lib. 4 & 9.* Rom. antiquitatum, & Agathinus *libro 5. hiſtoriæ* quandam peſtē referunt, in qua ſolæ fœminæ, aliam in qua ſoli diuites corripiebantur. Guidus de Gauliaco peſtem refert, in qua ſanguine è naribus fluente moriebantur. Euſebius *9. de hiſt. Eccleſ. cap. 6.* aliam refert, in qua cum anthrace in oculo, aliam in qua ſternutando interibant. Quod confirmat Ioannes Stella in vita diui Gregorij Papę, Paulus Diaconus *libro 6. de geſtis lung. cap. 11.* Hiſtoriarum fidem admittit Galenus *lib. de ſubſ. emp. cap. 9. & 12.* Rectè igitur inquit Fracaſtorius *lib. 2. de morb. contag. cap. 4.* cum ait: *Peſtilentium febrium aliæ extrinſecus in nos veniunt, aliæ in nobis primo fiunt: aliæ omnes perdunt, aliæ maiorem partem, aliæ multos ſolū.*

Diuerſa febrium peſtilentium analogia.

Diuerſa porro eſt earum analogia, & admiranda. Quædam ad ſanguinem præcipue analogæ ſunt, quædam ad choleram, quædam & ad humores alios, aliæ promiſcue ad omnes: & aliæ ad ſpiritus ſolos, aut ad ipſos maxime: & quædam citiſſime perdunt, & quædam ſerius. Ergo putredo vt putredo harum diuerſitatum ratio non eſt. Nec putredo vt talis id efficit. Si quæ .n.

eſſet

esset putredo, quæ pestem constitueret, esset illa excellens, quam dicit esse propriam pestilentis febris Galenus, *1. in 6. Epide. 29.* vel illa, quam dicit Fracastorius *2. lib. de morb. cõt. c. 3.* sordidam profundam, à qua & pestem, & seminaria contagionis, in lentore posita, & ad minima elaborata, prodire existimat. Sed quæcunque harum concedatur, ea per se constituit pestilentem morbum. Ergo cõstituet tam hominis, quam ferarum pestem, tam ad sanguinem, quam ad bilem. Quod enim est per se, est de omni, & secundum quod ipsum. Confirmatur; nam à genere, quod se habet communiter & indifferenter ad omnes suas species, nulla sumi potest differentia diuisiua eiusdem generis, & constitutiua vnius speciei, distinctæ ab aliis sub eodem genere. Non minus autem est pestis, quæ homines magna ex parte enecat, quam quæ boues, aut leones. Inquit enim Arist. *8. de histor. animal. c. 19. Morbus pestilens nullus incidere piscibus vniuersis videtur, qualis plerunq; hominibus, & quadrupedum equis, & bobus, & reliqui generis nonnullis accidit, tum feris, tum vrbanis.* Sexto, hæc putredo, quæ febres putridas pestilentes constituit, siue sordida sit & profunda, siue excellens, & summa, vel dicit quid specie diuersum ab omni putredine, vel quid contentum intra putredinis latitudinem. Si primum; ergo febris pestilens, quæ ex ea fit, erit specie diuersa à febribus ex putredine concitatis. Consequentia deducitur ex dictis Galeni *de differen. feb. c. 1.* vt c. 3. huius libri monstratum est. Alioquin tertiana, quæ fit à flaua bile putrida, non esset specie diuersa à quartana, quæ à putri melancholia oritur. Sunt tamen febres specie differentes: nam ex humoribus specie diuersis procreantur. Si secundum, tunc ista putredo excellens & summa, vel erit talis extensiue, vel intensiue. Neutrum tamen esse potest. Non primum; tunc enim omnes febres synochæ essent pestilentes: in illis. n. vt inquit Gal. *9. meth. c. 3.* in omnib. vasis, ac potissimũ maximis, æquabiliter succiputrescunt. Nõ secundũ; tunc. n. nunquã darentur febres à principio pestilentes. Si. n. vt sit pestilens morbus, requiritur summus gradus putredinis intensiue: (summus vero est cui non potest fieri additio, alioquin summus nõ foret) talis in principio esse nõ põt in pniciosis, in quib. vsq; ad statũ semper morb. augetur: (Nã circa initia & fines, omnia imbecilliora: circa vigores

Putredo, vt caussa pestis, qualis esse debeat.

6.

Febres specie diuersæ.

vigores verò fortiora, *2. apho. 30.*) Tum quia putredine magis perseuerante, magis ac magis crescit dominium qualitatum passiuarum supra actiuas, & humidū effluit magis, & à calore minus terminatur. Sed dantur multæ febres à principio pestilentes, vt in vera peste fere semper contingit. Ideo dicebat Thucydides: *Dum alij alios curarent, contagium pecudum instar haurientes eademq; vi morbi repleti moriebantur, & hæc quidem magna ex parte internecionis caussa fuit, &c.* Ergo a putredine, quantumuis summa & excellenti, proprium characterismū febris pestilens non sortitur. Nec à putredine sordida profunda, vt infra aduersus Fracastorium profusè monstrabimus. Septimo, febris pestilens stat in hoc, quod sit morbus vulgaris multos inuadens, & plurimos occidens, ex Gal. *3. in 3. Epid 20.* cum dicit: *Neque enim certi est morbi nomen vulgare vel pestilens. Cæterum quicunque vno in loco multos simul inuaserit, vulgaris hic vocatur: qui simul si hoc habeat, vt multos perimat, pestis fit.* Quod confirmat *in 1. Epidem in proœmi. & 1 acu. com 9.* Sed hic morbus pestilens aliquando fit sine febre. Ergo sine putredine, quantumuis excellenti, vel profunda erit pestis. Ergo essentia, & characterismus febris pestilentis stat in aliquo, quod ab omni putredine, etiam excellenti, vel sordida, & profunda, diuersum sit. Consequentia est euidens. Pestis enim esse nequit, nisi sit lethalis magna ex parte, vt ex Galeni dictis est manifestum. Lethalis autem esse non potest, nisi cor afficiat. Sint enim seminaria illa Fracastorij quantumuis acutissimæ contagionis, lethalia non erunt magna ex parte, ni cor mediate, vel immediatè offendant. Monstrat hoc modus mortis, quam pestis affert, & abunde docet Gal. *5. de locis affectis c. 1. & 2. & lib. 2. acu. 47. 3. simp, c. 18.* Impossibile vero est, esse putredinem excellentem, vel profundam, & sordidam, perniciosam in corde, & febrem non facere, vt constat ex dictis a Galeno *1. de diff. feb. c. 5.* Fieri tamen pestes quandoque sine febre, abūde patet ex Hippocrate *3. in 3. Epid. 25. & 55.* & ex Gal. *in locis prædictis, & com. 59. eiusdem 3. & 9. simpl. c. de terra samia,* quod nos infra vberius demonstrabimus. Ad extremum febris pestilens est contagiosa, vt docet Gal. *1. de diffe. feb. c. 2.* cum dicit: *Sicuti & quod pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur, quemadmodū ex sca-*

Putredo nō est proprius characterismus febris pestilentis.

7.

Pestis nō est, nisi magna ex parte lethalis.

Pestes quādoque sine febre.

8.

Febris pestilens contagiosa.

x *scabie & lippitudine.* Quod confirmat *libro de ther. ad Pisonem c. 16.* & testatur Thucydides. Sed contagionis ratio non stat in putredine: Multa enim sunt morborũ genera contagiosa, quæ non sunt in putredine posita, vt infra monstrabimus, & multæ putridæ febres sunt, non tamen contagiosæ.

Contagionis ratio non cõsistit in putredine.

Fracastorij sententia & eius euersio.
Cap. XXVIII.

Fracastorii opinio.

Hieronymus Fracastorius *lib. 2. de morb. cont. cap. 3.* definiens febrem pestilentem, dicit esse febrem sordidæ & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ contagionis. Franciscus Valeriola in sua appendice ad loca communia, monstrat à putredine diuersam esse febris pestilentis naturam & contagium. Nam in pestilentiis sæpe videntur homines sani, citra putredinem, repẽte mori. At si contagio esset putrefactio, tam subito & in instanti non fieret. Deinde, quia sublata putedine sanaretur contagio; contra quam fieri cernimus. Præterea vestes, quæ diu pestis seminaria retinent, & eorum contagione homines in pestem inducunt, & ipsæ putrescerent, quod non contingit. Ad extremum, auxiliis putredinem remouentibus curaretur pestis. His tamen non tollitur, sed alexipharmacis, tota substantia pugnantibus. Quibus rationibus conati sunt facere satis Donatus Marcellus Mantuanus *lib. de Variol. cap. 5* & Horatius Augenius *1. par. epist. med. lib. 4. epist. 1* dicentes, Fracast. per putredinem non putrefactionem simpliciter intelligere, sed putrefactionem transeuntem in alium, quæ corruptio substantiæ est. Recta tamen responsio non videtur. Vt enim in putredine transeunte, sic & in permanente corruptio est, si putredo perficiatur, vt euidens est ex Gal. *2. aph. 17. lib. artis med. 89. & 11. meth. c. 8.* Nec reddit rationem Augenius, cur putredo in alium transiens, corruptio sit; in eodem permanẽs, non sit. Nec ignorauit Fracast. corruptionem esse quid longe vniuersalius putrefactione, qui bene vidit Galeni verba *5. simp. c. 15* Dixit tamen *1. de cont. c. 9. Si igitur in omnem contagionem inductio fiat, omnes quidem in putrefactione quadam consistere videbuntur.* Nec est verũ, omnem contagij putrefactionem esse corruptionem. Lippitudo, enim

F. Valeriola aduersus Fracast.

enim contagiosa est, *ex Gal. 1. de dif. feb. c. 2.* nullam tamen inducit substantiæ corruptionem, imo nec perpetuò putredinem: quandoque enim ex flatuosi spiritus affluxu fit, vt *ex 13. meth. c. Vltimo, manifestum est.* Nec tandem in corruptione stat verus febris pestilentis characterismus, vt inferius, cum aduersus Augenium agemus, erit manifestum. Ego igitur, præter Valeriolæ rationes, monstrabo ex concessis à Fracast. essentiam febris pestilentis, & eius characterismum ab omni putredine esse diuersum. Primum, essentia febris pestilentis stat in seminariis contagij lethalis. Sed hæc seminaria diuersam omnino habent naturam ab omni putredine. Ab omni ergo putredine diuersa erit natura febris pestilentis. Maior est Fracast. qui *lib. 2. de morb. cont. capit 3.* inquit: *Quod si pestilens aliqua febris primo in nobis fiat, nunquam tamen esse pestilentem dicimus, nisi tum, quum seminaria contagionis iam facta sunt.* Et in fine eiusdem capitis subdit: *Quod autem per se, est, &, Vt aiunt, formale, est esse febrem per se includentem seminaria contagionis lethalis: Propter quam caussam, quæ è Venenis fiunt febres, lethales quidem sunt, sed non pestilentes, quoniam contagiosæ non sunt: carent enim eo, quod formale est, & per se ratio pestilentiæ.* Minor patet ex multis. primum vel hæc seminaria sunt ipsamet putredo febris pestilentis, se ipsam effundens, vel eius vapores, vel quid ab vtrisque diuersum. Non sunt vapores. Fracast. enim *capite eodem* loquens de seminariis inquit: *Quæ tametsi communi quodam principio cum Vaporibus & loci caliditate conueniunt in agendo, peculiarem tamen quandam sortita naturam sunt, &c.* Neque sunt ipsamet putredo seipsam effundens: Inquit enim Fracastorius *capit. eodem. Quoniam seminaria hinc indè dispersa sunt, & hæc alia ceu sobolem generant.* Tunc ergo putredo seminaria generans seipsam generaret, seipsam multiplicaret, atque diffunderet, Quare res esset, antequam fieret, quod principiis naturalis philosophiæ repugnat. At verò si dicat Fracast. fieri hanc seminarij pestilentis productionem, vt fieri putauit productionem specierum *lib. de sympl. & ant. cap. 5.* vbi dixit: *Recipiendum autem est, spirituales species eiusdem*

Essentiam febris & eius characterismum à putredine diuersum esse probatur.

1.

dem rationis esse cum formis illis, quarum sunt species, nec differre ab iis nisi modo subsistendi. Eatenus enim materiales sunt, & dicuntur, quatenus crassa quadam existentia in materia sunt. Ingenitum autem est formis omnibus, sese (quo magis possunt) propagare, quod quidem faciunt crassæ illæ formæ, quæ materiales vocantur. Verum propagare sese per eum modum, & existentiam, qua ipsæ sunt, non utique possunt, sed tenuem, & superficialem sui vel partem, vel gradum producunt, &c. manifestum est, hoc purum commentum esse, ac naturalibus principiis aduersari. Tunc enim formæ materiales separabiles essent à materia, de cuius potentia sunt eductæ, cuius sunt actus, & subsistentiam haberēt seorsim à composito materiali, ac tandem à crassiori illo composito ad vestes, ad aërem, ad alium hominem, quem inficiunt, transeuntes, de subiecto in subiectum migrarent, si è crassiori eorum composito tenuem, vel superficialem, sui gradum, vel partem producerent. Præterea, natura humoris, qui in febre pestilenti putrescit, est in dissolutione suæ mistionis; Natura seminarij lethalis seruat actu mistionem suam fortem, elaboratam, in lentore constitutam, ad longum tempus incorruptam. Ergo putredo & seminaria ex rei natura diuersa sunt sunt. Euidens est argumentum: nam quæ putrescunt, primo fiunt humida, mox sicca, tandem terra & fimus, *ex Aristotele 4. meteor.* Naturam horum seminariorum lethalium explicat Fracastorius *2. eodem 3.* cum inquit: *In primis enim diximus, habere ea vim & actionem multam, tum & mistionem in lentore constitutam.* Accidit, quod si seminaria essent eiusdem naturæ cum putredine sordida & profunda febris pestilentis, summum fætorem haberent: nullum tamen habent. Hoc longo experimento didicimus in peste Messanæ vrbis. Sic enim ex sola graueolentia facillimum fuisset vestes seminariis infectas deprædendere: quandoquidem profunda ac sordida putredo cum fœtore est, *ex Galeno 5 simpl. capitu. 15. 1. prognost. commen vltimo, & eiusdem 22.* confirmatur ex confessione Fracast. qui *1. de con. cap. 9.*

2.

Putrefactio vt fiat.

3.

Seminaria pestis fœtorem non habent.

inquit: *In quibus igitur simplex fit putrefactio, generatio autem nulla, & fœtor fit, & abominabilis sapor.* Nec est quod dicat Donatus Marcellus *lib. eodem*, non putrescere vestes: nam aptæ non sunt putredinem concipere, quia viuentes non sunt, nec natiuo calore præditæ. Si enim nihil putresceret, quod viuum non esset; sic & humores non putrescerent, qui viuentes non sunt. Et falso diceret Aristot. *4. meteor tex. 5.* omnia, vno igne excepto, putrescere. Falso diceret Galen *11. method. c. 9* vestes aliudvè inanime corpus putrescere. Cæterum nec est verum, à putredine febris pestilentis sordida & profunda prodire seminaria pestis. Vel enim erit profunda ratione quantitatis, vel intensione ac gradu actionis. Sed neutro modo contingit. Nam si primum esset, tunc febres synochæ putridæ; si secundum, tūc ardentes, & furiosæ, seminaria pestis producerent: quod verum non est. Modus arguendi est ipsiusmet Fracastorij, qui *lib 2. de morb. conta. c. 3* arguens Montanum, inquit: *Oportebit præterea declarare, qualisnam esset ea ingens putrefactio; num quantitate ingens, & mole, an gradu actionis. Nam si actione ingens, cur ardentissimæ causones, & furentes, non tamen pestilentes sunt? Quinimo nec illæ, quæ ex æruginosa cholera fiunt. Si vero quanditate ingens est, &c.* At Gal. *11. meth. cap. 4.* in synochis putridis, vel æqualiter in omnibus vasis subsistere, vel in maximis, maximeque principalibus, putredinem affirmauit. Ad extremum si sola putredo sordida, & profunda, & seminaria contagionis lethalis febrem pestilentem constituunt, cur est quod febris pestilens Britannica, quæ vno die vel interficit, vel sudore finitur, illam solam regionem quandoque adoriatur, non alias? cum & in aliis consimilis aëris inclementia, eadem stellarum configuratio possit putredinem sordidam profundam, seminariorum lethalium productricem, procreare. Quod si id referat Fracastorius ad mineras gypsi, quib. Anglia abundat, cur aliæ regiones, in quibus gypsum copiose nascitur, talem luem nullo tempore sunt expertæ? Si dicat, esse vapores subtiles; habentes analogiam ad spiritus vitales: an reliquæ ephemeræ pestilentes in aliis regionib. à vaporibus, vel seminariis, ad spiritus analogiam habentibus, non procreantur? Tandem si petat quis à Fracastorio, quæ sit hæc analogia vaporum ad spiritus? Respōdet

Omnia præter ignem putrescunt.

4. *Seminaria pestis vnde.*

Putredo in synochi putridis.

5. *Febris Britannica natura.*

lib. eo-

lib. eodem 2.c.5. Vniuersalis quidem caussa est analogia illius aëris, particularis vero, in quo ea consistat analogia, difficile certè est nosse. Et *lib. de symp. & ant. cap. 11.* inquit: *Quæ autem analogia particulatim ea sit, Deo & naturæ notum est.* Ergo ex confessione Fracastorij non est putredo sordida & profunda, quæ peculiarem producit contagij pestilentis naturam, vires & impetus varios: ea enim omnibus esset æquè communis: sed quid ab illa diuersum, singulis seminariis peculiare, ac determinatum.

Eustachij Rudij opinio, & eius impugnatio. CAP. XXIX.

EVstachius Rudius *lib. suo de feb. c.30.* dicit, febris pestilentis essentiam esse putredinem rei venenatæ, cor insigniter lædentis. *Oportet enim*, inquit, *vt sit perniciosa febris ex re venenata, quæ suam putredinem tempore & ratione præcedat; Impossibile autem est, vt venenato humore putrescente, putredo consequens non sit excellens, excessiua, summa, & venenata. Hæc magnam actionem promit, ac cor ita lacessit, vt pessima illa symptomata oriantur, & mors etiam subsequatur. Et hæc est illa excellens putredo, penes quam dicit Gal. differre febrem hanc à reliquis: quam aliquando malam putredinem, aliquando corruptionem appellat.* Hæc sententia mihi dubia est. Oportebit enim in febris pestilentis generatione, primum reperiri venenum in humano corpore, mox illud putrescere, & tandem communicata cordi putredine febrem pestilentem fieri. At tunc febris tertiana, vel ardens, vel synocha pestilens esse non poterit, cuius oppositum obseruauit Hipp. *3. in 3. epidem. à tex. 9. ad 64.* Vt enim differt tertiana à quartana, (nam humor biliosus à melancholico diuersus est,) nec vna ad alteram referri potest; sic febris pestilens ab omni tertiana, vel synocha putrida diuersa erit, nec ad vllam earum referri poterit, cum venenum putrescens ab omni humore putrescente diuersum sit. Deinde nec videtur verum, venenum, siue in corpus immissum, siue in eo genitum, putrescere ita posse, vt febrem generet pestilentem. A quo enim, vt ab efficiente, in putredinem ducetur? Non quidem à se ipso: nihil enim se ipsum destruit. Non à calore innato: ab eo enim vinci non potest. Non ab extraneo ambientis: quoniam

E. Rudij opinio.

Impugnatur hæc opinio. 1.

Venena nũ putrefieri possint.

niam vel erit venenum frigidum, vel calidum, vel toto genere deleterium. Si primum longo indiget tempore, vt putrefaciat, *3 simpl 22.* longiore vt putrescat. Si secundum, vel tertium, longissimo, & summa cum difficultate putrescent. Caliditas enim summa, quanto igni viciniors, tanto difficilius putrescit: summa siccitas difficillimè patitur dissolutionem. Toto genere lædentia velocissimæ sunt actionis, ac momento totum corpus immutant, *ex Galeno primo de semi. cap 16.* Quæ velocissimi motus sunt, difficillimè putrescunt. At vero febris pestilens, & quæ ex aëre fit inspirato, repentè prodit, & quæ ex succorum corruptione fit, vbi pars princeps affecta sit, repentè consurgit

3. *Febris putridæ pestilentis generatio.*

Adhæc aer pestilens inspiratus, delatus ad humores contentos in sinibus cordis, generat febrem putridam pestilentem, *ex Galen. 3. de præsag. ex pulsat. capit. 3.* Igitur oportebit primum mutari humores illos in venenum, & mox illud putrescere, vt febrem pestilentem efficiat. Non enim dicit Rudius, fieri febrem hanc à veneno putrefaciente, sed putrescente. Falsum igitur erit, quod *ibi* dicit Galenus, plurimos eorum liberari, quibus ad humores, quos continent cordis sinus, putredo reflexit. Impossibile enim esset, humores contentos in ventriculis cordis, venenum fieri, & ægros magna ex parte euadere: quando venenum calorem innatum destruat, *ex Galeno 3. de temp. capit. 4* & à calore innato vinci non possit, *3. de natur. facultat. capitul. 7.*

4.

Ad extremum, tunc hecticæ pestilentes, morbi pestilentes erunt, sed hecticæ febres pestilentes non erunt, quod aduersatur Galeno, *3. de præsag. ex pulsib. capitul. 3. & 4.* Si enim vera esset Eustachij sententia, oporteret substantiam cordis solidam, vel saltem roridam eius humiditatem prius mutari in venenum, mox venenum illud putrescere, vt febris pestilens hectica fieret. Explicans enim Galenus febris pestilentis hecticæ naturam, solidarum partium cordis putredinem commemorat, *libr. eodem capitul. 3.* cum inquit: *Quam excogites medicinam ad putredinem, quæ in corde sit.* Morietur igitur homo, priusquam febris hectica pestilens producatur.

Febris pestilentis hecticæ natura in quo.

Non fit enim febris hectica pestilens, nisi ros vel solidum cordis corpus putrescat. Sed si non putresceret, nisi prius venenum fieret vt vult Rudius, manifestum est, quod statim ac corpus cordis venenum fit, animal

toritur. Ergo morietur animal antè ex veneno, quam hectica pestilens constituatur.

Horatij Augenij sententia, & aduersus illam dubitationes. Cap. XXX.

HOratius Augenius *parte prima epistolarum medicinalium lib. 4. episto. 1* dicit, pestilentes febres omnes continere putredinem. In hoc tamen differre à putridis reliquis, quòd illæ præter vnam putredinem nihil habeãt, pestilentes vero contineant quid maius putredine, nempè corruptionem substantiæ: quam alij excellentem quandam putredinis conditionem, & gradum vocant, nos vero (inquit) nomine magis proprio vocamus corruptionem: sic enim eam vocat Galenus. Continet ergo febris pestilens putredinem simul, & corruptionem, ad quam peruenit corpus præcedente putredine, vt dispositione. Corruptio ergo substantiarum pestilentiam vere facit, eius essentiam & characterismum constituit. Quamobrem subdit; Omnes febres, in quibus eiusmodi apparet subitanea, violentaque corruptio, pestilentes vocamus: cum sint acutæ, communes multis, actu aut potestate contagiosæ, dissoluto misto à calore septico, & vnoquoque mistionis principio redeunte ad propriam naturam, cum seminariis rei putridæ, vim habentibus generãdi tale, quale ipsum erat. Sed nonnulla sunt, quæ præsentem sententiam clariorem desiderãt. Primum corruptio, quæ sequitur ad putrediñe, tanquam ad dispositionem, non est propria febris pestilentis: reperitur enim communis omni putredini in facto esse, quæ sequitur putredinem in fieri, vt propriam dispositionem. Inquit enim Galenus *11. methodi cap. 8. Quæ nam igitur est putredinis natura? Nempe mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam.* Et *2. aph. comm. 17. Hoc quidem,* inquit. *in sanguine euenit: nam & ipse, vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem. Si vero pauca contigerit, vbi id, quod est superfluum, fuerit euacuatum, quod residuum existit, ad suam naturam restituitur.* Et paulo post: *Illa, vt dixi, sola vocata corruptione, quæ tam effatu dignam habet eam, quæ ad id, quod præter naturam est, euersionem, vt non possit iterum ex naturæ. coctione ad primam humoris redire bonitatem.* Et *libr. ar. medicin. capitul. 89. Esto enim,* inquit, *si ita* conti-

Sententia Augenij examinatur. 1.

Putredinis natura.

contigerit ex humoribus putrescentibus accendi febrem; indicatio in huiusmodi est euacuatio, atque alteratio. Hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc caussa: euacuatio vero, quæ totam ex corpore substantiam educat Et *11. met. cap. 8.* ita inquit: *Putredinem, quæ in viuis est orta, sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omnia ratione vacuantes.* Quod confirmat *cap. 10. & 13.* Cum ergo in omnibus ferè febribus putridis, præsertim in quibus putredo in omnibus vasis subsistit æqualiter, vel in maximis, maximèque principalibus, sit putredo in facto esse, omnes, & putredinem, & corruptionem habentes, febres erunt
2. pestilentes. Quod recte dictum non est. Secundo ista corruptio, vel erit venenum, vel eius humoris, qui putruit, sola corruptio, absque eo quod inde venenum generetur. Si primum, tunc essentia febris pestilentis non erit in corruptione posita, sed in veneno. Si secundum; quod putrescit in humoribus facientibus febrem, fit cinis, *ex Gal. 3. de præsag. ex pul. c. 7.* Cinis vero humorum in febribus neque venenum est, neque pestilentem febrem constituit: alioquin atra bilis, quæ fit ex adustione flauæ venenum foret, & febrem quam constituit, pestilentem cõstitueret, quod non est; vt patet *3. progn. 27. & 28. & 3. de locis affectis cap 7.* Nec erit verum, humorem corruptum ob puttedinem habere vim septicam, & misti dissolutiuam: tunc enim id omni cineri, cuius vis humoris qui putruit, in quauis febre conueniret. Quod si Augenius intelligat corruptionem, non humorum, sed substantiæ viuentis, eiusque in sua principia dissolutionem; tunc non erit verum, omnẽ febrem pestilentem continere putredinem, tãquam dispositionem ad hanc corruptionem, vt ipse dicit: quod repugnat Galeno *1. de diff. feb. c. 5.* Consequentia patet: nã multa venena epota, & quæ ictu, & morsu funduntur ab animalib. maleficis, viuentis substantiam destruũt sine putredine, vt quæ erodendo enecant, & quæ toto genere deleteria momento corpus immutant, *primo de semine cap 16.* Nec omne quod corrumpitur necessario putrescit, vt mõstrat Gal. *5. sim. c. 15.* Preterquã quod, si in corruptione substantiæ viuentis staret characterismus febris pestilentis, tunc omnes febres pestilentes essent hecticæ, quod repugnat Gal *3. de præsag. ex pul. c. 3. & 4.* At in hoc differũt hecticæ

Cinis humorum nec venenum est, nec pestil. febrem constituit.

Humor corruptus non habet vim septicam.

Venena sine putredine lædentia.

ctica pestilētes à putridis, quod in illis defluit putredo ad humores, quos continent cordis sinus, non ad ipsum corpus visceris: in his autem solidæ partes corrumpuntur, vt ibidem dicit Galen Substantiæ autem quæ verè viuunt in corpore nostro, partes solidæ sunt, non autem humores. Præterea si dissoluitur mistum à calore septico, ita vnumquodq; mistionis principium redeat ad suam naturā propriam, tunc tale mistum reducetur ad elementa: mox talis dissolutio non fiet à calore septico: (a veneno enim venenum fit: Immutat.n. venenum corpus nostrum alteratione sibi simili, *ex Gal. 1 de sem. cap. 16.*) Vel ergo vnumquodq; mistionis principium non reducetur ad propriam naturam; vel illius misti principia venenum erunt, quod falsum est. Rursus essentiam febris pestilentis constituit venenum, vt caussa coniuncta & mutatio venenata, & à tota substantia, vt supr. *c. 9.* monstratū est. Sed multæ sunt corruptiones, quæ veneni non sunt, nec ad venenū. Ergo absolutè corruptio substantiarum characterismum febris pestilentis non constituit. Ad extremum, seminaria pestilentia, quæ vim habent putrefaciendi, ac generandi, pestilentem affectum, à quo producuntur? Ab humore inquiet, faciente febrem pestilentem: sed tunç an ab eo dum putrescit? an dum corrūpitur? an ab aliquo, quod fortè ex eius corruptione generatur? vt v.g. putrescat flaua bilis excellenti putredine, corrumpatur, producat febrem pestilentem contagiosam; tunc ista seminaria contagionis, quando fient? an dum putrescit? an dum corrūpitur? an postquam desinente bile aliud generatur? Si primum, ergo non inducent in aliud corruptionē, sed putredinem solam: contagionis.n. seminaria inducūt qualitatem similem eius, à quo fiunt, non eius, quod adhuc non erat, dum fierēt. Adde quod si dum putrescit bilis, seminaria producit, dum est in fieri, & adhuc excellentem illum gradum corruptionis non acquisiuit, cur omnis flaua bilis, dum putrescit, non est contagiosa? cur tandem characterismus febris pestilentis non erit in putredine, vt dicit esse in corruptione (Si secūdum, ac adhuc retinet formam bilis, dum corrumpitur? an desiit esse bilis? Si retinet, ergo operabitur calore, & siccitate, quę bilis sunt propriæ qualitates, eius formam necessario consequentes. Agent ergo

Hecticæ pestilentes vt differant à putridis.

Essentiam febris pestilentis, venenum constituit.

3.

ſeminaria illa caloris & ſiccitatis exceſſu; ergo nō toto genere, & abdita vi deleteria. Nihil.n.agit vltra ſuā ſpeciem, quod tamē experimento repugnat. Quod ſi bilis propriā naturam non retinet, à noua forma genita poſt bilis corruptionem, ſeminaria producentur: ab eo enim quod non eſt, nihil producitur, ſed ab eo quod eſt in actu. Ergo ſeminarij peſtilentis productio nō proueniet à bile, quæ deſijt eſſe; nec à corruptione eius. Ergo febris peſtilentis characteriſmus in corruptione non conſiſtit, ſed in alia natura abdita, ac malefica, quæ poſt humoris ſummā corruptionem immędiatè generatur.

Opinio propria, & ſolutio rationum oppoſitarum.

CAP. XXXI.

Differentiæ multæ febriū putridarum & peſtilentium.

DIcimus igitur, febrium putridarum, & peſtilentium multas eſſe differentias. Quantum verò ſpectat ad præſens inſtitutum, putridæ nihil habent præter putredinem; peſtilentes, & putredinem, & venenum. Vnde, vt reliquæ febres putridæ morbi ſunt in intemperie; ita peſtilentes ſunt & in intemperie, & à tota ſubſtantia. Inde eſt, quod non quantitate, ſed toto genere lædant. Et pro huius veneni varia antipathia, varias ſortitæ ſunt febres peſtilentes analogias, nunc ad ſolidas cordis partes, modò ad ſpiritus, aliquando ad humores: & horum nunc ad vnum, modo ad omnes. Igitur, vt humores, qui putreſcunt in febribus cæteris, terminantur in cinerem, *ex Galen.3.de præſag.ex pul.c.7.& 11.meth.c.9.* ſic in febre peſtilenti dum putreſcunt, corrumpuntur, & ad venenum terminā tur. Proprium vero eſt hoc peſtilētium febrium ob duas rationes: Fiunt enim duobus modis, vel aëre inſpirato, peſtilentibus ſeminarijs infecto: vel ex interna humorum pernicie. Primo modo cauſſa huius veneni eſt externum venenoſum efficiens, quod vbi corpus ingreſſum eſt, vel per aſperam, vel per alias arterias, & ad cor deductum, ſpiritus, humores, vel ſolidas eius partes, pro ſua analogia ſibi ſimili alteratione putrefacit, corrumpit, ac in ſui naturam commutat, & febrem concitat venenoſam. Ideo Galenus aërē peſtilentem inſpiratum, indifferēter modo venenum, modo putridum, ac putrefacientem appellat. Venenum appellat

Febrium peſtilentiū analogiæ ex veneni antipathia.

Febres peſtilentes duob. modis fiunt.

1. Aere venenoſo inſpirato.

Aer Galeno, venenū, putridus, putrefaciens dicitur.

lib.de

lib de theriaca ad Pisonem l.16. cum dicit: *Qui cum respirare non possint; contagium miseri euadere nequeunt: attrahunt enim in seipsis aerem illum infectum tanquam præsentaneum quoddam venenum* Appellat & putridum, & putrefacientẽ, *3. de præsag. expul. c. 3.* cum inquit: *Vbi aer, quem inspirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo corpus cordis attigerit.* Et paulo post: *Quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ in corde sit. Nam quibus calor hic putredinosus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexerit, &c.* Hæc Gal. Secundo modo prouenit, quando humores ex interna putredine, & corrumpuntur, & in venenũ commutantur, qui si venenum cordi cõmunicent febrẽ concitant pestilentẽ. Cõtingit autem hoc, non cuicumq; rei putrescenti, sed peculiari humori, ex praua perniciosorũ ciborum natura progenito. Ideo dicebat Gal. *lib. de cibis boni, & mali, succi cap. 8. Inter fructus censentur cucumeres quoq; & pepones, & melopepones, quorum nulli succus bonus insit, eo quod nisi aluũ statim subeant, corrumpantur ibi, humoremq; ex corruptela hac faciant, qui non lōge à mortiferis venenis absit.* Et *2. de alimentorũ fac. c. 11.* loquẽs de sycaminis, inquit: *Quod si sumpta post alios cibos fuerint, aut etiam prauum succum in ventriculo offenderint, celerrimè vnà cum aliis cibis corrumpuntur, nouo quodam corruptionis genere, & quod verbis explicari nequeat.* Hæc Galenus. Quæ si ita sunt, quale venenum putandum est, fuisse genitum ex medullis ossium mortuorum, quas comedentes, derepente mortui sunt omnes? Mirum ergo nõ est, rem perniciosam, dum putrescit, corrumpi, & in veneni naturã mutari. Ideo dicebat Auicẽnas *lib. 4. fen. 3. trac. 1. c. 17. De omni apostemate pernicioso propter conuersionem materiei eius ad substantiam venenosam, quod corrumpit membrum, &c.* Ideo propter esum ciborum insolentium morbi pestilentes cõtingunt, vt narrat Galenus, *lib. de cibis boni, & mali succi cap 1.* In corpore enim viuente ex humorum corruptione venenum generatur, vt infra mõstrabimus. Quod si ad partem principem, nempe cor, deferatur, momento totum corpus immutat, ac morbum in intẽperie, & in tota substantia inducit, qui febris est pestilens. Neque enim febris pestilens esset morbus magna ex parte lethalis, si venenũ non cõtineret: nec esset cõtagionis adeo vehementis; nec tam sæua sympto-

2. Interna humorum putredine.

Esu ciborum insolentium pestes cõtingunt.

Febris pestilens Galeno pemphigodes dicitur.

ſymptomata afferret; nec tàm derepente interficeret, vt à Galeno *1. in 6. Epide. 29.* pemphigodes, id eſt, aſpectu horribilis vocaretur, niſi id, ex quo fit, innatum calorem noſtrũ demoliretur, atque deſtrueret ſua cõtraria antipathia: neque id efficeret, ni veneni naturam ſubiret. Quod vt a calore innato noſtro non vincitur, *ex Galeno 2. de natu. facul. c. 7.* ita caloris eſt toto genere deleterium. Huius generis eſt illud diuinum, & admirabile, quod Hippocrates voluit eſſe obſeruandum in morbis, *1. prog. 4.* quod in aëre, non in qualitatibus manifeſtis modo, ſed multo magis abdita, ac deleteria pernicie coinquinato, & à tota ſua ſubſtantia lædente, vt in cauſa efficiente, reperitur. Hęc eſt illa morbida excretio, qua dicit aërem eſſe conſperſum *2. de natura humana. 4.* Huc referri etiam poteſt ille morborũ impetus, de quo Hippocrates *3. progno. 38.* De hoc loquitur Galenus *2. de natura humana, comm. 4.* cum inquit: *Rectè igitur, cum halitus ſola potius ſubſtantiæ proprietate, quàm ſimplici aliqua qualitate corporibus noxij ſunt.* Hinc eſt quod Galenus vocat peſtilentium febrium putredinem excellentem, & ſummam, non quod ſit putredo in ſummo extẽſiuè, vel intenſiuè, ſed quia ſit putredo rei pernicioſæ, vel à cauſſa putrefaciente pernicioſa, quæ veneni naturam inducat. Ita vocat hanc putredinem corruptionem, non quod omnis putrefactio ad corruptelam mutatio nõ ſit; ſed quia innatum calorem noſtrum corrũpit ſua peculiari antipathia, vt facit venenum epotum, *ex Galeno 3. de temp. c. 4. 5. ſimp. c. 19. & ſequentibus.* Quare licet putredo ſit vt diſpoſitio, venenum tamen eſt characteriſmus febris peſtilentis. Sed hîc duæ dubitationes ſolutionem quærunt: Prima, tũc febris peſtilens ad nullum genus putridarum poterit reduci, ſi humor, qui illam facit, mutatur in venenum, & ipſa à veneno cõſtituitur. Oportet enim corrumpi prius humorem, vt ex illo generetur venenum, quod autem corruptũ non eſt, vt venenum genitũ, ſpecie diuerſum eſt ab humore corrupto. Neq; venenum de nouo genitum iterum putreſcit, nec ſi putreſceret rediret ad naturam humoris: eſſet enim regreſſus à priuatione ad habitum. Febris ergo peſtilens ad humoralem referri non poterit. Secunda tũc à veneno epoto, ſaltem à ſeptico, peſtilens febris fieret: illud enim putrefacere humores, docet Galenus *3. ſimp. 22.* Sed i-

τὸ θεῖον Hippocratis.

Morbida excretio & impetus morborum apud Hipp.

Putredo febr. peſtil. cur Galeno dicatur excellens & ſumma.

Venenum characteriſmus febris peſtilentis.

Dubitationes duæ.

1.

2.

Solutio.

ſtæ

stæ dubitationes non multo negotio diluuntur. Ad primã dico, febrem pestilẽtem reperiri posse in omni genere putridæ. Nam *3. in 3. Epidem. 20 Neque enim certi est morbi nomen vulgare, vel pestilens. Cæterũ quicunque vno in loco multos inuaserit, vulgaris hic vocatur: qui si hoc habeat, vt multos perimat, pestis fit.* Ideo *3 eodem* in illa pestilenti constitutione enumerat ignes sacros, febres ardentes, ora aphthis vitiata, pudenda tuberculis, &c. in quibus omnibus licet humores diuersi, diuersimodè, ac diuersis locis putrescerent, omnes tamen cõmuni constitutione excellenter putrescentes, in communis veneni naturam abierunt. Fit igitur ista humoris ad venenum mutatio successiuè, & in tẽpore; nam mutari necessario præcedit mutatum esse. Ideo humor, v.g. sanguis, dum excellenter putrescit, & ad venenum commutatur, partẽ habet in mutari, & partem in mutato esse, (vt & omnia quæ putrescunt, *11. meth. c. 10.*) Pars in mutari est sanguis, pars in mutato esse, venenum. Cum ergo vtriusque partis vapores, à foco febris eleuati cor afficiant, febrem vtriusque naturæ constituunt, & ita febris ab humore, puta à sanguine, synocha; à veneno, perniciosa, & constituitur synocha pestilẽs. Ita facit & aliorum humorum vnusquisque, si quando excellenter putrescens ad venenum commutetur, & febrem constituat. Denominatio vero fit ab humore, qui putrescit tam in fieri, quam in facto esse. Ad secundam, venena epota enecant, sed febrem pestilentem non faciunt, si non putrescant, & humores nõ mutent ad venenum per putredinem. Septica id faciunt, & febrem pestilentem constituunt, vbi ad cor eorum putrefactio peruenerit. Concitant autem febrem pestilentẽ sine peste, si ex priuato veneno septico febris fiat: pestem veram constituent, si idem venenum ab eodem populo communiter assumptum, eundem communi febre afficiat, *vt c. 2.* monstratum est. Ad extremum dubitat Eustachius, si venenum hoc fieret à putredine excellenti, pestis nunquã esset sine febre. Respondeo, sine febre esse quandoque, si focus eius non sit in corde, vel ad cor putredinis vapores non perueniant, nisi solius veneni: vt contingit quãdoq; à bubone putrido, nõ peruenire ad cor putridos vapores, & solum ephemeram fieri, *4. apho. 55.* Ad rationes Massariæ in principio adductas respondeo. Ad primam, omnes febres pestilen-

Margin notes: *2.* — *Humoris ad venenũ mutatio fit successiuè.* — *2.* — *Obiectio.* — *Solutio rationũ Massariæ.* — *1.*

pestilentes hęrere putredinem tanquam dispositionẽ, non terminari tamen ad solam putredinẽ, sed ad venenum. Galenum vero per excellentẽ putredinẽ, & summã corruptionem, quas vbiq; tribuit febri pestilenti, dico non intelligere illius febris characterismum, sed rem, quæ, dũ putrescit, in venenum mutatur. Ad aliam dico, quod curantur pestilentes febres non omnino vt reliquæ putridæ: nam curantur & bezoardicis, quibus reliquæ putridæ non egent. Galenus autem *1. de differen. febrium*, non curat, sed pręseruat à peste, nec præseruat ratione caussæ facientis illam, sed passi, & ideo exsiccat, euacuat, deobstruit, vt in reliquis putridis. Pro curatione vero, & præseruatione quoq;, exhibet bezoardica, quæ tota substantia pugnant cum peste, vt *libro de theriaca ad Pisonem c. 16. & de theria. ad Pamphilianum*, theriacam commendat, & bolum armenam *9. simpl.* vbi inquit: *Porro in magna hac peste, cuius eadem facies fuit, atq; eius quæ Thucydidis memoria grassabatur; quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cum nec alio quouis iuuarentur.* Ad extremum hectica & ephemera pestilentes à veneno fiunt, immediatè cordis substantiam, vel spiritus lædente; quod vel a putredine excellenti in corpore genita, vt aëre malo modo putrescente, ac inspirato producitur: quod venenum si sua peculiari analogia cordis substantiam ad venenum commutat, hecticam producit; si vero spiritus, ephemeram concitat pestilentem.

Theriaca & Bolus Armena commendantur in peste.

3. Hectica & ephemera pestilentes à veneno fiũt.

DISPVTATIO VIII.

An possit esse vera pestis sine febre. Opinio Antonij Porti Firmani, & eius impugnatio.

CAP. XXXII.

PRo maiori dictorum explicatione, duo succedunt examinanda: Primum, an dari possit vera pestis sine febre. Secundum, an in viuente corpore verum venenum possit generari. De priore consentientes Medici non sunt. Antonius Firmanus vir apprimè eruditus *libro suo de peste cap. 3.* asser[illegible], pestem non solum absque febre non dari, sed ipsam febris speciem esse, à nimia, & excellentiori putredine

Rationes eorum, qui Pestem non dari sine febre affirmant.

dine factam. Probat hoc ex Hippocrate *libro de flatibus*, 1.
vbi inquit: *Primum autem à communissimo morbo febrili exordium sumam, & qui omnium morborum comes est:* Et paulo post: *Sunt autem febrium genera duo, ut hoc quoque nunc attingam, quorum alterum, commune omnibus, pestis appellatur: alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea utuntur.* Hæc Hippocrates. Ergo si daretur pestis sine febre, falso Hippocrates communem febrē pestem vocaret. Secundo nec videtur rationi cōsonum, morbum, qui interimere vt plurimum potest, cor ipsum, vel cōtenta in eo, in putredinem redigere, & valde acutum esse; febrem autem non concitare. Tertio Paulus *lib. 4. cap. 22.* loquens de bubone sic inquit: *Febribus autem superuenientes, qui plurima parte ex pestilentiali lue solent incidere, teterrimi sunt, siue femora, siue alas, aut ceruicem inuaserint.* Vbi Paulus dicit, bubones febribus superuenire, & sermonem coarctans, in quibus febribus, si superueniant, teterrimi sunt, inquit, *in pestilenti.* Supponit ergo pestilentem febris speciem esse. Tandem Galen. *1. in 6. de morbis vulg. comme. 29.* monstrat, pestem cum febre omnino esse, vt toto illo commento videri potest. Quod si quis dicat, Hippocratem, & Galenum *3. in 3. Epid.* enarrantes pestilentem illam constitutionem, dicere multos fuisse morbos cum febre, multos sine. Respōdet Firmanus, multos morbos etiam non pestilētes ibi Hippocratē numerare: Ideo *tex. 64.* inquit: *Multa præterea febrium alia genera vulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarū, continuarum, longarum, vagarum, fastidiosarum, inconstantium.* Quare vt non omnes morbi eius tempestatis erant pestilētes, ita nec illi, qui sine febre fuerunt. Cæterum hæc sententia recta non videtur. Primū omnes morbi, quos recēset in illa constitutione, vt febres tertianæ, & quartanæ, & nocturnæ, & lōgæ, & ad vnū omnes, verè fuerūt pestilētes: ergo, & qui fuerūt sine febre, pestilētes quoq; fuerunt. Antecedēs patet: nam Hippocrates, *3. lib. à tex. 9. ad 19.* describit varios morbos, qui euenerunt in ea constitutione, & primum enumerat ignes sacros, febres ardentes, phrenitides, aphthas, tubercula, carbunculos: & *tex. 18.* inquit, aquæ intercutem, & *tex. 19.* tabidi multi: Tunc sic tabidi, & hydropes longius distāt à morbo pestilenti, quā febres tertianæ,

Refutatio eorum, qui pestem sine febre nō dari affirmant.

1. Ratio.

tianæ, & quam putredines, ex quibus caput totum glabre-ſcebat, ac mentum oſſaque denudabantur decidebantq;, quibus adiuncta aliquando, aliquando non, erat febris, vt *ibidem* inquit Hippocrates. Sed tabes, & hydrops peſtis fuit: ergo multo magis & putredo, quæ ſine febre mẽtum oſſaque denudabat, & abſcindebat. Minor patet ex Hippocrate, qui poſtquam recenſuit tabidos, & hydropicos, *tex.21.* dixit: *Ex qualibet morborum, quos recenſuimus, ſpecie complures ægrotabant & moriebantur:* vbi Gal. *Cum dicit, & complures moriebantur, peſtilentes fuiſſe morbos, qui vulgarentur, demonſtrat.*

2. Secundo morbos, quos recenſuit Hippocrates illo 3. Epid *à tex.9. ad 19.* qui vulgabantur ea peſtilenti cõſtitutione, deinceps ſigillatim declarat, *à. tex. 22. ad 65.* Subdit enim *com.21.* Gal. *qui quando diuerſi fuerint, de ſingulis ſeparatim infra acturum promittit.* Sed inter hos morbos enumerantur tam longi, quam celeres, tam ſine febre, quam cum febre; & omnes dicit eſſe peſtilentes. Tex. enim 57. dicit Hippocrates: *Vnoque verbo, qui longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui ſunt: cunctos, namque venter ſuſtulit* vbi Galenus in commen. *Et peſtis quoque illa longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex iis, quæ per aluum vacuantur, omnes prope peremit.* Ergo tam longi, quam acuti morbi omnes, ea tempeſtate enarrati, fuére peſtilentes, quando vulgares fuerint, & maiori ex parte necantes; quod proprium eſt peſtis *3. in 3. Epidem.20.* Sed dubitabis: Non videtur febres intermittentes eſſe poſſe peſtilentes, cum ex Hippocrate *4. aphoriſ.43.* quocunque modo intermittant, periculum abeſſe ſignificatur. Reſpondeo, intermittentes febres de ſui natura nec eſſe peſtilentes, neque cum periculo, dum ſporadicę ſunt. Si tamẽ cõtingat, quod ex priuato humorum vitio genitæ, in communis aeris pernicioſum coinquinamentum incidant, accepta venenoſa lue extrinſecus, peſtilentes euadunt. Et quę ob propriam naturam ſalubres, & ſine periculo fuiſſent, ob communem perniciem in peſtilentes commutatur. Ideo dicebat Tucydides *quòd ſi qui morbis aliis antea laborabant, hi omnes in hunc peſtilentiæ morbum vertebantur.*

Febres intermittentes num poſſint eſſe peſtilentes.

3. Tertio Galenus totam illam tempeſtatem, in qua enumerat morbos cum febre, & ſine, vocat peſtilentem, *primo 1. Epidem. in proœmio,* vbi dicit:

Atque

Atque etiam pestilentes nonnullas tempestates descripsit, vt eas de quibus in tertio lib. tractatur: Et *lib. 3. in 3. Epidem. 71.* continuaturus enarrationem sedecim ægrorum, qui fuere post illam tempestatem, inquit: *A pestilente tempestate sedecim narrat ægros, ad finem vsque libri.* Ergo totam illam constitutionem pestilentem putauit. Quarto si qui morbi erant in illa constitutione pestilentes, tales erant sine cõtrouersia erysipelata illa, de quibus dixit *tex. 9. Sacri ignes, qui maligni cum essent, multos interemerunt:* & tamen loquens de eisdem *tex. 25.* inquit: *Quorum caput horum quid tentaret his caput totum glabrescebat, & mentum ossaque denudabantur, decidebantque; multæque extiterunt fluxiones. His adiuncta aliquando, aliquando non, erat febris.* Ergo verè pestilentes affectus sine febre quandoque fuere. Quinto Hippocrates *3. eodem 55.* ait, *Biliosa, pinguia, tenuia, aquosa:* atque ipse morbus multis eo decubuit citra febrem, & in febre. Vbi Gal. *in comm. Porrò multos dicit hoc morbo laborasse, hoc est, deiecisse talia: etenim etiam citra febres hoc dicit quibusdam accidisse.* Respondet Firmanus, nunquam illas sine febre fuisse, sed dicit aliquando cum febribus ortas esse, interdum febres successisse, cum prius apparuissent, quam febris inuaderet. Sed recta responsio non videtur. Licet enim erysipelata quæ euenerunt, sine externa occasione, ita se habuerint ad febrem: de quibus *tex. 28.* dixit: *Multos autem vna cum febribus, & ante febrem, atque à febre arripuerunt:* hoc tamen non fuit dictum, neque verum de erysipelatibus, quæ ex occasione inciderunt, de quibus inquit *tex. 25. Multæque extiterunt fluxiones: his adiuncta aliquando erat febris, aliquando non.* Nam antequam *tex. 28.* dicat, multos vnà cum febre, & à febre arripuerunt, *text. 27.* finiens superiorem partem dixit. *Atque vlcerum, & eorum, quæ occasionem habuerunt, hæc fuit conditio:* Vbi Galenus: *Hactenus verba de sacro igne fecit, qui ex vlcere aliamuè ita paruam ob caussam externam constitit. Post hæc de ijs, quæ sine tali caussa inciderunt tractabit.* Igitur de posterioribus subdit, quod vel ante febrem vel post habuerunt, de prioribus tamen absolutè profert *ijs aliquando erat adiuncta febris, aliquando non.* Sexto, si febris accessisset fluxionibus, de quibus loquitur *tex. 25.* falso diceret Galenus, fuisse illas magis formidabi-

H midabi-

midabiles, quam peiores. Inquit enim Galenus: *Peiora enim erant, in quibus in profundum secessit humor, ignem sacrum efficiens, cum in viscera se & in principes partes conferens, præter alia symptomata febres etiam acutas generabat. Quibusdam tamen, quibus in superficie erat eiusmodi putredo, partes etiam citra febres marcescebant: quorum quidam hac de re incolumes præcipuè euaserunt, vitiosis humoribus simul cum ipsis partibus, quas ij putrefecerant, emissis.* Hæc inquam Galeni verba falsa essent, si etiam ijs, quibus ad extimas partes corruptio decubuit, febris etiam superuenisset. Implicat etiam, omnem extra corpus putredinem, cum membris ab ea corruptis, fuisse excretam, ægrotante incolumi reddito, & febrem superuenisse, quæ non nisi humoribus retentis, & corde ab eis affecto fieri poterat.
7. Septimo, perperam loqueretur Galenus, *eodem 3. tex. 55.* de his qui citra febrem afficiebãtur, (*si eis febris superuenisset.*) Non enim citra febrem affici dici possunt illi, quibus fe-
8. bris immineat ac superueniat. Octauo Galenus *9. simplicium cap de terra samia* inquit: *Cæterum bibitur ex vino albo, consistentia tenui, modicè diluto, si aut planè febri careat, aut leuiter ea teneatur: sin grauius febriat, admodum aqueo.* Hæc Galenus. Nec est vera Firmani expositio, quod illi, quibus dabatur cum vino, erant sine peste, accipiebant tamen non curationis, sed præseruationis gratia. Contradicit enim Galeno, qui inquit: *Porrò in magna hac peste, cuius eadem facies fuit, atque eius quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiere, scilicet, cum nec alio quouis iuuarentur. Vnde colligitur quòd ijs duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino albo consistentia tenui, modice diluto, si planè febri careat, &c.* Ergo omnia, quæ hic tractat, ad vnicam refert curationem. Adde quod quando de curatione, & præseruatione simul loquitur Gal. vtriusque distinctè meminit, non solius curationis, *vt fecit lib de ther. ad Pamphilianum,* cum dixit: *Tunc itaque ex ijs qui ægrotabant, quàmplures assumpta theriaca conualuisse: paucos in quibus vis morbi nimium inualuerat, occidisse: reliquos omnes, quos nondum pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse.* Eodem modo

modo loquendi vſus eſt Galenus lib. de theriaca ad Piſonem *cap.16.*

Horatij Augenij reſponſiones, quæ impugnantur. CAP. XXXIII.

RESpondet ad loca Galeni, & Hippocratis alio modo Horatius Augenius *parte 2. ſuarum epiſtolarum epiſt. 24 lib.4.* Inquit autem, quod *cum propoſitum Hippocratis 3. 3. Epidem.25. fuerit agere de eryſipelate peſtilenti; illius occaſione egit quoque de alijs fluxionibus, quæ fuere ſine febre. Ideo dicit, multæque exſtiterunt fluxiones, ijs adiuncta aliquando, aliquando non erat febris. Sed tales non fuere peſtilentes: nam ſubdit, (erant autem hæc formidabiliora, quam deteriora.)* Sed cur inquit Augenius, non erant mala, ſi erant peſtifera? ſi affectus peſtilens omnis pernicioſus eſt? ſi maiori ex parte occidunt? Rurſus ſubdit, *quibus enim ad ſuppurationem horum maturatio peruenit, plurimi horum ſeruabantur. Sed peſtis magna ex parte lethalis eſt: Ergo ille affectus ſine febre, peſtilens non erat.* Cæterum hæc reſponſio mihi dubia eſt. Primum enim non videtur, Hippocratem per illas fluxiones, diuerſas intellexiſſe ab ijs, quæ eryſipelata peſtilentia produxêre. Nam cur dicit multas fluxiones? dixiſſet potius alias fluxiones, ſi diuerſas ab eis ſignificare voluiſſet. Mox tum ibi, tum in omni illa enarratione Hippocrates nomine fluxionis perpetuo intelligit flauam bilem, putridam, malignam, facientem eryſipelata, corrũpentem membra, vagantem per diuerſas corporis partes, quæ dum vergebat ad interiora, febrem producebat; dum ad exteriora, membra ſine febre amputabat. Ergo tam quę ſine febre, quam quæ cum febre erat fluxio, eiuſdem maligni humoris ſoboles erat, Hoc patet ex Galeno, qui *tertio eodem com.9.* inquit: *Sacrum ignem didiciſti à bilioſa fluxione oriri:* & oſtendens omnes illius conſtitutionis fluxiones fuiſſe pernicioſas, ſubdit; *At non erat nunc talis, qui ſacrum ignem excitauit, humor, ſed malignus, qui eroderet putrefaceretque.* Et *tex.22. Multis ſacer ignis cum occaſione ex quibuſlibet admodum paruis vulnuſculis vndique depaſcebatur.* Et *tex.23. Pleriſque itaque horum in ſuppurationes abſceſſus contigerunt, atque carnis multum & oſſium neruorumque decidit.* Vbi Gal. *malignitas,* inquit, *abundantis humoris*

ex magnitudine constitit putredinis. Et *tex. 24. Erat autem illa fluxio, quæ collecta erat, non assimilis puri, verum alia quæpiam putredo, ipsaque fluxio multa & varia.* Et *text. 25. At vero quos inflammatio reliquit & sacer ignis, nec talem abscessum effecit vllum, hi frequentes perierunt.* Ergo idem humor erat, qui ad varias corporis partes fluebat: quæ fluxio diuersas partes, quas petebat, corrumpebat: eadem tamen erat maligni humoris putrefacientis, pro variorum locorum diuersitate diuersos effectus producentis. Totum hoc confirmat Gal. *comm. 24.* vbi inquit: *At variam esse fluxionem propter putrescentium diuersitatem, ratio erat. Nam à communi putredinis caussa, singula putrescentia peculiarem obtinent corruptionis speciem.* Et rursus, *com. 25. Oberrabat enim* inquit, *vt ipse vocauit, fluxio, per totum corpus, hoc est, temere nulloq; ordine & casu vagabatur, vt præsagire Medicus arte, quo esset decubitura, non valeret.* Ergo non erant fluxiones diuersorum humorum, sed eiusdem, ad loca tamen diuersa, maligni ac pestilentis. Præterea, etiamsi gratis cõcedamus Augenio, diuersorum humorum diuersas fluxiones illas fuisse, omnes tamen pestilentes fuere. Nullam enim earum dicit Hippocrates, non esse malam, vt credidit. Si quæ enim fluxio mala non fuisset, ea certè foret, quæ exstitit sine febre: perniciosa tamen hæc fuit. Quomodo enim non fuit perniciosa fluxio, si per eam, vt ibi dicit Hippocrates, multis brachium, vel totus cubitus decidit? si quibusdam hæc anteriora lateris afficiebant, vel posteriora? nonnullis totum femur, vel tibiæ denudabantur, pesque totus? Sed erant, inquit, formidabiliora quam deteriora, quia licet mala, & perniciosa fuissent, non tamẽ enecabant. Dicet ergo, non erant pestilentia, quia non enecabant. Falsa est consequentia. Primum: nam ægrorum, quibus hæc euenere, non euasere plurimi, sed aliqui. Dicit enim Gal. *comm. 25. Quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaserunt:* quidam vero maior pars non sunt. Secundo, pestis est communis morbus multos inuadens, & occidens nõ omnes, sed maiorem partem, *3.3. Epid. 20.* Valet nè ergo dicere, minorem partem, quæ nõ occubuit, peste non fuisse correptam? Certè tunc non plerique, sed omnes ad vnum deberent mori, vt pestis fieret. An ideo perniciosо morbo correpti, pernicioso morbo nõ laborarũt, quia

Pestis communis morbus.

quia mortui nõ sunt? Galenus tamẽ vult lethales esse morbos, non modo qui omnes omnino enecãt, sed qui magna ex parte, vt *6. aphoris. comm. 18.* de Smyrna Ioniæ in cerebro vulnerato refert, quod confirmat *1. de vsu par. c. 10.* Ita nec fuisset febris pestilens illa, de qua Galenus *3. de præsag. ex pul. c. 3.* inquit: *Nam quibus calor hic putredinosus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, multi horum fuerunt superstites:* Et tamen illa fuit pestis, vt ibidem Galenus explicat, cum dicit: *Qui sanè affectus vel optimos medicos fallunt: quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit.* Adde quod in constitutione tertij Epidemiorum, si omnes simul conferantur, & qui cum febre, & qui sine erysipelata passi sunt, licet multi euaserint, quibus ad extrema corporis humor defluxit sine febre, plurimi tamen in vniuersum obiere: Demonstrat hoc Hippocrates *3. eodem, 9.* proponens istam constitutionem, cum dicit; *Ante vere vnà cum frigoribus consecutis, sacri ignes multi hos cum occasione affecerunt, illos non; qui maligni cum essent, multos interemerunt.* Rursus dicit Augenius: *Quis imaginabitur erysipelata sine febre esse? & si cum erysipelate gignitur inflammatio, quomodo erit sine febre? & tandem si sit abscessus & gangræna, absurdum est imaginari, fieri sine febre.* Ad hoc respondeo, Galeni verba auferre imaginationem Augenio, quæ hæc sunt: *Peiora erant, in quibus in profundum secessit humor ignem sacrum efficiens, cum in viscera se & in principes partes conferens, præter alia symptomata febres etiam acutas generabat. Quibusdam tamen quibus in superficie erat eiuscemodi putredo, partes etiam citra febres marcescebant: quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaserunt, vitiosis humoribus simul cum ipsis partibus, quas ij putrefecerant, emissis.* Hæc Galenus. Possunt ergo cum gangrænæ, tum abscessus, & inflammationes etiam sine febre fieri in extremis corporis partibus, à corde remotissimis, præsertim si & membra, & humores simul computrescant, & decidant. Præterea nec rectè videtur dicere, cum subdit Augenius explicans *tex. 55.* Hippocratis: citra febrem morbos decubuisse, non quod febrem non habuerint, sed quod cessasset febris, diarrhæa illa superueniente Tunc enim falso diceret Hippocrates, *atque ipse morbus multis eo decubuit citra febrem.* Non enim est citra

Lethales morbi nõ qui omnes, sed qui magna ex parte enecant.

Gangrana & inflamationes etiam sine febre fieri possunt.

Morbus citra febrem qui dicẽdus.

febrem morbus, qui illam in vigore habuerit, si in declinatione non habeat. Sed citra febrem est, qui nullo tempore sui progressus illã sit expertus. Alioquin sequeretur, quod omnis febris, quę terminatur ad salutem, dici posset morbus sine febre: desinit enim prius febris, quã æger sanus dicatur. Adhæc pus fieri diceretur sine febre, quoniam cessat febris pure confecto, *2. apho. 47.* Ad extremum licet in illa constitutione varia fluxionum morborum, & symptomatum genera referantur, omnia tamen propter communem caussam aëris pestilentis, fuere pestilentia: omnia enim fuere lethalia, maiori ex parte. Monstrat hoc Gale. *com. 56.* cum inquit: *Nam nihil cõtulisse ita affectis remedia, etiam si ille nihil dixisset, in aperto est: Si quidem cum multi morerentur, nullius erant vsus omnibus illis auxilia.* Et Hippocrates *tex. 57. Vnoque verbo,* inquit, *qui longis morbis, vel acutis tenebantur, omnes ventris vitio præcipuè mortui sunt: cunctos namque venter substulit.* Et *text. 58. Omnesque,* inquit, *in quos equidem tunc incidi, cibum, quocunque detinerentur prædictorum morborum, fastidiebãt: multi autem maxime ij, & qui ex his erant, & qui ex aliis perniciosè se habebant:* vbi Galenus, *Etenim* inquit, *hoc symptoma omnes cœpit, qui in peste diuturna, quæ modo viguit, laborabant.* Adhæc in sæuis pestilentijs plurimi derepente moriuntur sine febre. Plutarchus in vita Romuli inquit: *Ex hoc pestis inuasit vrbem, quæ hominibus absque vlla ægrotatione subitas mortes inferret.* Dionysius Halicarnasseus *lib. 2.* Zonaras *2. annalium* idem confirmant, & Agathinus *lib. 5. de bello Gotthorum ante medium,* pestem narrat, quæ sine febre cum apoplexia infra diem quartum enecabat. Horatius Angenius inquit; *Qui tempore pestis ambulantes, ac solitæ vitæ munia obeuntes derepente moriuntur, ephemera pestilenti sublati sunt, analogiam habente ad spiritus aëris veneno.* Cæterum licet detur ephemera pestilens, contingit tamen sine omni febre quandoque mori homines derepente, veneno aëris inspirati, innati caloris spiritus, & substãtiã demoliente peculiari antipathia, toto genere, non manifesta qualitate contrario. Hoc obseruauit Iacobus de Partibus Medicus, qui *super 1. fen. 4. Auice. c. de febre pestilenti,* refert, in peste sui tẽporis interdum ægros ad ipsum cum vrinis accessisse, quos tangebat, & inueniebat sine febre, sine

Ephemera pestilens nũ detur.

Pestes sine febre obseruatæ.

bre, sine vllo graui symptomate: qui tamen aut statim moriebantur, antequam discederent ab ipso, aut paulo post. Ita obseruauit Alexander de Benedictis, *libro suo de peste c. 2.* qui dicit; *Sine febre inter domesticas vel forenses actiones, aut publica negotia decem horarum spatio, sine vrinæ pulsusque certo signo, in templis, in via ex insperato moriebantur.* Ita Mercurialis vir nostrorum temporum celeberrimus, *in suis lectionibus de peste cap. 18. Hoc,* inquit, *dico vt plurimum contingere, quia etiam interdum à veneno prius iugulantur homines, quam tempus, & locus concedatur putrefactioni, & accensioni: atque tunc mortes contingunt subitaneæ sine vllo signo, sine vllo symptomate, quemadmodum aliquæ conspectæ sunt in hac constitutione.* Si obseruationes clarissimorum virorum, vt par est, non denegentur, certè mortui sunt sine febre ephemera. Primum in ephemera pestilenti non est pulsus bonus, & vrina bona, nec pulsus sano similis: id enim hecticæ pestilentis est, vt notat Galen. *3. de præsag. ex pul. cap. 3. & 4.* Secundo ephemera pestilens fit spiritibus vitalibus à calore febrili incensis, & à qualitate venefica dissipatis: ergo saltem erit cum syncope. Inquit enim Galenus *12. meth. cap. 5. Alteratio vero in spiritu, tum ex vitiosis prouenit succis, tum ex ambientis aeris malitia, qui alias alia de caussa in hoc est mutatus. Præterea venenatis facultatibus, aut animalium, quæ virus eiectant, venenis.* Et paulo post; *In omnibus,* inquit, *eiusmodi casibus manifestè videntur ægrotantes, tum animo linqui, tum viribus resolui: nonnulli vero, vt dictum est, etiam mori.* Hæc Galenus: & Fernelius *2. de abditis rerum caussis cap. 12.* de ephemera eadem inquit, *Ea nec ardore mordax, nec siti vehemens, qua nec laborantes se febrire credunt: non vrinis, sed vel animi defectione, vel syncope, vel pulsu paruo & presso, vel assidua vomitione, vel vigiliis, inquiete, & iactatione corporis, viriumque prostratione conspicua.* Hæc ille. Cæterum sine syncope moriebantur, si clarissimis Medicis, Iacobo de Partibus, Alexandro Benedicto, Hieronymo Mercuriali, fides est habenda: Ergo ephemera mortui non sunt. Nec hectica pestilens esse potuit: illã enim cognouissent, vt illam cognouit Galenus, qui *3. de præsa. ex pul. c. 3.* inquit: *Animaduertimusque eos primis statim diebus & pestilentia laborare, &*

pessimè affectos esse ex acredine caloris, atque ipsa caloris specie, denique quod pulsus parum præter naturam immutati ijs in eo statu perpetuo maneant: nam in specie præcipue hecticarum, quas vocant, febrium incidunt huiusce modi pulsus. Ergo prorsus sine omni febre, morbo tamen pestilenti venenoso, mortui illi sunt. Nec est quod dicant Massaria, & Angelutius, fieri quandoque putredines adeo vehemẽtes, vt eius vaporibus eleuatis ad cor, prius homines intereãt, quam febris accendatur. Nam vel illa vehemens putredo exstinguet calorem innatum corporis sua vi totius substãtiæ deleteria, ac septica, vel sua manifesta qualitate putredinosa. Si primum dicant; ergo non vt putredo, sed vt venenum, ab excellenti putredine genitum, ad spiritus analogiam habente, sua peculiari antipathia interficiet, sine febre, prout venenis cõtingit. Si secundum affirment, qui venenum præter putredinem non admittunt, tunc necessario febris fiet, antequã homo moriatur. Euidẽs est ratio; nã si qualitate manifesta putredinosa mors inducitur, oportebit calorẽ cordis innatum mutari prius in igneum, quam vt nimio incendio intereat: mutari enim necessario præcedit mutatũ esse. Ergo in illo mutari febris concitabitur. Gal. enim *1. in 6. Epid. com 29.* inquit: *Febrium vero essentia est, non secundum Hippocratem modo atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communẽ omnium hominũ notionem, præter naturam caliditas, maximè quidem in totũ animal effusa: sin minus ac omnino, vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensa.* Igitur esset febris ante mortẽ illorum necessario: cuius oppositum experimentum, & clarissimorum medicorum obseruatio demonstrauit.

Putredine num homines interire possint, etiã sine febre.

Hieronymi Mercuriaris responsio, qua euertitur. CAP. XXXIIII.

Hieronymus Mercurialis *in suis lectionibus de peste cap. 27.* alio modo respondet ad authoritatem Hippocratis *3. in 3. Epi.* & Galeni *ibidem*, & vbique videtur affirmare pestẽ sine febre. Inquit enim, duplicem esse febrẽ, vel exiguam, vel insignem. Exiguam vero quandoque adẽo esse, vt vix illa appareat. Potest igitur, inquit, esse pestis sine febre, insigni quidem, at omnino sine omni febre non potest, in quẽ sensum, subdit esse intelligendũ Hippocratem, &

Pestis quomodo sine febre dicitur, secundum Mercurialẽ.

tem, & Galenum, vbi dixerint illi, pestem sine febre fuisse, purà sine febre insigni, ac vehementi, non tamen omnino sine omni. Verum salua tanti viri authoritate, Galenus apertè distinguit febrem, tam grauem, quam leuem; ab iis, qui omnino sine febre in illa pestilentia laborarunt, *lib. 9. simpl. c. de terra samia*, vbi inquit: *Cæterum bibitur ex vino albo, cõsistentia tenui, modice diluto, si aut planè febre careat, aut leuiter ea teneatur. Sin grauius febriat, admodũ aqueo.* Ergo quando dicit, cum febre, & sine, non intelligit cum graui, & leui. Ad hæc Galenus per febrem leuem in peste non intelligit leuem, quo ad essentiã, aut magnitudinem, aut modum, aut morem: repugnat enim esse leuem quo ad hæc, vel horum quodvis, & esse pestilentem: pestilens enim est perniciosa lethalis, & contagiosa: Sed leuem intelligit, vel quia ob validas vires, & leuem humorũ apparatum, paucam impressionem in aliquo indiuiduo caussa pestilens effecerit, & leuem febrem in eo inuexerit, ob quod nec omnes peste correpti intereunt: & his Gale. bolum armenam dabat cum vino: Vel leuẽ quo ad calorem externum. Ideo subdit: *Non enim calore vehementes sunt febres pestilentiales.* Ideo *3. de præsag. ex puls. c. 3.* inquit: *Qui sanè affectus, vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit.* Et paulo post: *Si qui essent inter ægrotos, qui se negarent febricitare, his febris, occupato ipso cordis corpore, plene erat confirmata, & in habitu.* Cæterum irrationabile est, velle Hippocratem, & Galenum has febres mites exterius, & vix apparentes, dicere febres nõ esse, & eis correptos vocare sine febre, cum de his dicat Galenus ibidem: *Quidam inde ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum, probum pulsum habebant, qui quidem præter cæteros perierunt.* de quibus *primo in 6. Epidemio. 29.* inquit *Atque iccirco neque calidi, & perurentes, qui peste laborabant, tangentibus videbantur, quamuis interius magno flagrarent incendio: quemadmodum & Thucydides aiebat: & exterius quidem tangenti corpus neque valde calidum erat.* & paulo post: *Interiora autem ita vrebantur, vt neque valde subtilium vestimentorum, neque linteolorum velamẽta, neque aliud quicquam præter nuditatem ferre possent.* Et Auicennas *prima fen. 4. c. 2. Hæc febris est quieta exterius, conturbans interius, secundum plurimum perdens.* Igitur

Reprobatur responsio Mercurialis.

Galenus quid per febrem leuem intelligat.

quocunque horum modorum leuiter & exigue ita febricitare aliqui videantur in peste, vt vix eorum febris exterius appareat, tales sine febre esse, nulla ratione potuit dicere, nec omnino dixit vnquã Hippocrates aut Galenus.

Opinio propria, & oppositarum difficultatum explicatio. CAP XXXV.

Febris ad pestis essentiam non simpliciter necessaria.

Dicimus ergo, febrem ad veræ pestis essentiam simpliciter necessariam non esse, sed omnem morbum epidemicum, lethalem nempè, qui multos inuadat, & plurimos occidat, pestem fore. Quando igitur Hippocrates *lib. de flatibus*, diuidit omnes febres in communes & priuatas; & communes dicit esse pestem, vltro cõcedimus: febris enim in vera peste quæcunque sunt, communes sunt: hoc tamen conuertibile non est. Vt enim non potest esse febris verè pestilens, cum peste, quin sit communis: sic non oportet omnem communem morbum pestilentẽ febrem esse. Sed Augenius insurgit: In omni diuisione, inquit, tria requiruntur: Primum, quod natura rei diuisæ insit in omnibus membris diuidentibus: Secundum, vt membra diuidentia simul sumpta, adæquent naturam generis; Tertium, quod nullum ex membris diuidentibus excedat rem diuisam. Sed Hippocrates diuidit febrem in communem, & priuatam, & communem dicit esse pestem: Ergo non datur pestis, quæ febris communis non sit. Cæterum si cõcedamus Augenio, suas istas cõditiones competere omni essentiali diuisioni, profitemur hanc diuisionem Hippocratis in libro de flatibus neque veram diuisionem esse, per differentias essentiales, & specierum constitutiuas; sed famosam quandam enumerationem, cui diuisionis conditiones non competunt. Quod vel hoc argumento conuincitur: Species enim constitutæ per differentias essentialiter genus diuidentes, non permutantur ad inuicem, vt vna in alterius naturam transeat: rationale enim nunquam permutari potest in irrationale, & è conuerso. Sed febris priuata aliquando euadit communis, vt si contagione propagetur ab vno ad multos: febris enim pestilens sine peste sporadica, si contagione populum apprehẽdat, epidemica fit. Diuisio ergo febris in communem & priuatam, essentialis non est. Rursus essentialis febris diuisio sumitur

Diuisionis requisita.

Febrium diuisio Hippocratis qualis.

Essentialis febris diuisio vnde sumatur.

mitur per differẽtias à natura caloris desumptas, vt accepit Hippocrates *1. in 6. Epid. 29.* vbi de communi & priuata non meminit. Diuiditur non minus penes subiectum, cui inest; & in hunc modum diuidit febrem Gal. *1. de diff. feb.* in hecticam, humoralẽ, & ephemeram, penes & partes corporis, continentes, contentas, & impetum facientes. Sed concedamus Augenio gratis, Hippocratis diuisionẽ *in lib. de flatib.* esse essentialem, & cõpetere illi conditiones quas assignat, vt omnis febris, vel cõmunis sit, vel priuata, & ab iis nullam inueniri: certe dum subdit Hippocrates pro febris cõmunis explicatione pestem, dicimus illud esse exẽplum non vnius speciei cõuertibilis, sed indefinitæ ad intelligentiam nostram, quod exemplũ regulis illis nõ subiicitur: alioquin falsum omnino proferret Hippocrates, Non enim est conuertibiliter verum, omnem febrẽ communem esse pestem, dantur enim communes febres, quæ perniciosæ non sunt. Ergo nec è conuerso verum erit, omnem pestem esse febrem communem: & ita dãtur communes morbi pestilentes sine febre. Obseruauit autẽ Hippocrates multas febres cõmunes non pestilentes *2. in 1. Epid. 15. 16. 17. & 18.* retulit & vulgares febres etiã malignas *1. in 1. Epid. 24.* quæ tamen pestilentes non fuere. Subdit .n. *1. eod. 37. Inter omnes, quorum fecimus mentionem in hac tẽpestate, solis tabidis lethalia acciderũt: febricitantib. alia febre nequaquam.* Et *2. in primum Epid. 43.* de febre illa vulgari loquens, inquit: *Atque hi superstites omnes fuerunt, nec vllum horum periisse cognoui.* Ideo Galenus *1. acut com. 9.* dicit, non omnes communes morbos esse pestem, sed cõmunes perniciosos; quod confirmat *3. in 3. Epide. 20.* Nec febris est de essentia pestis: ideo Galenus & Hippocrates, nullibi in explicanda pestis natura meminerunt febris; sed morbi communis magna ex parte occidentis. Neq; alicuius morbi peculiaris, propriũ nomen est pestis, sed cuiuscunque si hoc habeat, vt multos inuadat, & plurimos occidat, vt ibidem subdit Galenus. His addi potest. Hippocratem *libro de flatibus*, Galenum *primo in sextum Epidemiorum 29.* & Paulum *libro 4. capite 22.* loquutos fuisse vt medicos, qui proferunt vniuersaliter id, quod contingit magna ex parte: quam regulam esse Hippocratis, refert Galenus *6. aphorism. commen. 58*

Multæ febres communes non pestilentes.

Febris non est de essentia pestis.

Pestis nomẽ non est proprium alicuius morbi peculiaris.

cum dicit: *Commune ſiquidem eſt huic aphoriſmo, cum aliis ab Hippocrate dictis, vt perpetuum quiddam ex figura dictionis oſtendatur: quamuis res ipſæ non ſemper eodem modo eueniant, ſed licet raro, interdum etiam aliter accidant.* In eandem ſenſum Hippocrates *in eodem lib. de flatibus,* ſubdit, febrem omnium morborum eſſe comitem: quod ſi ſecus acciperetur, falſum omnino eſſet. Multi ſiquidem morbi ſunt, qui febrem non modo non habent comitem, ſed illa ſuperueniente ſoluuntur, vt docet Hippocrates *6. in 6. Epidem. 7. & 5. aph. 5.* Ad rationem Firmani, quæ erat, poſſibile non videri, morbum eſſe valdè acutum lethalem, & cor putrefacere excellenti putredine, peſtem eſſe, & eſſe ſine febre; Reſpondeo, neceſſarium non eſſe, vt peſtis fiat, cor perpetuo affici putredine, ſed veneno; ſiue in corde eius focus, ſiue alibi poſitus ad cor venenoſos vapores demandet: & hoc vel actu venenum cor afficit, ſi debet animal enecare: vel aptum eſt ſua venenoſa antipathia cor afficere, ni ad extima propellatur, vt patet de illis, quos refert Hippocrates *3. in 3. Epidem.* Nec eſt neceſſe, omnem vehementem cordis affectum etiam necantem cum febre eſſe: ſic enim & in omni ſyncope eſſet febris, & omne venenum deleteriũ, cum febre neceſſario interficeret: quod non eſt verum. Nec eſt neceſſarium, omne venenum, quod ad cor ſuos vapores demandat, omnino enecare. Quid enim ſi in pauca ſit quantitate? quid ſi in virtute propellẽte valida? quid demum ſi in corpore ad recipiendum non diſpoſito? certe non interficiet, vt patet ex Galeno *3. ſimp. 23. & 1. de diff. feb. 4.* Nec omnes vapores eleuatos à putredine alicuius partis (etiam ſi ad cor perueniant, & calorem in illo febrilem incendant,) putredinoſos deferri neceſſe eſt, vt patet ex Galeno *1. de diff. feb. 5.* Ad Pauli authoritatem dico, quod licet reſponſio ex dictis ſit manifeſta, tamen ſi intimius aduertant illorum ſententiam, ea plane euertit. Inquit enim: *Febribus autem ſuperuenientes, qui plurima parte ex peſtilentiali lue ſolent incidere.* Ergo febres ex lue peſtilenti plurima ex parte contingunt, non omnino: neque vero tubercula omnia ſolis contingunt peſtilentib. febribus, ſed ſæpe etiã ſine febre. Hippocrates *1. in 1. Epid. 10.* dicebat: *Tubercula vero multis ſecundũ alterutram aurẽ, plurimis ſecundum vtramque extiterũt febre carebãt.*

Obiectio Firmani.

Non omnis affectus cordis vehemẽs cum febre.

Non omne venenum enecat, & cur.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

An omnis morbus acutus necessario sit cum febre. Opinio Horatij Augenij. CAP XXXVI.

VErum rursus insurgit Augenius *lib. 4. epist. parte 2. epist. 24.* & inquit, non dari pestem sine febre. Cum enim sit pestis velocissimi motus, ac valdè magnus affectus, erit necessario morbus acutus: cum hæc acutum morbum constituant, ex Archigene referente Galeno *2. de diebus decretoriis cap.* Cæterum omnes acuti morbi cum febre sunt, ex Galeno *3. de diff. resp. cap. 9.* vbi inquit: *Verum ipsi propositum est, in prænotionibus, de his qui propriè acuti nominantur, facere sermonem: sunt autē tales, qui omnino cum febribus continuis fiunt, vel, vt ipse in libro de victu acutorum ostendit, sic scribens: Sunt itaque hi acuti, quales veteres nominauerunt, pleuritin, & peripneumoniam, & phrenitin, & causon siue febrem æstuantem, & alij quicunque his consimiles, quorum febres omnino sunt continuæ.* Hæc Galenus. Subdit Augenius: Postea vero Galenus, vt ostendat, acutos morbos, qui febrem continuam non habent, propriè acutos non esse, sic inquit: *Nequaquam igitur conuulsiones huius morborum generis sunt, vnde neque propriam ipsorum respirationis difficultatem simul cum his recensuit, quemadmodum neque de vrinis, aut egestionibus, aut aliis omnibus, quæ in aphorismis scripsit, propterea quod acutorum morborum propria non erant.* Ex his ergo Galeni verbis manifestū videtur, conuulsiones, & alios morbos sine febre propriè acutos non esse. Præterea *1. aph. com. 7.* inquit: *Nunc id tantum dixisse sat erit, quod si quis propter inflammationes vel febres (quæ à morbis acutis sunt inseparabiles) quispiam veretur essatu dignum afferre alimentum.* Nec est, inquit Augenius, quod dicant, voluisse Gal. quod si morbis acutis febris accidat, illa sit inseparabilis, id est continua, non autem quod sine febre esse non possint. Intermittentes. n. febres acutis morbis non possunt cōtingere; nam inquit: Morbi quidam sunt propriè acuti, & tales habent febrem continuam necessario: Quidam sunt impropriè acuti, & ratione partium acuti dicuntur, qui nullam febrem habent, vt apoplexia, conuulsio, epilepsia, cholera. Ad extremum,

Morbum acutum quæ constituant.

mum, inquit, nec esse verum, morbos acutos impropriè coniungi non posse cum febre intermittente. Obseruaui etenim, inquit, quater in principio accessionis tertianæ exquisitæ cardialgiam, & epilepsiam. Et aphorismus *26.* 2. particulæ, qui de febre & conuulsione loquitur, non minus continuam intelligit, quam intermittentem.

Opinionis Augenij confutatio, & propriæ confirmatio. Cap. XXXVII.

VErum hęc sententia viri doctissimi recta nõ videtur. Primum autem quoniam locum Galeni *3. de dif. resp. c. 9.* putat Achilem suæ sententiæ, illũ examinemus. Igitur Gale. eo loco de morbis acutis non affirmat absolutè vt ipse sentit, sed secundum modum loquendi Hipp. Dicit. n. velut ipse de victu acutorum ostendit sic scribens, & refert verba Hipp. quæ retulit *1. acut. octauo.* Ergo in eum sensum profert, acutorum morborum febrem esse continuam, & conuulsionem eius generis morbum non esse, quo sensu loquutus est Hipp. loco allegato. Sed ibi Hippo. hæc profert non de sui sententia, sed ad mentem antiquorum: inquit enim: *Sunt autem acuti morbi, quos prisci nominatim perstrinxerunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, & quicunq; alij hos consequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt.* Hæc Hippoc. Quam sententiam Hippocratis propriam non esse monstrare facile est. Primo Hippoc. *5. aphor. 6.* inquit: *Quicunq; à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt:* vbi Galen. *in comm.* inquit: *Distentio Græcè τέτανος, morbus per acutus est.* Ergo conuulsio non est morbus acutus impropriè. Sed hæc cõuulsio non modo sine febre fit, sed febre superueniẽte soluitur: vt docet Galen. *6. in 6. Epid. 8.* cum dicit: *Quemadmodum quartana comitialem sanat, & febris quæq; conuulsionem.* Ergo rectè dictum non est, conuulsionem improprie acutum morbum esse. Non minus & peracutum morbum sine febre dari est manifestum. Rursus Gal. *5. aphor. 30.* inquit: *Si enim sit febrilis morbus, necesse est ipsum febres habere continuas: talis enim est morbus acutus.* Et paulo post: *Sic & si absq; febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem Græci ἀποπληξίαν vocant, conuulsio, distentio: propter magnitudinem morbi, & acutiem, impossibile est laborantem euadere.* Hæc Galenus.

Conuulsio morbus acutus.

Dantur morbi acuti etiam sine febre.

In quo aphorismo inquit Hippocrates: *Mulierẽ vtero gerentem capi ab aliquo acuto morbo lethale est.* Ergo si acuti sine febre impropriè acuti sunt, perperam de istis Galenus esset aphorismum interpretatus. Falso non minus diceret, vtero gerentem impossibile esse euadere, laborantẽ apoplexia, cõuulsione, & distensione, propter magnitudinem, & acutiem morbi. Rursus *1. progn. 25.* cum dicit Hippocrates: *spirationis autem facilitatẽ existimari oportet, per quam magnam vim habere ad salutem, in morbis omnibus acutis, qui cum febre sunt, & in quadraginta dieb. iudicantur.* Gale. *in comm.* inquit: *At vero cum duplex genus horũ habeatur: siquidem nonnulli simpliciter, ac primũ vocantur acuti, quidam ex conuersione: de vtrisq; indicauit, dicens: Qui cũ febre sunt, & in quadraginta dieb. iudicantur. Adiecit .n. qui cum fdbre sunt, vt eos a conuulsione, & tetano, idest distensione neruorũ, & cholera disiungeret, & quicunq; alij morbi sine febre acuti sunt.* Hæc Galeuus. Adhæc, cum dicit Hippocrates *2. aphor. 42.* apoplexiã forte soluere est impossibile, debilẽ vero non facile, inquit Galen. *in com. In apoplexiis totũ corpus repente sensu priuatur, ac motu, solus restat anhelitus: qui si & ipse prohibeatur, maxima est, & acutissima hæc apoplexia.* Hæc Galenus. Apoplexiam vero soluit febris: de ea enim inquit Hippocr. *6. aph. 51. In septẽ dieb. pereunt, nisi febris apprehenderit.* Ad hæc Galen. *2. aph. 19. Acuti morbi,* inquit, *præter id, quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent.* Et mox: *Duplex autem est acutorũ morborum natura: Vel enim ab humorib calidis solis, qui nullum obsedere locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus sunt: vel loco aliquo patiente fiunt, vt morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina: febresq; vt plurimum in acutis morbis sunt continuæ. Rari enim sunt ex ipsis, quibus febres non adsint, vt attonitus morbus, quem Græci apoplexiam vocant.* Hæc Galenus. Auctor introductorij *capitu. 13.* inquit: *Acuti quidem hi: phrenitis, febris ardens, angina, pleuritis, peripneumonia, cardiacus affectus, regius morbus, cholera, volnulus, colicus dolor, apoplexia, tetanus, opisthotonus, emprosthotonus.* Auctor definitionum medicinalium inquit: *morborum alij acuti sunt, alij peracuti, alij diuturni. Acuti sunt: pleuritis, lethargus, phrenitis, Peracuti: synanche,*

Duo genera acutorum morborum.

Acutorum morborum duplex natura.

Morbi acuti qui.

apo-

Non omnes morbi acuti cum febre.

apoplexia, cholera, tetanus, & his similes. Manifestum igitur est, ex iis non solum illos esse acutos, quos veteres nominatim perstrinxêre, quibus febres sunt inseparabiles, & continuæ: sed alios sine febre, quos & valdè acutos esse voluerunt Hippocrates & Galenus. Secunda responsio dari potest ad locum Galeni *3. de diff. respirationum, & aphoris. 7.* quam affert Cardanus, & est ferè communis, loqui nẽpe Galenum more medico. Consueuere namque Medici, quicquid magna ex parte contingit, absolutè, & vniuersaliter pronunciare, vt ex Gal. *6. aphor. com. 58.* supra monstrauimus. Adhæc quando Galenus *3. eodem* affirmat, cõuulsionem nequaquam esse de genere morborum acutorum, non de eius insultu, & accessione intellexit, quæ vt tetani, sic & apoplexiæ, & epilepsiæ acutissimus est affectus, sed ad eius dispositionem, & caussam respexit. Fit enim à crassis, lentis, ac frigidis humoribus, qui difficilem habent resolutionem; opus enim est & temporis diuturnitate, permutatione locorum, & ætatis, vt de epilepsia dixit Hippocrates *2. aphoris. 45. & 5. aphorism. 7.* In quem sensum Galenus *6. aphoris. 47.* dicit: *Eodem modo & sanguinis spuitionem, morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, & alias huiuscemodi diuturnas passiones.* Hinc Galenus dixit, conuulsionem non esse eius generis morborum, cuius dixit esse peripneumoniam, pleuritidem, phrenitin, & febrem ardentem. Nam vt ipse explicat *1. crisium c. 4. Febris ardens, & morbus lateralis, & inflammatio pulmonis, breuis temporis habent principium: morbus autem comitialis, & articularis, & coxendicum, & renum passiones, longi temporis.* Non tamen ex hoc negauit vnquam, morbum comitialem, & conuulsiones non habere insultus acutos, & maximè periculosos. Postrema assignari potest responsio, quæ est Rorarij, & ferè communis, quod morbi acuti, quicunque sibi febrem adiungunt, illam necessario adiungunt inseparabilem, non tamen omnes morbi acuti febrem sibi adiungunt necessario. Quando ergo dicit Galenus, febres ab acutis morbis esse inseparabiles, intellexit febres acutis morbis contingentes esse continuas. Seipsum declarauit Galenus *2. aphoris. 19.* dicens: *Febresq́ue vt plurimum in acutis morbis sunt continuæ. Rari enim sunt ex ipsis, quibus febres non adsint, vt morbus attonitus, quem Græci*

Conclusionem quomodo morbum acutum non esse dicat Galenus.

Febres in morbis & acutis continuæ.

Graci apoplexiam vocant. Nec est, quod dicat Augenius, quosdam esse acutos propriè & exactè, quibus perpetuò est febris; quosdam impropriè, qui ratione partium acuti dicuntur, quibus nulla est febris continua, licet intermittens esse possit. Recta siquidem responsio nõ videtur. Primùm, Galenus nullibi diuisit morbos acutos in propriè acutos, & in acutos impropriè. Ideo *li.3.de diff.respirationis,* cum dicit, propriè acutos esse, de quibus in prænotionib. tractauit, sine dubio ibi de acutis egit, non quatenus ab acutis impropriè differunt, sed propriè acutos tractauit, vt à diuturnis distinguuntur, vt patet *3. progn. comm. vltimo.* Rursus semper diuisit Galenus acutos in acutos simpliciter, & ex conuersione, vt patet *1. prognost. com.25.* Præterea acutorum simpliciter, alios dixit esse acutos, alios peracutos: & horum alios exactè tales, qui quarto die finiuntur, vel paulo vlterius, vt patet *1. aphor. comm.7.* alios non exactè tales, quos significauit Hipp. septem diebus terminari *1. acut.44.* Adhæc acutorum alios dixit simpliciter acutos, quos dixit terminari quatuordecim diebus *2. aph. com.23.* alios ex decidentia acutos, qui quadragesimo die finiuntur, vt patet *2. de diebus dec. cap.12.* Nullibi ergo Gal. diuisit morbos acutos, in acutos propriè, & impropriè: nec acutos ex conuersione seu decidentia vocauit vnquam acutos impropriè: nec vllibi dixit, impropriè acutos fore, qui sequuntur partem aliquam affectam determinatam. Rursus dantur acuti morbi ex decidentia, qui non modo ad quadragesimum, sed ad sexagesimum, septuagesimum, octogesimum, & centesimum diem vsque protracti sunt, nec aliquam partem affectam sunt insequuti, sed ex succis putrescentibus in venis sunt producti, vt patet in vxore Epicratis *3. in Epid.22. & 3. in 1. eodem 23.* in Cleonactide *3. in 3. Epid.72. & 73. & 80.* vbi inquit: *Centesimo est absolutè iudicatus, Febris ardens,* Hos acutos impropriè nunquam vocauit Galenus. Ad hæc, si impropriè acuti dicerentur, qui partis affectæ ratione fierent: tunc pleuritis, peripneumonia, & phrenitis, morbi impropriè acuti essent, quod contradicit Galeno *3. de diff. resp. cap.9.* & Hippocrati *1. acut. 8.* Accedit, quod morbus acutus est celeris iudicij, & magnus affectus, *ex Galeno 2. aphorismo.19. & 23.* Sit igitur morbus ratione partis principis affectæ, magnus: tunc vel erit celeris

Diuisio acutorum Morborum Galeni.

Morbi acuti ex decedentia.

leris motus, vel lenti, & longi. Si primum, ergo erit vere, & propriè acutus. Si secundum, nullo modo erit acutus: alioquin diuturnæ capitis affectiones, & iecinoris lõgi morbi erunt acuti. Quod si sola magnitudo sine motus celeritate cõstituit morbum impropriè acutum; a pari sola motus celeritas sine magnitudine constituet morbum acutum impropriè. Dicit enim Galenus *1. in 6. Epidem. comm. 29. Acutos morbos dicimus, quicunque propria tempora vsque in finem velociter pertranseunt.* Quod confirmat *2. de diebus criticis cap. 12. & 3. eodem cap. vltimo.* At tunc febris ephemera erit impropriè morbus acutus: quod falsum est, & contra Galenum *2. aphorismo 19.* Ergo vna tantũ conditio nullo modo acutum constituit, nec propriè nec impropriè, vtraq; verò propriè, & verè acutũ determinat. Manifestum igitur est, ratione affectæ partis solum, non esse morbum acutũ, nec propriè nec impropriè. Adde: nã apoplexia est omnino sine febre, & est morbus acutus propriè. Galenus *2. aph. com. 42.* inquit: *Omnes apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem inflammatoriam, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso. Verum caussæ magnitudinem, etiam passionis magnitudo consequitur.* Acutus ergo propriè morbus est apoplexia ob affectum cerebrum, & sine febre. Rursus *5 aph. 30.* inquit: *Sic & si absque febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem Græci apoplexian vocant, conuulsio, distētio: propter magnitudinem morbi & acutiem impossibile est laborantem euadere.* Dantur ergo propriè acuti morbi, & sine febre partem affectã insequẽtes. Manifestum ergo ex his est, propriè dari morbos acutos, qui prorsus sunt sine febre.

Acuti morbi qui.

Vna conditio morbum acutum non constituit.

Apoplexia vt fiat.

Apoplexia morbus acutus.

DISPVTATIO X.

An ab excellenti putredine, & insigni humorum corruptione, in viuente animali generari poßit verum venenum. Opinio Hieronymi Mercurialis, & eius impugnatio.

CAP. XXXVIII.

AD eorum, quæ hactenus dicta sunt, confirmationem deter-

determinare oportet, An in viuentis animalis corpore ex insigni humorum corruptione verum venenum possit generari. In hoc enim clarissimi medicorum consentientes non sunt: Hieronymus Mercurialis *lib. suo 1. de venenis ca. 14.* dicit, verum venenum ex humoribus fieri nō posse, tamen quid veneno simile fieri: quod probat sic: Auctor omnium, quæ in viuente fiunt, est calor; qui in viuente corpore, vel naturalis est, vel præter naturā. Sed à neutro fieri potest. Non à naturali: ille enim est perpetuò vitæ auctor, & salutis: Ergo non veneni. Nihil enim seipsum destruit. Nec à calore præter naturam; nam venenū longe potentius est calore præter naturam. At nihil agit vltra suam speciem. Præterea, si quod est, quod videatur venenū facere, hoc esset semen retētum vitiatum, atq; corruptum. Sed ex eo verum venenum non fit: nam animal interiret, veri veneni symptomata apparerent, & tandem à calore naturali vinci non posset. At multæ virgines, multi viri, & fœminę, retento semine sanæ degunt: & si quādo morbos parit semen retentum, palpitationes, epilepsias, & in vniuersum hystericas producit passiones; quæ venenum non sunt. Sed hæc opinio videtur aduersari Galeno, & rationi. Primo Galenus ex humorum corruptione verum absolute venenum fieri affirmat, *6. de locis affectis capit. 5.* cum dicit: *Reliquum est, vt inuestigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit, adeo vehemens, vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet: an id iam medicis enodatum discussumq; esse videatur, qui hanc solent proponere quæstionem, vtrum propriæ sint notæ veneni, nec ne. Nam, qui maxime videntur super hac ambiguitate disputasse, ij eosdem fieri affectus concedunt & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet.* Nec est, quod respondeat Mercurialis, Gal. dicere, qualitatem veneno similem in corporibus generari. Non enim veneno, sed veneno epoto similem dicit. Subdit enim: *Igitur, si eiusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobismet ipsis accepto suæ originis impetu similes sint ijs, qui pernicioso epoto veneno eueniunt.* At verò venenum absolutè acceptum se habet ad epotum, vt genus ad speciem subalternam. Sit igitur, quod ex humorum corruptione fit, simile veneno epoto, ergo erit simile omni veneno: fallacia est. Ita simia homini

Mercurialis negat ex humoribus verum venenū fieri posse.

1. Ratio a calore.

2. Ratio à semine retento vitiato.

Contra.

Mercurialis opinio impugnatur.

Galenus ex humorum corruptione venenum fieri affirmat.

ſimilis eſt,& conſequenter ab homine diuerſa:non tamen ex eo valet, ſimilē illam eſſe omni animali, & ab omni diuerſam: ſic enim & à ſe ipſa diuerſa eſſet. Rurſus ſi in hoc contex. veneno vniuerſaliter accepto ſimilem qualitatem Gal. putaſſet,ſententiam illorum qui dixere, (*Eoſdem fieri affectus, & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet:*)vel non referre,vel vt falſam confutare debuiſſet:cum ſimile idem non ſit,ſed diuerſum, vt ipſe protulit *3. ſimp.c.25.* Præterea, quamquam humorum,qui corrumpuntur, in corpore ampla ſit latitudo, nec omne, quod corrumpitur,fiat neceſſario venenum, ſed quandoque veneno ſimile,vt docuit Gal.*lib.de alimento Hippoc. & lib de cibis bon.& mal.ſuc.c.8.* falſum tamē eſt, perpetuò ſimile, nunquam verum venenum ex illorum corruptione generari.Ita *2 in 6.epi.38. Non ſimpliciter*,inquit,*tenuem & aqueum ſanguinem ab ipſo ichoroidea vocari ſuſpicādum eſt, ſed eum,qui venenoſa aliqua, & maligna facultate præditus ſit.* Et *lib.de conſt.artis c.19.* dicit:*Quando enim vel copia humorum,vel grauitas, vel obſtructio, vel corrumpens virus corpori innaſcitur:* vt melius vertit Franciſcus Valeriola,quam Victor Trincauellius, qui legit (*ſi vis aliqua corrumpens in corpore ſuboriatur.*) Explicans enim Gal.*eod.c.* modum curationis eorum,quæ dixit,ſubdit: *Obſtructiones præterea aperiantur,quæ toto ſui genere ſunt præter naturam, qualia venena viruſq; animalium: tum alterentur, tum euacuentur.* Præterea *6.in 6.epid.com.5. Exoriuntur*,inquit,*dolores quidā maligni à maleficis ſeu medicamētis,quæ deleteria id eſt,mortifera vocant,ſeu feris venenum ictu fundētibus,ſiue ſuccis aliquibus ex improbo victu aut peſtilēti cælo in corpore genitis.* Adhæc *lib.de cibis boni & mali ſucci c.1.* inquit:*Quum nullus ad tantum vnquam dementiæ veniat, vt ignoret,quātum inſit in eo mali,ſi contenti in corpore humores in medicamentoſas qualitates degenerent.* Per medicamentoſas venenoſas intelligit, vt patet *3.de temperamentis c.4.* cum dicit:*Medicamenta itidē ſunt, & quæ nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte,ſed tota ſeruata integra,corpus ipſum afficiunt:cæterū grauia & naturam animalis corrumpentia: vnde & totū eorum genus deleterium & peſtilens dici reor.* Quod cōfirmat Gal. *2.in 1.proret.17. & 3.in 3.epid.75.* Hanc Galeni ſententiam ſequutus eſt Auic.*lib.3.fen.1.tract.2.c.6.* cum inquit: *Et fortaſſe in*

tasse in aliquibus membris erit humor venenosus malæ substantiæ, cuius qualitas adueniet. Et paulo post subdit: *Et fortasse erit impediēs materia extranea generata in quibusdam membris, generatione extranea corrupta venenosa.* Verū consulamus rei naturam. Humores in corpore viuente ad eam corruptionem quandoque deueniunt, vt producant easdē operationes, eundem operationis modum, & vehementiā, & eandem inferant mortem, & mortis celeritatē, & in cadauere eadem prorsus signa, quæ inducunt lethalia venena epota: Ergo in corpore non modo similia, sed vera venena producuntur ab humorum corruptione. Euidens est argumentum: nam operationes essentiales formas essentiales arguunt, & quod est per se tale, est de omni, & secundum quod ipsum. Antecedēs est clarum: inquit enim Gal. *6. de loc. aff. c. 5. Nam qui maximè videntur super hac ambiguitate disputasse, iij eosdem fieri affectus cōcedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione quæ à corpore ortum habet.* Et *5. eiusdem c. 7.* inquit: *Quia vero Medici inuestigare solēt, an assumpti veneni propria extent signa, eo quod sæpe numero videant, citra lethalis veneni potionem humores similiter, vt epoto veneno, corrumpi.* Sed consulamus ipsum Mercurialē, quæ sit hæc similitudo humorum ad verum venenum? *Similes,* inquit, *sunt veneno in tribus. Primò in celeritate mortis: Quandoquidem tum venena epota, tum humores in corpore veneno similes celerrime enecant. Secūdo aquè afferunt sæua symptomata, animi deliquia, deliria, extremarū partiū refrigerationes, sudores diaphoreticos, & huius generis reliqua. Tertiò, nam aquè corrumpunt humores in corpore animalis.* Sed si hęc ita sunt, vt concedit; sic arguo: Propria veneni operatio est demoliri calorem innatum nostrum, vt colligitur ex Galeno *3. de temper. c. 4. 2. de ratione victus com. 12. 6. in 6. Epid. comm. 5. 1. de semine c. 16.* At humores corrupti in corpore, quos dicit veneno similes, innatum calorem nostrum demoliuntur, sæuissima, & omnino eadem adducūt symptomata, syncopes, sudores diaphoreticos, extremarū partium refrigerationes, & celerrimè enecant; Ergo non similem, sed eandem prorsus habent cum veneno operationem, & naturam. Pręterea eadem omnino, & viuenti, & mortuo signa apparent, tam veneno lethali epoto, quā ex interna humorum corruptione veneni epoti vires æquante; Ergo

Humores corrupti quādoque eadē quæ venena efficiunt.

Humores corrupti & venena in quibus couueniant.

Veneni operatio est, demoliri calorem innatū.

Eadem veneni epoti & corruptionis humorū internæ signa.

te: Ergo vtrumq; idem venenũ est in genere Gal. *6. de locis aff. capit. 5.* inquit: *Cum enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus, de repēte moritur, vt lethali assumpto veneno fieri solet: deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut diffluens, aut putredinem molestam olet, hunc venenum sumpsisse aiunt.* Sic & in febre pestilenti ex interna corruptione humorum, & sæuissima symptomata, & repentinę mortes nõ semel sunt obseruatæ, & corpus cadaueris liuidum, nigricans, diffluens, & male olens, vt docent omnes, qui scribunt de peste, & nouissime Philippus Ingrassias *libro primo de pestilente contagio, c. 13. & 17.* & nos copiosè obseruauimus in sæuissima pestilentia, quæ Messanam vrbem quinque annorum spacio pessime affecit. Imo eo sunt veneno deteriora cadauera peste mortuorũ, quod veneno epoto exstincta cõtagiosa non sunt, vt peste mortua. Ideo Thucydides in sua illa peste dicebat: *Quòd alites atq; quadrupedes ea, quæ carnibus humanis haud quaquam abstinent, quamuis hominũ conferta cadauera iacerent insepulta, ad ea tamen tum temporis vel non accedebant, vel certè degustatis ijs interibant.*

Opinio propria, & solutio rationum Mercurialis.

CAP. XXXIX.

Venenum quod dicatur.

VEnenum itaque id omne dicimus esse, quod tota sua substantia maleficum caloris nostri destructiuum, malo quodam modo, siue per os assumptum, siue aere inspiratum, siue cuti, morsu, saliua, aculeo, vel cõtagione affricatum, momento temporis vniuersum corpus immutat, corrumpit, liuidum, nigricans reddit, citissimè interficit. Venenum & non minus est, quod lente in corpore progreditur, donec partem principem tractu temporis pertingat, qua obsessa totum repente corpus afficiat, & sæua symptomata inducat. Quod si contingat in corpore corrumpi adeo humores, vt vel primo, vel secundo modo, eadẽ efficiant tum symptomata, tum mortem, tum mortis modũ, vt & verum venenum illi euadant necesse est. Nec omnia, quæ præter naturam fiunt in corpore viuente, fieri illa oportet à calore, quando multa ab agente à tota substantia fiant, peculiari antipathia, & abdita, vt sibi simili qualitate

corpus

corpus immutante, vt à maleficis seu medicamentis, quæ deleteria vocantur, seu feris venenum ictu fundentibus, ita & succis aliquibus ex improbo victu, aut pestilenti cœlo in corpore genitis, affectus fieri malignos docuit Galenus. Nec inconuenit, calorem pręter naturam corrumpentem generare venenum, & agere vltra suā speciem, ob duas rationes: Primo, si sit instrumentum agentis maioris virtutis, ita calor naturalis; vt instrumentum formæ substantialis formam, quæ substantia est, producit: sic calor præter naturam seminarijs contagiosis pestilentibus, & venenosis immistus, venenum producit. Secundo ob maximam aptitudinem, & ob summam patientis dispositionē. Ita dicit Auerroes *2. meteor. ca. 2.* agens debile ob maiorem dispositionem patientis operari sæpe effectus validiores, quam agens validum in materia non ita disposita. Contingit igitur in corpore viuente humores reperiri, adeo prauè dispositos aptosq; tā malo modo putrescere, vt statim ac breuem aliquam occasionem ad putrescēdum susceperint, (vt *1. de diff. feb. 4.* dicebat Galenus) à quouis calore putredinoso, non modo putrescant, vt reliqua putrescibilia, sed ita prauè ac pessimè, vt eorum putredo fiat indicibilis, & excellens adeo, quod in venenum cōmutetur. In quem modum dicebat Galenus de cucumere, & melopepone, *lib. de cibis boni & mali succi c. 8.* quod eorū putredo sit veneno similis: id vero non à calore faciente putredinē, sed à propria illorum natura putrescibili cōtingit. Sic fieri potest, vt res quæ sua natura vehementius, & perniciosius sit apta putrescere, si à quouis calore extraneo putredinis occasionem suscipiat, in verè deleterium venenum commutetur. Ideo idē calor ex putredine capitis bouis generat vermes, & ex putredine capitis equi vespas producit. Et ex his patet solutio ad primam rationem Mercurialis. Ad secundam dicimus, multas fœminas & viros non ægrotare retento semine: non enim omne semen retentum necessario putrescit, quia non semel natura prouida illud inuoluntariè excernit; nec statim ac putrescit, venenum fit, nisi indicibili, & excellēti putredine putrescat, adeo vt prauè corrūpatur. Nec id contingit omni semini, cuiuscunq; indiuidui, vel tēperamēti, sed corporis pleni prauis succis, praueq; dispositis. Ideo nō dicit Gal. si putrescat, sed si cor-

Calor an & quando venenum generare poßit.

Humorum putredo excellēs facilè fieri potest. & cur.

Cucumeris & Melopeponis putredo veneno similis.

Semen retētum non necessario putrescit.

rumpatur:nec quacunq; corruptione,sed vehementi. Vnde dicebat Galenus *6.de locis affectis c.5. An in animantibus corruptio aliqua nasci possit adeo vehemens,vt veneni tũ qualitates,tum vires æquet.* Quando igitur summè,& excellenter non putrescit semen,morbos benè producit, nõ venenosos,tamen nec exitiales. Quod si summè,& vehemẽter, ac prauè corrumpatur,exitiales parit affectus,&(quicquid dicat Auerroes) venenatos:quoniam vapores,quos tũc ad cor demittit, illico substantiam cordis offendunt. Pulsus enim aut magna ex parte languescunt,aut euanescunt,statim totum corpus refrigeratur, & velut attonitũ corruit: quæ tam breui tempore efficere non valet,quod venenum nõ est. Nec omne venenum,quod de sui natura lethale est, necessario enecat. Nõ semel enim ob virium robur, ob venarum angustias,ob veneni exiguitatem,ob proprietatem indiuiduæ naturæ,vel assuetudinem, ob alexipharmacorũ opportunum vsum,expellitur,vel exstinguitur,vt *3. simp. c. 18.& 23.* docuit Gal.

Venenũ lethale cur nõ semper enecet.

DISPVTATIO XI.

An in corpore animalis,absque insigni humorum putredine,poßit verum venenum generari,& augeri. Opinio Herculis Saxoniæ.

CAP. XL.

HErcules Saxonia *li. suo secundo de phœnigmis* affirmat, in corpore animalis verum venenum humorum interno vitio fieri posse, quod quamuis ab excellẽti illorum putredine fieri sæpe contingat, non esse tamen perpetuo summam illam, & insignem putredinem necessariam ad veneni generationem; *Potest enim* inquit,*in humano corpore verum venenum absque insigni humorum putredine generari,& augeri.* Probat hanc sententiam *lib. 2. de phœn. c.8.* primo sic: Omnes febres pestilentes venenum includunt: sed omnes in excellenti humorum putredine non consistunt:nam hectica pestilens verè pestilẽs est. Sed est distincta a putridis. Ergo sine excellente illa putredine consistit in hectica pestilente venenum. Quod si quis dicat,hecticã esse ob putredinem substantiæ cordis:instat sic Saxonia: Si in he-

Venenum absq; insigni humorũ putredine generari posse statuit Saxonia.
1. Ratio.

in hectica pestilente substantia cordis corrumpitur, tunc petit, quænã ergo erit origo, & essentia huius caussæ corrumpentis substantiam cordis? Vel dicent, inquit, esse excellentẽ putredinem, vel veneficam qualitatem, nõ copia sed genere corrumpentem, quæ habet originẽ non ab excellenti putredine, sed à leuissimo principio. Nõ primum: tunc.n. hecticæ essent eædem cum putridis. Ergo dabitur venenum exortũ non ab insigni putredine, sed à leui principio. Secundo sic arguit, *eodem cap.* Venenum, quod lædit non quantitate, sed toto genere, paulatim in corpore generatur, & successiue, ac sensim in solidas partes propagatur. Tale igitur ab excellenti putredine non fit. Tertio sic arguit *capite decimo eiusdem libri*: Non est diuersa generatio veneni in humano corpore, ab eo quod producunt virus ferarũ, & medicamẽta malefica? Venenũ.n. non est tãtum morbi vnius, vel caussæ nomen, sed illud omne, quod malo quodã modo momento tẽporis corpus vniuersum immutat, corrumpit, liuidũ, nigricans, varium & diffluens reddit, & celerrimè interficit. Id à quacunq; fiat caussa, venenũ est. Sed certissimũ est, venena animalium, & medicamentorũ, & ea quoq;, quæ in aëre disseminantur, plerũq; sine valida putredine excitari, & fortè quandoque sine omni putredine. Cur ergo in humano corpore hęc ipsa venenata qualitas, absq; tam valida putredine generari non poterit? Quarto, si solum excellentẽ putredinem venenum sequeretur, tunc in solis corporib. calidis & humidis fieret, cum, authore Galeno, omnis putredo in calido & humido sit posita. Sed hoc est falsum: cũ non raro, & calida sicca, & frigida sicca, & frigida humida in venenũ incurrant. Quinto sequeretur, quod venena non à tota substãtia, sed magis per manifestas qualitates, insignem nempe caliditatem & humiditatem, humana corpora interimerent: cum tamen Galenus deleteria venena, quæ sunt calida & sicca, non qualitate, sed genere nos interficere dicat: cũ sola frigida tantũ quãtitate interimant, vt docet *3. sim. c. 18. & sequentib.* Sexto Galenus *lib. de locis affectis c. 5.* vt ostendat, non requiri perpetuo insignem putredinem ad venenũ generandum, declarat, ab exiguo initio magnam veneni vim excitari, & progressu temporis manifestari, & inquit: *Vt igitur ab exiguo initio, sputi videlicet qualitate,*

Margin notes: 2. — 3. — *Venenum quodnam dicatur.* — 4. — *Putredo in quibus consistat.* — 5. — 6. — *Venenum quandoque ab exiguo initio generatur.*

aucta quadã in corpore dispositio, quando ad magnitudinem notatu dignam peruenit, discerni potest, idq; post sex menses, cum nonnunquam ante id tempus nulla nota deprehendatur: sic eodem modo vitioso humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principaliũ partium aliqua consentit, a qua deinde vniuersum corpus celeriter alteratur. His verbis si Galenus per humorem vitiosum intelligit excellentem illam putredinem; comparatio, quam facit ad venenũ canis rabidi, nulla erit. Vt enim virus rabidi canis nõ copia, sed genere nocuũ est, nec in summa putredine consistit, sed in minima & occulta: sic & initium veneni in corpore geniti paruum est, & dum in parte minus principe cõtinetur, nullum omnino notabilem producit affectum. Ergo non semper à summa & excellenti putredine venenum in corpore fit.

Virus canis rabidi non copia sed genere noxiũ.

7. Septimo, excellens & insignis putredo non potest diu latere in nostro corpore, quin morbũ non concitet. Sed humor exiguus; qualis est, qui facit hystericam passionem, vel aura leuis, quæ fecit ep lepsiã, *ex Gal. 3 de locis affec. c. 7. & 6. eiusdem c. 5.* diu latuerunt in corpore, nullam passionem producentes. Ergo aliquando exiguus humor sine excellenti putredine mutatur in venenũ.

Putredo insignis latere diu nequit.

8. Octauo idem probat ex verbis Galen. *2. in primum proret. com. 17.* dum dicit *Nam caussæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur, potentia virtuteq;, tum virus rabidorum canũ, tum lethalia ea medicamenta repræsentant, quæ etsi in affecto loco nullum protinus, quod notabile sit, pariant symptoma, post quatuor tamen vel sex menses, vel longinquiorem temporis vsuram hominem perimunt.*

9. Nono, quidam in peste subito pereunt; ergo non ex magna humorum putredine, sed ex veneno à caussa occulta, & humili loco progenito, vt *3. in 3. de morbis vulg. com. 75.* non humorum copia, sed veneni qualitate, dicit ęgrum illum fuisse peremptum.

10. Decimo, generatur venenum quandoq; in corpore ex humoribus, vt à rabido cane, & medicamentis septicis, *ex Galeno 2. in 1. prorhet. 17.* Sed venenũ canis non fit à putredine, sed à summa siccitate, vt patet ex Alexandro *prima parte prob. prob. 76.* & Cœlio Aureliano *3. acu. c. 5.* Ita venena septica calidissima sunt ex Gal. *3. simp* Propagatur hoc canis venenum non putrefaciendo humores, sed calefaciendo & exsiccando partes solidas, vt dicit Gal. *eodẽ com.*

Venenum canis à siccitate fit.

Vt propagatur virus caninum.

17. 2. pro-

17.2.prorheticorum: Ergo eadem ratione venenũ internum sine summa putredine ex humoribus fieri poterit. Vltimo Galenus *eodem 2.in 1.prorhet.com.17.* narrat historiam illius ægroti, qui leuissime febricitabat, die quarta visus est sine febre, die verò septima tabidus obiit. In quo ægroto nulla fuit excellens, & insignis putredo: fuisset .n. febris vehemens & continua cum sæuissimis symptomatibus: fuit tamen parua febris, quæ intermisit, & nulla symptomata habuit, & tamen septimo die, inquit Galenus, tabefactus obiit. Ergo propter venenum exiccans, & illum in tabem commutans, interiit. Quod venenum sine insigni putredine fuisse productum, est manifestum. *II.*

Saxoniæ opinio euertitur, & propria comprobatur.

CAP XLI.

Venenum ex humorũ corruptione insigni tantum fit.

VT venenum in corpore fiat ex humorum corruptione, nullo modo leuem, vel paucam, sed summam illam esse, & vehementem, & insignem & excellentem, & penè indicibilem necesse est: alioquin à corruptione humorum in corpore, (quæcunque illa fuerit,) nullo modo & nunquam cinis, sed omnino & semper venenum produceretur: quod falsum est. Hæc autem excellens corruptio non attenditur penes solam quantitatem humoris, qui corrũpitur: sic enim in sola synocha putrida omnium maxime venenum ex corruptione fieret, quod verum non est: sed penes modum, quo illa fit. Vnde etiam pauca humoris quantitas, si praue, excellenter, & summè corrumpatur, in venenũ cõuerti potest. Vt.n. actu venenum ẽt in minima quãtitate acceptũ, sæua symptomata, & summas, & vehemẽtes inducit mutationes, vt inquit Gal. *primo de sem.c.16.& 3.de locis affectis c.7.* quoniã nõ quantitate, sed genere perniciosum est; sic & minima quantitas humoris, si indicibili, & summa corruptione mutetur, venenum fit. Secus aũt nullo modo fieri potest. Hoc sic demõstro: Primũ, vt vtamur argumento Saxoniæ, ita generatur quãdoque venenũ in corpore, vt in cane rabido, quod concedit ipse, & affirmat clare Gal. *6.de locis affe.c.5.& 2.in primum prohr com.17.* Sed in cane rabido venenũ nunquã fit, nisi post summã humorũ eius corruptionẽ. Ita Gale *6.de locis af.c.5.* cũ inquit: *Quippe facile intelligitur à canibus, quantam*

Excellens putredo quo respectu intelligatur.

I.

Venenum quando in corpore generetur.

Virus caninum ex summa humorum corruptione generatur.

tam

tam habeat vim afficiendæ rei apitudo. Quum enim reliquorum animalium nullum rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur: atque tanta fit in ipso humorũ corruptio, vt solum eius sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare possit. Ergo canis sputum omnino nũquam erit venenum, nisi post summam humorum corruptionem in cane virus fuerit generatum. Alexander Aphrodiseus, qui caninam rabiem refert ad caliditatem, & siccitatem, non quãcunque, neque leuem, sed summam, & insignem adducit *prima parte prob. prob. 76.* vbi inquit: *Humor enim contentus in iis, totusq; habitus concalfactus, resiccatusque, supra modum intenditur.* Accidit, quod neque venenum in corpore humano, à canis saliua venenosa productum, (licet longo tempore disponantur humores ad eius generationem,) actu venenum fit generanti consimile, nisi post summã humorum corruptionem: subdit enim Galenus ibidem: *Vt igitur ab exiguo initio sputi, videlicet qualitate, aucta quædã in corpore dispositio, quando ad magnitudinẽ notatu dignam peruenerit, discerni potest, &c.* Ergo humor à canis veneno sensim disponitur, & nunquam veri veneni formam suscipit, nisi postquã ad magnitudinem notatu dignam peruenit. Medicus.n. qui est artifex sensatus, nũquam venenum esse actu in corpore ex humorib. genitum poterit affirmare, nisi postquam eius symptomata discernet; nec discernet, nisi postquam ad magnitudinem notatu dignam illud peruenerit, vt inquit Galenus. Ergo vt in cane rabido; ita & in homine, venenum non nisi à veneno, vel à summa humorum corruptione produci poterit. Secundo, Galen. docet modum, quo humores tractu temporis in viuente in venenum commutantur, qui licet sensim disponantur, vt venenum fiant, nunquam tamen dicit esse vere venenum, nisi postquam summam, & malignissimam mutationem sint consecuti. Lib. enim 3. *in 3. Epid. com. 75.* habet hęc verba: *Sed pedetentim in corpore caussæ, quæ sunt excitandis huiuscemodi malis crescunt: quod morsis vsuvenit à rabidis canibus.* Et paulo post: *Longo enim tempore caussa, quæ rabiem efficit, augetur: quæ vbi eò tandem peruenerit, mortẽ affert repẽtinam. Item in hac phrenitide vitiosus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali assimilis, in corporib. vicinis aliquid paulatim agens: quæ quando vitio iã aliquo pacto op-*

Venenum à saliua canis vt fiat in corpore humano.

2\. *Modus quo humores in venenum commutantur.*

cto opportuna erant, humorq́ ipse euaserat malignissimus, lethale repente apparuit symptoma. Ergo non statim ac humor cæpit commutari, fuit vere venenum, sed veneno similis. At vbi tractu temporis increuit corruptio, euasitq; humor malignissimus, fuit verè venenum. Monstrat hoc Galenus: dicit enim: *Lethale repente apparuit symptoma.* & qui prius vocauerat hunc humorem veneno assimilem, nunc postquam malignissimũ factum esse dicit, subdit: *Itaq́ vt veneno epoto lethali, quidã postridie vel tertio die moriuntur, qualitate eius, non copia, mortem afferente, & item hic quoq́ æger statim tertio die censendus est obiisse, à qualitate succorum virulentorũ, non à phrenitide peremptus.* Ergo tunc vocauit verè venenũ, cum humor malignissimus fuit effectus: dum fieret aũt, nõ venenum, sed veneno similem. Res.n. dum fit, non est, & simile non est idẽ, vt docet Gal. *3. sim. 25.* Tertio, modum conuersionis humorum in venenum clarius explicat Galen. *com. 3. in lib Hippoc. de alimento, folio 10.* vbi inquit: *At siquid præternaturam corporib. accidat, primum humorẽ propter humiditatem corrumpit, temporis vero progressu id pinguedinem, & carnẽ attingit. Quãobrem videmus sæpenumero sanguinem biliosum redditum, corruptela quadam assidua, vsq́ adeo vt totius corporis color porri colorem imitetur, quod etiam sine mortiferis medicamẽtis cernitur, corpus ad humorũ corruptelã peruenire, quæ similis est ei, quã venena afferunt.* Ergo vt humores perueniant ad corruptelam, similẽ corruptelæ, quam afferunt venena, oportet vt cõmutentur corruptela assidua, adeo vt color totius corporis immutetur. Ergo vt non ad simile, sed ad verum venenum deducantur, longè maiori, & magis assidua corruptione mutentur oportet. Quarto, humor, qui ex corruptione fit venenũ, siuè multæ sit, siue paucæ quãtitatis, vel indiget excellenri putredine, & summa corruptione, vt id fiat, vel mediocri, vel tandem omnino leui. Si primũ, recta non erit opinio Saxoniæ. Si secundum, ergo febres putridæ magna ex parte erunt pestilentes. Consequentia est euidens. In plurib.n. est putredo in facto esse, in qua humor est omnino corruptus, ad benignum nõ reducibilis, *ex Galeno 11. metho. c. 9. & 2. aphor. com. 17.* & ita omnis cinis humoris in febrib. quã dicit fieri Gal. *3. de præsag. ex pul. c. 7.* omnis gangræna, omnis cancer, omnis puputredo

3. Modus corruptionis humorum.

Corruptio assidua requiritur, vt venenum fiat ex humoribus.

4.

putredo corrodens & amputans partẽ, omnẽ deniq; quod in corpore ex putredine corruptũ est, venenũ erit. Consequentia patet: nã quod est per se, est de omni & secundum quod ipsum. Tandẽ si leuissima putredo sufficiat ad venenũ, tunc omnis putredo, quæ alteratione finitur manente substantia, venenũ produceret; quod omnino verum non est.

Leuissima putredo non sufficit ad venenum.

Quinto, ad hoc, vt humor naturalis fiat venenũ, debet mutari ab amico ad inimicũ à nutrimẽto aliti, à quasi nutrimento, ad deleterium & corruptiuũ, & ab eo quod potest à natura concoqui & euinci, ad id quod nullo modo à calore vinci possit: tale.n. est venenũ; *ex Gal. 3. de naturali. facul c. 7.* Sed hęc mutatio fieri non potest, nisi per summã, & valde intensam corruptionẽ, & transmutationem. Nam humor in corpore prius est secundũ naturã: eadem .n. est materia generationis & nutritionis: mox putrescit, & dum est putredo in fieri, retinet ad hunc propriam substantiã, *ex Galeno lib artis medi. 89.* Deinde vbi corruptus est, fit putredo in facto esse, & ita est cinis, 3. *de præs. ex pul. c. 7.* & ita adhuc nõ est venenum. Sic.n. omnis humor corruptus 2. *aph. 17.* ad benignum nõ reducibilis venenum esset, q̃ falsum est. Sic atra bilis ex flauæ adustione progenita venenum foret, quod non est. Ergo requiritur vlterior & longe maior corruptio, vel diuersus corruptionis modus, quem indicibilẽ vocat Galenus, vt ab vno extremo, à familiari scilicet, ad illud, nẽpè deleterium, permutetur. Et hæc est illa excellens putredo, quam requirit Galen. in febre pestilenti, & vehemẽs corruptio, quam in corpore dicit ęquare vires & naturam veneni, cuius modum generationis supra *c. 31.* explicauimus.

5 Humor vt venenum fiat, quomodo mutari debeat.

Non omnis humor corruptus venenum est.

Sexto, Galenus nullibi dixit, vnquam in corpore humano à putredine vel leui, vel non excellenti, vel non insigni venenum fieri: sed quando hoc protulit, dixit à summa & ingenti corruptione illud produci. Verba ipsius *6. de locis affec. c. 5.* hæc sunt: *Reliquũ est, vt inuestigemus, an in animantib. corruptio aliqua nasci possit adeo vehemẽs, vt veneni tũ qualitatem, tũ vires æquet.* Lib. de theriaca ad Pison. *c. 16.* vbi dixit: *Cum pestis ipsa ceu fera quædã venenata, non paucos aliquot miserè perdat, verũ totas ciuitates depa catur. Immutat .n. aërem malo quadam modo, vt homines interficiat* & 2. de alim facul. c. 11. *Sycamina igitur,* inquit, *celerrime pertransẽut, cibisq; aliis præeunt,*

6. Venenum à summa tantum fit putredine.

Sycamina.

si in

si in ventriculum purum inciderint, & sumpta primis epulis fuerint. Quod si sumpta post alios cibos fuerint, aut ẽt prauum succum in ventriculo offenderit, celerrimè vna cum aliis cibis corrumpuntur nouo quodã corruptionis genere, & quod verbis explicari nequeat. Ergo nõ quælibet putrefactio, sed indicibilis & summa potest humores in venenum transmutare, quæ modo excellẽti communes putredines, & corruptiones adeò superet, vt verbis explicari nõ possit. Neq; rationes Saxoniæ conuincunt. Ad primã: Omnes febres pestilentes, siue humorales sint, siue hecticæ, ab excellẽti putredine proueniunt: ergo hectica pestilẽs erit putrida: non valet. Licet.n. vtraq; fiat à putredine, vt *3. de præs. ex pul. c. 3.* docet Galenus, differũt. Nam in hectica putredo occupat corpus cordis, in putrida putredo defluit ad humores, quos cõtinent cordis sinus, magis quã ad corpus visceris, vt ibidem explicat Galenus. Quod cõfirmari potest ex cõcessis à Saxonia sic: Tam hectica quã putrida per ipsum fit à veneno: ergo vtraq; à pari erit eadẽ. Sed non valet ratio: nã differunt penes partes, quas venenũ afficit. Instat Saxonia: In hectica pestilenti cordis substãtia corrumpitur, tũc quę erit origo, & essentia caussæ corrũpentis? nõ excellens putredo: esset.n. hectica putris: ergo venenũ nõ copia sed genere corrũpens. Ergo sine excellenti putredine à veneno hectica pestilens cõstituitur. Respõdeo, caussam esse venenũ, factum vel ab alio veneno, vt ꝙ contagio producitur; vel à putredine humorũ nõ qualibet, sed excellenti, quæ venenũ cõstituit, à quo immediate febris illa ꝓducitur. Sed dicet; Est à veneno genere lædente, non copia: ergo à pauco veneno. Esto; ergo venenum fit à pauca putredine, vel à putredine nõ insigni. Falsa est cõsequẽtia. Aliud.n. est, paucũ venenũ deleteriũ ledere, aliud est paucã corruptionem sufficere ad veneni generationẽ. Primũ.n. admitti põt: secundũ est impossibile, vt supra monstratũ est. Ad secundũ, cũ dicit, venenũ, ꝙ lædit toto genere, paulatim generatur in corpore: ergo sine sũma putredine: Respondeo; Primũ nõ esse verũ, omne venenũ deleteriũ toto gñe sensim generari vel afficere. Oppositũ.n. mõstrat Gal. *1. de sem. c. 16.* Mox vero, alius est modus, quo genereturex humorib. in corpore: alius est modus, quo vt venenũ offendit & morbũ ꝓducit. Dicebat.n. Gal. *3. in 3. Epid. cõ. 75. Est eorũ morborũ admi-*

Solutio rationum Saxoniæ.

1.

Hectica & putrida febres vt differant.

2.

admiranda generatio, quo nam pacto in commodè valentes subitò inuadat Neq; enim sicuti ipsorum generatio subita est, ita & generationis caussa. Ergo licet ex succis paulatim collectis, & sensim putrescentib. caussa generationis veneni disponatur, venenum tamen non est productum ex eis, nisi postquam corruptio ipsorum ita increuerit, vt vehemens, & summa fiat; tunc.n. & venenũ est, & morbũ producit. Tandem, etiamsi gratis concedamus, venenum illud, quod ex humoribus fit, sensim, & multo tempore in corpore augeri, esseque actu venenum, etiam in pauca humoris quantitate; non valet ex eo, non fieri ab excellenti putredine, & summa, & insigni. Summa.n. & excellens non est intelligenda summa extensiuè: sic.n. omnes febres synochæ pestilentes essent: nec summa intensiuè, cui nõ possit fieri additio: sic.n. omnis terra, fimus & cinis, ad quę omnia putredo terminatur, venenum essent: Sed excellentem ac summam intelligimus, indicibilem prauitatem, & modum corruptionis perniciosum, siue ex actione agentis veneficij, immutantis humores alteratione sibi consimili, siue ex perniciosa natura eius, quod putrescit, cõtingat: Quæ excellens putredo etiam in pauca humoris quãtitate stare potest; vt & in pauca quantitate humoris deleterij stant ingens, & summa vis corrumpendi, & momento totum corpus immutandi, vt *3. de locis affectis, l. 7. docet Gal.* Ad tertium, cum dicit: Non est diuersa generatio veneni in corpore animalis, ex humorum corruptione, à generatione veneni, quod animalia, & medicamẽta efficiũt: Sed hæc cũ leui putredine, vel omnino sine putredine valida, fortè ẽt absq; putredine generantur: Ergo nulla est ratio, cur in humanis etiam corporibus, hæc ipsa venenata qualitas absq; tam valida putredine generari non possit: Respondeo: Primum, assumit falsum, & non probat, cum dicit, non esse diuersam generationem veneni in animalibus, & in corpore humano. Quamuis .n. venenum sit omne, quod est deleterium, siue illud animalia, siue medicamenta, siue humores producant; diuersa tamen species est in omnibus, tum veneni natura, tũ modus, quo in singulis generatur. Aconito.n. & aspidi naturalè illud est, ꝙ in hominẽ immissum, homini est venenum. Secus.n. si illis venenũ esset, non viuerent. Humores aũt in homine sunt

Sũma & excellens putredo vt intelligenda.

3.

Veneni ex humoribus generatio differt ab ea quæ fit ab animalibus & medicamentis.

secun-

ſecundum naturam. Vt autem eidem homini venenum fiant,(quæ mutatio eſt de extremo ad extremum,) ſumma requiritur tranſmutatio, & excellens corruptio. Alioquin aſpides, & phalangij, & canis rabidi, & aconiti, & opij eadem eſſet tum natura, tum modus generationis, tum omnia ad ſe inuicem venena eſſent, vt homini, quod falſum eſt. Licet enim illa omnia venena hominem enecent, non tamen valet; ergo omnia hæc venena ſine putredine generantur. Et quamuis in animalibus valeret & plantis; non tamen valet in veneno, quod generatur ex humoribus in homine. Ratio eſt: nam etiamſi omnia venena cõueniãt in genere, differunt tamen inter ſe, & natura particulari, & modo generationis, & læſionis, & forma ſpecifica. Sic. n. valeret dicere; mus generatur ex putri materia, & eſt animal; Homo eſt animal; Ergo homo ex putri materia generatur: hęc vero fallacia eſt. Ad quartũ, cũ dicit; Sequeretur venenum ſolũ generari in calidis humidis, ſi ab excellenti putredine fieret; Reſpondeo, per excellentem putredinẽ, ſummam extenſiuè, vel intenſiuè nõ intelligi, ſed malam putredinẽ, & corruptionẽ modo indicibili factam quæ nõ iis, quæ facilius, ſed quæ pernicioſus ſunt apta putreſcere, contingit. Ideo bilis Zanaria, licet non ita prompte putreſcat vt ſanguis, tamen ob eius prauã naturã vehementius putreſcit. Quapropter Galen. dicebat *2. in 6. epid. 38. Ichor vero ſanguinis quidem ſerũ, mitis: nigræ vero bilis, ſed acidæ, ferus.* Ad quintũ, cũ inquit; Sequeretur, quod venena magis offenderent per qualitates manifeſtas, quã à tota ſubſtãtia: Reſpondeo, putredinẽ ex qua fit venenum in corpore, non eſſe excellentem extenſiuè, ſed ob aptitudinẽ, vt pernicioſe putreſcat, & corrũpatur; ſiue id ſua natura, ſiue agentis malefici actione ſortita ſit. Præterea nec ſtat venenũ in putredine, vt per qualitates manifeſtas offendat magis; ſed à putredine & corruptione excellẽti generatur venenum; quod vbi genitum eſt, tota ſubſtantia offendit. Ad ſextũ, cũ dicit ex Gal. *6. de locis affectis*, Quod quemadmodũ à pauco ſputo canis rabidi, fit notabile venenũ in homine: ſic & à pauco humore vitioſo in corpore genito: Concedimus: Ergo venenũ à pauca fit putredine: non valet argumentum. Paucus enim humor, vel talis eſt ratione quantitatis, vel ratione corruptionis. Primo mo-

Venena inter ſe differunt.

4.

5.

6.

do poteſt eſſe paucus, & venenum: ſecundo modo eſt impoſſibile. At Gal. non infert, ex pauco ſucco pauca, & leui putredine mutato, venenũ fieri, cum nec canis rabidi pauca ſpuma eſſe poſſit venenoſa, niſi poſt ſummã corruptionem humorũ in corpore canis effecta ſit. Nec medicamẽta ſeptica, licet in pauca quantitate offendant, & corrumpant, vt tandẽ interficiãt, illud vnquã efficerent, niſi prius actu venena eſſent; vt aconitum, auripigmentum, ſandaraca, chryſocolla, piryocampe, vt dicit Gal. *5. ſimp. c. 15.* Ad ſe-

7. ptimum, cum dicit: Excellens & inſignis putredo non poteſt diu latere in corpore noſtro: Reſpõdeo, id eſſe verum, ſi ſit excellens putredo, vel in multa humoris quantitate, vel in parte principe: ſi vero ſit in pauca copia, & in parte ignobili, latere poſſe: vel ſi ſit talis naturæ, qualem venena ſeptica, & virus à cane rabido genitum in corpore repræſentant, *ex Galeno ſecundo in primum prorhet. 17.* Ad octa-

Excellens putredo an & quando diu latere poſſit.

8. uum, Galenus loco prorheticorum prædicto ſic eſt intelligendus, vt ſupra locus Galeni *6. de locis affectis, capit. quinto,* explicatus à nobis eſt. Ad nonum, cum dicit: Aliqui

9. in peſte ſubito pereunt: ergo non ex magna humorum putredine, ſed ex occulta cauſſa, nempe veneno in humili loco progenito: Reſpondeo, interire illos ex veneno vel inſpirato, ſpiritus ſubito diſſoluente; vel progenito in corpore, quod licet ſit ab excellenti humorum corruptione productum, ad cor tamen peruenit vapor venenoſus non putris, vnde etiam ſine febre quandoque enecat, vt ſupra monſtrauimus. Ergo fuit genitum in humili loco, & ſine magna putredine; nego argumentum. Vbicunque enim genitum fuerit, ſine inſigni & ſumma corruptione generari non potuit, & nec interficere potuit, niſi tandem ad cor fuerit delatũ. Nec eſt neceſſe, vt ſtatim ac ſumma putredo in aliqua remota corporis parte ſit, & in venenum mutetur. illa ſimul ad cor vapores putres demandet cum veneno; quando venenum ſit vehementioris actiuitatis, quam putredo; & obſeruatæ ſint putredines mẽbra corrumpentes, quarum vapores putres ad cor non peruenerunt, & febrem non concitarunt, vt *tertio in tertium epide.*

Cur quidã ſubito peſte pereant.

Non omnis putredo vapores putres ad cor demandat.

10. *25.* docuit Hippocrates, & Galenus. Ad decimum, cum dicit: Ita generari poteſt in corpore humano venenum, vt in cane rabiente, ex Gal. *3. in 3. epid. 75.* Sed venenũ rabidi ca-

nis

ſis non ſtat, nec fit à putredine, nec putrefacit: nam non nocet humoribus, ſed ſolidis partibus, *ex Gal. 2. in 1. prohet. 17.* Reſpondeo, ſic generari in corpore humano venenum, vt à cane rabido, ſi de modo generationis intelligat, quod lõgo tempore fiat vtrumq; vt *3. in 3. epid. 75.* explicauit Gal. concedo. In reliquis autem non valet ſimilitudo. Aliter æque formidarent aquas, veneno affecti ab interna humorum corruptione producto, vt à veneno canis: quod falſum eſt. Et ita etiamſi in cane venenum abſq; putredine fieret, & in homine ſine putredine ſuũ venenũ inferret; non tamen ex eo valeret ſimilitudo, quod in homine, ex humorũ corruptione interna, cũ leui corruptione ſeu putredine venenum fieret. Nam etiam ſi admittam, venenum à veneno cõſimili per contagium etiam ſine putredine gigni poſſe: ab interna tamen humorum corruptione ſpontè progenitum venenũ, ſine vehementi, & inſigni corruptione nõ fit. Rurſus nec verũ eſt, canis venenum ſine corruptione ſumma generari, vt ſupra ex Gal. *6. de locis affec. 5.* monſtratũ eſt. Nec ſeptica venena ſine ſumma putredine interficerent, vt *3. ſim. c. 22.* docet Gal. Et quãuis venenũ canis rabidi nõ ſtet in putredine, vel corruptione, vel intemperie, ſed in abdita totius ſubſtantiæ ꝓprietate, non inde valet, quod à ſumma coruptione non producatur. Natura enim rei genitæ non ſtat in natura illius, quod ad eius generationem corrumpitur. Nec eſt verum, non habere canem rabidum putredinem, quia nullam habet humiditatem: Sic .n. neq; viueret; Ita nec omnia vno igne excepto putreſcerent, *ex Ariſt. 4. meteor.* Ita flaua bilis calida ſicca febres putridas non cõcitaret. Neq; verum eſt, venenũ canis in corpore humano putrediñe humorũ nõ inducere. Dicit. n. Alzarauius & Auicẽnas, hoc veneno tẽtatos nigrã mingere vrinã, & addit Auicẽnas, ſpem eſſe curationis, ſi ab vlcere, ꝙ morſus canis effecerit, pus copioſum egrediatur. Nec eſt verũ, inducere ſolũ calidã ſiccã intemperiẽ: illud. n. dixit Gal. *2. in primũ prohret. 17.* de mẽte Pelopis. Eſſe. n. venenũ à tota ſubſtãtia delereriũ, docuit *11. ſim. c. de cancris fluuialib.* vt ſupra à nobis mõſtratũ eſt. Ad vltimũ, ad hiſtoriã q̃ narrat Gal. *2. in 1. pro. 17.* Reſpõdeo, in illo ægroto fuiſſe febrẽ cũ ſũma putredine Id docẽt vrinę, q̃ die quarto apparuerũt. Nec eſt, ꝙ dicat Saxonia,

Hydrophobia ex morſu canis rabidi.

Canis rabidi venenum in quo conſiſtat.

A cane rabido demorſi nigram mingunt vrinã.

11.

fuisse illas ob innati caloris extinctionem: non enim fuisset sine febre, adeo vt quarta die ita bene se haberet, vt ẽt lauaret, si eius innatus calor erat exstinctus: nec vixisset deinde triduo cũ innati caloris exstinctione: Ergo ab intẽso calore nigræ fuerunt vrinæ, vt fieri illas dicit Gal. *1. de crisibus c. 12.* At intensus calor febrilis intensam arguit putredinem à qua excitatur. Ergo erat febris quieta exterius, conturbans interius, vt vult Auicennas *1. fen. 4.* esse putridas pestilentes; de quib. dicit Gal. *3. crisium c. 4.* quod à principio mites, quæ postmodum valdè malignæ fiunt. Tandem dicamus cũ Saxonia, in hac febre venenũ necasse ægrum: illi gratis concedamus, excellentis putredinis signa nulla apparuisse: ergo illud venenũ ab excellenti putredine non fuit genitũ: non valet cõsequentia. Potuit. n. ab indicibilis putredinis modo sensim humor corrũpi, qui vbi venenum fuit, febrem cõcitauit & interfecit, cõmutata excellenti putredine in venenum. Nõ. n. est eadem ratio generationis caussę & morbi, vt supra ex Galen. mõstratũ est.

Non eadem ratio generationis caussæ & morbi.

DISPVTATIO XII.

An in febre vulgari, quæ perniciose Siciliam inuasit anno 1592. quam pandemicam pestilentem vocat Marcellus, ægrotis mitti debuit sanguis copiose. Marcelli opinio. CAP. XLII.

HActenus pro dignoscenda pestis, ac pestilentis febris natura, illa disputauimus, quæ à Marcello libro suo de morbo pandemico minus rectè in doctrina Galeni explicãda esse iudicauimus: cuius occasione, & multa cũ clarissimis nostra tẽpestate Medicis disseruimus. Deinceps in quibus pro illarum curatione cum illo non conuenimus, amicè, & ingenuè pro ægrorum vtilitate disseremus. Quæ licet plurima sint, duo tamen, quæ summi momenti sunt, expendemus: Alterum de sanguinis missione in illa febre molienda, quod in calce præsentis libri disputabimus: Alterum de abusu vesicantium, quod toto secundo libro cõplectemur. Igitur, vt primum agrediamur, Marcellus *libro suo de morbo pandemico, à folio 38. ad 51.* longa verborum serie

Marcelli opinio de co-

ſerie ſtatuit, in vulgari illa maligna febre, quæ Siciliam fere totam peſſime confecit, ægrotis vbi vires permitterẽt, ſanguinem fuiſſe mittendum copioſe. Confirmat ſuã ſententiam his rationibus: Primo, venæ ſectio adimit plenitudinem: ergo corpus aliqua ratione exiccat, & conſequẽter prohibet, ne illa mala qualitas, in tota humorali maſſa diffuſa, vlterius vires ſuas exerceat. Secũdo, medicus debet imitari naturam rectè operantem. At in febribus peſtilentibus ex humorum copia ſummaq; putredine, natura ſæpe per ſanguinis euacuationem ægros iuuit, vt diuerſis exemplis docet Hippocrates, præſertim *3. in tertium Epidem. 77.* in Pericle, & *textu 78.* in virgine, quæ habitabat in veſtibulo templi, & *tex 62.* in muliere moroſa, & in alia virgine ægrotante *tex. 83.* quibus omnib. ſolutus fuit morbus, ſanguinem copiosè natura excernente. Tertio, Galenus *primo epidem. ſec. 3. commen. 26.* in Critone dicit, Hippocrat. illi venam non ſecaſſe, quia opportunè non fuit ad ægrum vocatus. Ergo laudat in humorum copia, & malignitate, ſanguinis miſſionem. Quarto, peſtilentes nõ differunt à putridis febribus, niſi ſecundum magis & minus; quod ſpeciem non variat, ſecundum philoſophos. Erit ergo in vtriſque eadem methodus curationis. Sed in putridis Galenus laudat ſanguinis miſſionẽ *11. method. 15.* cum inquit: *Saluberrimum eſt in omnibus febribus ſanguinem mittere, &c.* Quinto, in quolibet morbo magno, ſiue propter affectus magnitudinem, ſiue partis præſtantiam, ſiue malignitatem, viribus & ætate conſentientibus, venã perpetuo ſecandam ſcimus. Sed hæc febris maligna eſt, & in limine peſtilentis conſtituta; conſequenter & morbus magnus & ex humorum putredine: viribus ergo conſtantib. copioſe & audacter eſt mittendus. Hæ ſunt rationes, quas longioribus verbis Marcellus explicat.

Rationes Marcelli. 1. 2. 3. 4. 5.

Opinionis euerſio. CAP. XLIII.

PRimum in re tanti momenti ſatis obſcure, & indiſtinctè, Marcellus loqui videtur: mox vero nec omnino rationi conſona affirmat. Indiſtinctè quidem loquitur: nõ enim explicat, an in hectica peſtilẽti ſanguis mitti debeat. (Dantur autem peſtilentes hecticæ non vulgares modo, ſed & priuatę, vt illa fuit quam refert Galenus *2. in primum*

prorhet.com.17. De hac autem febre inquit, *3. de præsag. ex pul.cap.3. Quam medicinam excogites ad putredinem quæ in corde sit?* In nostra autem illa vulgari peste plures fuerunt, qui cum leuissimè febricitare viderẽtur; 7. vel 9. die quasi tabefacti derepente vitam cum morte commutarunt. Obseruati non minus fuerunt, & qui cum humorum turgentia pessimè laborarunt. An in iis sanguinem copiosè mississet Marcellus? An vel omnino non mittendum iudicasset? an purgasset potius? iuxta Hipp. & Galeni præceptum *1.aphorismorum 24.& 4.aphor.10.* Præterea quid si fuisset summa cacochymia, sine vlla plenitudinis nota? Quid si summa humorum corruptio? Galenus enim *9. methodi c. 4.* etiam in synocha, antequam corrumpatur sanguis, secat venam. Quid in quibus morbus non ad sanguinem, sed ad humores separatos à natura, sanguinis habuisset analogiam? Ad hæc neq; explicat, an quib. oportebat mitti sanguis, solum in morbi principio, an quouis tempore fieri debuisset? Præterea an postquam maculæ apparuissent, vt in illa cõstitutione vulgares fuere: quæ criticæ fuissent, nullo erat artis præsidio mouendæ, ex præcepto Hippo. *1. aphorism.20.* At vero si criticè, & imperfectè, vel omnino symptomaticè, natura violẽter concitata, ad expellendum apparuissent, an secta vena, & copiosè? cucurbitulis à profundo trahentibus? ex Galeno *13.meth.cap 19.* an secta vena? vt Simoni fecit Hippocrates *2. in 6 Epidem. 30.* an scarificatis suris? vt fecit Apollonius, referente Oribasio *lib. 7.cap.29.* Hæc & huius generis reliqua, ad ægrorum salutẽ conducentia, erant explicanda, cum omnia suos habeant Auctores & rationes ad partes: & inter clarissimos medicorũ de singulis ferè sub iudice lis sit. Verum illud vnum examinemus quod proponit Marcellus: An copiosè sanguis mitti debuit in illa constitutione, ab illius morbi naturã indicatione desumpta? Copiosè mittendum affirmat: quod rationi consonum non videtur. Potius. n. puto, vel omnino nõ mittendũ fuisse, vel saltẽ parcè, & quidem copiosè nullo modo. Quod sic demõstro. Primo vulgaris illa febris à praua ciborũ insolentiũ corruptione producta fuit, auctore ẽt Marcello, qui caussam principalẽ protulit cibos prauos, ac insolentes, ob præcedentis durissimæ famis necessitatem; quæ (exceptis paucis nobilibus, quibus conta-

Copiosè sanguinem non fuisse mittẽdum probatur contra Marcellum.

contagione accessit morbus) vulgaribus, ac plebi caussa fuit principalis & immediata ægrotandi. Cõsimilem constitutionem post famẽ narrat Gale. *lib. de cibis boni & mali succi c.1* sed in illa laudat medicos, qui se temperarunt à sectione venæ. Ergo & in hac constitutione nostra, vel omnino non fuit mittendus vel saltem non copiosè. Verba Galeni hæc sunt: *Quumq́ medici nonnulli paucis omnino quibusdã sanguinem mittere auderent morbi initio, (si quidem non iniuria remedij huiusce vsum reformitabant, ob viriũ iam tum antea imbecillitatẽ, &c.* Nec valet quod dicat Marcellus, in illa febre sanguinẽ nõ debuisse mitti, non ꝙ à morbo nõ indicaretur, sed quia vires erãt languidæ. Nã morb. quoq; phlebothomiã per se cõtra indicabat; quod sic demonstro. Morbus de sui natura vires dissoluebat, ac deiiciebat; ergo morbus suapte natura venæ sectionem contra indicebat. Antecedens patet. Cur enim in illa constitutione vires erant languidæ? cur omnibus languidæ? Dicet equidem ob prauam humorum corruptionem factam omnibus communiter à prauis cibis, vnde natura non habebat copiam laudabilis sanguinis ad spiritus vitales regenerandos. Igitur caussa coniuncta, quæ morbum cõstituerat, summa erat illa corruptio. Ergo morbus suapte natura vires dissoluebat. Hippocr. *secundum aphor. 36.* inquit: *Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamẽta purgentur, cito exsoluuntur: & qui prauo v. untur cibo.* Inquit Galenus *in commen. Qui vero vitioso vtuntur alimẽto, ob malorum humorum superabundantiam facile exsoluũtur in purgationibus.* Ergo multo magis copiosa sanguinis missione. Galen. enim, vbi ob vires imbecilles sectionẽ venæ timet, deiectoria medicamenta concedit vt *4. de sanitate tuenda c.4.* vbi inquit: *His enim si vires non dissuadeãt, duorũ alterum, aut sanguis mittendus est, aut purgatio exhibenda. Sed discernentibus nobis, vtrũ magis expediat, vt mox dicetur. Si vires imbecilliores dehortãtur, sanguis mittendus haud quaquã est, sed deiectio mediocris adhibẽda.* Rursus, vtcumq; id sit, in acutis morbis sanguis mittendus est, si virtus sit valida, *ex Hippocrate. 4. acuto. 19.* Sed in nostra constitutione omnib. ferè virtns vitalis à principio imbecillis erat. Id non potest negare Marcellus, cuius verba *fol. 26.* hęc sunt: *Erant tanta putredine detenti, in qua spiritus omnes*

Viribus imbecillis sanguis non mittendus.

dissoluebantur. Et mox: *Pulsus erant parui & rari.* Accidit quod erat summa corruptio, & tota humorum massa putrefacta. Marcellus *fol. 22.* inquit: *Quare febrem hanc, nunquam Siciliæ visam, formali distinctione à putridis aliis, nisi vna insigni putredine, substantiæque corruptione seiungi non debere teneo.* & *folio 25. Quia,* inquit, *tota massa humoralis videbatur corrupta.* & *folio 26. Profunda admodum fuerat putrefactio.* & mox: *Quia, cum magna fuisset in venis putredo & abominabilis.* & *folio 29. Graue olentes erant vrinæ ob summam humorum putredinem.* & *folio 30. Quod fœtida & cum vermium multitudine egerebant, larga humorum copia putrefactorum in caussa erat.* Ergo in tanta putredine vel omnino nullus, vel omnino paucus fuit sanguis mittendus. Consequētia est Galeni, qui *primo aph. com. 17.* inquit: *Si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea, quæ in corpore est dispositio, fit ex corruptione humorum, vel defectu: parum alimenti sæpius talibus afferemus. Parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul alimenti multitudinem sustinere. Sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio vero contemperamentum.* An igitur, quibus ob summam corruptionem, & virium defectum bandus est cibus parum, & sæpe, copiosam sanguinis missionem faceret Medicus, si vellet ægrum non interire. Clarius Galenus *4 de sanitate tuenda c. 4.* loquens de sanguinis missione in summa humorū corruptione, inquit: *Nam quoniam alij prius, quam ad exactum sanguinem nutrimentum peruenit, veluti semicocti sunt, alij prorsus incocti crudiq́ue, alij paulo absunt à sanguinis forma, rursus alij sanguinis faciendi, siue (vt ita dicam) sanguificationis veluti vltima pars, qui vtique excessu caloris proueniunt, (quorum alij paululum, alij plus, alij plurimum à sanguine recesserunt,) vbi paululum vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est, audacter mittendus sanguis est: vbi plus, consideratius agendum: vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus est. Inspicere vero & quantitatem conueniet, vt, verbi gratia, si bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus plurimus: vtiq́ue in his abstinendum à detractione sanguinis est.* Hæc Galenus: & *9. methodi c. 4.* in ipsa synocha, quæ à sanguinis plenitudine fit, adueniente putredine venā non secat. Inquit. n. *Quoniā autē nec in hoc, nec in*

In putredine summa nū sanguis mittendus.

Galeni sententia.

nec in lotio, nec in ipsa caloris qualitate, indiciū aliquod humorū putrescentiū apparuit, optimū factu visum est, venā incidere, ante quam putredo inciperet. Et *11. methodi c. 14.* reddit rationem, cum dicit: *Quoniam nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest, vt quæ alia remedia (ceu prius monstratum est) desiderent, reponi sanguinis aliquid, ad curationis spacium debebit:* Tanto minus, quando sanguis in virulentum est ex corruptione mutatus. Ideo libro aduersus Iulianum *c. 7.* vbi in sanguinis plenitudine sectā venam morbos curare dicit, sanguine in virulentam quandam naturam mutato, id inquit nequaquam effici posse, cum sanguis ille, qui corruptus in corpore relinquitur, ex tali euacuatione ad benignum non reducatur: imo potius alimentum assumptum, etiam probum, corrumpit. *Nam,* inquit, *vt ex cibarijs recte in corpore confectis bonus generatur sanguis, sic periculum est, nè, dum idonea concedimus alimenta, cum prauo, qui prius inerat, bonus vnà corrumpatur.* Ad extremum si percunctemur Galenum, cur libro de cibis boni & mali succi sanguinis missionem non laudat? Respondet, quia ægrorum vires erant imbecilles. Quod si rursus instemus, & cur imbecilles erant? sic respondet: *Nulli eorum animaduerti sanguinem profluxisse probum, qualem videmus de sanorum corporibus profluere; sed aut plus iusto ruffum, aut nigriorem, aut serosum nimis, aut acrem, & venam dissectam ipsam inter fluendum vellicantem mordicus, sic vt ægrè inde ad cicatricem duci vulnus posset.* Massa igitur humorum in illis erat corrupta. At in nostra illa epidemia, inquit Marcellus *folio 25.* tota massa humoralis videbatur esse corrupta: Ergo & in nostra epidemia, cum summa corruptione humorum languidæ erant vires. Vnde & quia morbus non indicaret, & quia vires nullo pacto sustinerent, copiosè sanguis mittendus non fuit. Præterea inquit Hippocrates *3. prognosticorum 38. Inspicere oportet morborum vagantium impetum, nec te latere temporis constitutionem,* quod confirmat Auenzoar *libro 3. tractatu 3. cap. 1.* Sed in illa Epidemia nostra, morbi impetus non erat ad sanguinem, sed potius ad bilem, & pituitam: erant omnes ferè duæ tertianæ continuæ, cum comate & delirio, nulla, vel rara synocha visa est: accessiones, licet aliquibus essent diebus paribus,

Ratio Galeni, cur in putredine sanguis non mittendus.

Quid si virulentus sanguis.

Galenus cur in humorū corruptione reprobet sanguinis missionem.

non sanguinis periodum docebant, sed malum, ac malignum morbi morem, cũ sanguis sine accessionum periodis febrem faciat *9. methodi c.4* & Hippocrates *3. in 3. Epidemiorum 36.* dicit: *Accessiones pleriq; diebus paribus habebant:* vbi Galenus *in comm. Et hoc quoque, ait, inter rara est: Nam febres ardentes solent, adeoque omnes, ita vt illæ morbi multum acuti, accedere diebus in paribus.* Morbus igitur de sui natura copiosam phlebotomiam non indicabat. Rursus dicamus cum Marcello *fol. 25.* analogiam habuisse ad omnes humores, & magis ad sanguinem: Certè, quibus ad alios humores vergebat impetus, non erat, quod copiosè sanguinem mitteret: neque vero, quibus ad sanguinem (vt hoc illi gratis condonamus) habuisset morbus analogiam. Nam de his fatetur Marcellus, quod tota massa humoralis videbatur esse corrupta. At sanguis, dum corruptus est, naturā suam mutauit, *ex Gal. 2. aph. 17.* Talis nullo modo mittendus est venę sectione. Hip. *3. in 6. epid. 43.* inquit: *Nõnunquam aliquibus sanguinem detrahi conuenit opportunè in talibus, in aliis verò, vt in talibus, non conuenit.* Gal. *in cõ.* dicit: *Expedit,* inquit, *horũ aliquibus sanguinem detrahi, quibus scilicet is copiosus est, & nondum insigniter ad alterum humorem conuersus. Non detrahendus est autem, in quibus iam mutatus est.* Ideo *4. de tuenda valet. c. 3.* dicebat: *Quod igitur omnino alienum est, nulla fieri ratione potest, vt id naturæ suæ gratiam recipiat, sed educere id quamprimum est tentandum, æquè certè, vt, quæ in vetre corrupta prorsus sunt, ea vel vomitione, vel deiectione expelli profectò est optimum.*

Sanguis corruptus non mittendus.

5. *Num viribus nondum imbecillis sanguis copiosè mittẽdus in illa peste.*

Sed dicere quis fortè posset pro Marcello: Secari potuisse venam, & mitti sanguinem copiosè, dum vires non erant adeo languidæ, nec tantus recessus sanguinis à sua natura, nec tanta corruptio in tota massa humorum. Verum neque hoc facere rationabile fuit. Licet enim in principio morbus videretur mitior, & vires non ita languidæ, præterquam quod rarius accidit, vt protinus in primo secundoque die vires imbecilles cernanrur, vt *10. meth. c. 2.* dicit Galenus: sumpta tamen indicatione ab eodem morbi vagantis impetu, quem Medicum inspicere oportebat, sanguis erat, vel nullo modo, vel nõ copiosè euacuandus Nã ex eodem morbi vagantis impetu omnes in augmento, & statu vires languidas habebant, pulsus paruos,) ob sanguinem à

nem à sua natura summè mutatum) subiugales vrinas, vermes, profundam putredinem, vt supra Marcello confitente monstrauimus. Ergo virtus nō erat in principio copiosa sanguinis missione demolienda, vt statum vsque non sufficeret. Si enim authore Hippocrate in victus ratione instituenda *1. aphoris. 9.* coniectari oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, ad morbi vigorem: & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare: multo cautius id erit animaduertendum in sanguinis euacuatione, de qua loquens Auicennas monet, tanquam naturæ thesaurum esse à Medico sanguinem conseruandum. Prçterea, eo ipso tempore principij, quo nec morbus videbatur magnus, nec virtus debilis, erat massa humorum corrupta ex prauorum ciborum ingestione præcedenti, qui in humores pessimi nutrimenti mutabantur, antequam actu homo ægrotaret. Non enim eadem est ratio generationis morbi, & caussæ. Inquit enim Galenus *3. in 3. epidem. 75. Neque enim sicuti ipsorum generatio subita est:* (de morbis loquens) *Ita & generationis caussa: vt si medicamentum homo lethale sumpsisset, vel bestia eum virulentissima momordisset: Sed pedentetim in corpore caussæ quæ sunt excitandis huiuscemodi malis, crescunt: quod morsis vsu venit à rabidis canibus.* Et paulo post: *Longo enim tempore caussa, quæ rabiem effecit, augetur: quæ vbi eo tandem peruenerit, mortem affert repentinam. Item in hac phrenitide vitiosus in corpore humor coaceruatus fuit, veneno lethali assimilis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens, quæ vitio iam aliquo pacto opportuna erant, humorque ipse euaserat malignissimus, lethale repente apparuit symptoma,* Et *2. de alim. facult. cap. 6.* inquit: *Ob eam igitur caussam omnibus praui succi edulijs censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam concoctu sint facilia. Nobis enim non aduertentib. prauus succus ex ipsis post longū tempus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrendum occasionem nactus, febres malignas accendit.* Ergo etiam antequam actu ægrotarent, qui prauis cibis ægrotarunt, sanguinis massam habebant prauis succis infectam: & vbi actu febricitare cœperunt, malo modo. corruptis. Ergo etiam si in statu morbi ob intensiorem putredinem hæc omnia, vt grauiora, sic euidentiora fierent; in principio tamen, morbo iā producto, & massa humorum

Sanguis thesaurum naturæ.

Generatio non eadem morbi & caussæ.

morum putris erat, & virtus (natura carente copia laudabilis sanguinis pro nouorum spirituum regeneratione) valida satis esse non poterat. Ad extremum, verisimile etiam est in epidemia, quam narrat Galenus *libro de cibis boni & mali succi*, vires in principio morbi non fuisse adeo debiles, vt in statu; cum circa initium & finem omnia sint leuiora, *secundo aphorismorum 30.* & tamen Galenus laudat ibi Medicos, qui venæ sectionis vsum formidarunt, etiam in morbi principio. Ergo nec inchoante morbo fuit in nostra illa Epidemia, ex eisdem causis, & eadem ratione producta, sanguis copiosè mittendus.

6.

7. *Vires in feb. pestilenti sta im à principio debiles.* Tandem in febribus verè pestilentibus vires statim à principio fiunt debiles, vt habemus ex Galeno *3. de præsag. ex pul. cap. 3. in fine.* Deijciuntur enim à principio, tum quia humores ob magnam corruptelam inepti sunt ad nutritionem: tum maximè, quia in hac febre præcipuè afficitur cor, & sic spiritus vitales, quorum est officina, dissoluuntur, & à putridis ac malignis vaporibus infecti, ad omnes tum animales, tum naturales actiones redduntur infirmiores. Ergo cum nostra illa vulgaris febris, vt fatetur Marcellus *lib. suo de morbo pandemico fol. 44.* maligna, & in limine veræ pestis posita sit, rationi consonum erat, vt virium imbecillitatem, tum præsentem, tum multo magis imminentem reformidaret, & nullo eius morbi tempore sanguinem copiosè detraheret.

Opinio propria, & oppositarum rationum solutio.

CAP. XLIIII.

Sententia Autoris. Dicimus itaque, in febre verè pestilenti, vt indistinctè sanguinem copiosè euacuare, est valde perniciosum; sic & omnino à sanguine temperare, non est expediens. Cum distinctione igitur procedendum est. Cum enim varijs temporibus, quæ grassatæ sunt pestes, varios, & peculiares impetus sortitæ sint: ita curationes varias indicarunt. Quæ enim ad sanguinem analogiam habuerunt, (vt illa quam refert Oribasius ex Apollonio) sanguinis missione curatæ sunt. Quæ vero ad alios humores, à natura sanguinis separatos, vel summam corruptionem citra plenitudinem habuerũt, venæ sectionem omnino aduersam

Curatio non eadem febrium pestilentium.

expertæ

expertæ ſunt, contra vero purgationem potius ſalutarem. Nec defuerunt, quæ neutra prædictarum euacuationum iuuarentur, præcipuè hecticæ peſtilentes. Ita & graſſatæ ſunt aliæ, quæ ſolis antidotis tota ſubſtantia pugnantibus curabantur, & harum omnes non eiſdem: cum quædam ſola terra Armena, aliæ ſola vrina humana remedium inueniſſent, vt *9. & 11. ſimp.* docet Galenus. Quarum omniũ tum mores, tum curationes referre, præſentis conſilij non eſt: cum ab hiſtoriarum, & medicinæ ſcriptoribus vberrime proferantur. In noſtra igitur epidemia, vt quibuſdam ſanguinem mittere, non tamen copioſè, fuit vtile; ſic pluribus venam ſecare fuit valdè pernicioſum. Quicunque enim in illa conſtitutione ægrotarunt, duorum generum fuere: Alij ex inſolétium ciborum ob duriſſimam famem, prauis edulijs in pernicioſam illam febrem inciderunt, vt plebs vniuerſa, & pauperes ferè omnes: Alij vero, vt nobiliores, ac diuites, qui ciborum inſolentium prauitate non ægrotarunt, contagione in idem genus morbi pernicioſi inciderunt. Prioribus ſanguis nullo modo mitti debuit, ſumpta à morbi natura indicatione; poſterioribus mittendus quidem fuit, ſed non omnibus, neque copioſè: Horum enim hectica peſtilente correpus, vel putrida, habente analogiam ad alios humores, vel quibus ſanguis ſumma corruptione fuit infectus, & ad venenoſam qualitatem prauè mutatus, à ſanguinis euacuatione putauimus temperandum. Quibus autem vires valerent, & plethoræ ſigna apparerent, vel febris ſynocha concitaretur, ſanguinem inchoante morbo euacuauimus, antequam altè putreſceret, ex Galeni conſilio *9. meth. cap. 4.* Pleriſque ante morbi congreſſum plenitudinem auferre, corpus omni ingenio exſiccare, & deobſtruere conati ſumus, ex Galeni inſtituto *1. de diff. febrium cap. 4.* quod opportunè miſſo ſanguine fecimus. Quibus ſuppreſſa menſtrua, vel hæmorrhoides, apparatum contagioni recipiendę fecere pleniorem, ſanguinem pro virium tenore detraximus. Quibus natura ad cutim excernere humorem ex prędom. ſanguinis tentaſſet, ſi vel ægrè, vel imperfectè id molita eſſet, eius motum iuuimus, vel cucurbitulis ſcarificatis, quæ ex alto trahunt, ex Galeno *13. meth. cap. 19.* ſi plenum corpus nõ fuiſſet: Si vero adeſſet plenitudo, ſuris ſcarificatis, iuxta

Duo genera ægrotorum in peſte Siciliæ Anno 1592.

præce-

præceptum non modo Apollonij, & Oribasij, sed Galeni, *2. aphorismorum 17. & 4. de tuenda valet. cap 4.* Sic & fluentibus humoribus febrem facientibus, ad partem principem, & in ea dispositionem inflammationis, vel veram inflammationem concitantibus, (vt sæpe ad cerebrum tum coma, tum delirium, tum lethargum, tum phrenitidem induxere,) pro virium tenore adfluentium diuersionem, & firmatorum deriuationem, sanguinem misimus. Quod non modo inchoante morbo, sed vigente, quando oportuit, sumus exsecuti; vt quoque in summo morbi vigore fecit Galenus *1. acu. 33.* Omnibus tamen ijs, & horum similibus, minus copiosè, quam à morbi magnitudine indicaretur, euacuauimus; & multo potius vices phlebothomiæ multiplicauimus, quam quantitatem, ex Auicennæ instituto, timentes imminentem virium lapsum: quæ licet debiles non essent à prauorum ciborum corruptione, quos non comederant: contagione tamen, ab illis indita, qui prauorum ciborum esu ægrotarunt, si non omnino in eandem, in consimilem tamen humorum corruptionem, & qualitatem, morbo saltem increscente, incurrebant. Prioribus autem, qui ex prauis cibis vulgari illa febre effecti sunt; quibus summa humorum corruptio, profunda atque perniciosa in venis aderat, nec copiosè, nec parcè quidem sanguinem detraximus; iuxta Galeni verba *lib. 1. de cibis boni & mali succi c. 1.* & eiusdem præcepta, quæ *ex 4. de sanitate tuenda c. 4. & 11. meth. c. 14. & lib. aduersus Iulianum c. 7.* supra retulimus. Nec Marcelli rationes oppositum monstrant. Ad primam, quod venæ sectio tollat plenitudinem, concedo, & quibus illa aderat admisi, licet pro virium timore parcius, & multiplicatis potius vicibus, quam quantitate, ex Auicennæ præcepto. Exsiccare illam corpus non nego copiosam, sed ita in nostris ægris fuisse moliendam nō puto; tum quia pariter vires deiecisset; tum quia, si ita arguat Marcellus: Corpus indiget exsiccatione: ergo indicat venæ sectionem: est fallacia à genere ad speciē: quando & purgatio non minus corpus exsiccet. Dicit enim Auic. *lib. 4. fen. 1. tracta. 4. cap. 4. Summa curationis earum est exsiccatio, & illud cum phlebotomia, & solutione ventris: & oportet, vt incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia vincens fuerit sanguinea,*

Marcelli rationes refutantur.

1.

fiat

fiat phlebotomia: & si fuerint humores alij, euacuētur. Quod protulit Galenus *lib. de sangu. miss. c. 8. & primo aphorismorum comm. 23.* Infert tandem Marcellus, prohibere phlebotomiam, ne mala qualitas in tota massa diffusa vlterius vires suas exerceat. Id gratis dicit, nec probè dictum videtur. Si enim venenosa illa qualitas pauca sit, & nondum in totam humorum massam diffusa, agitatis sanguinis missione humoribus, toti commiscetur: vt ex pauco aloes in fundo vasis aqua pleni docet Fracastorius; quæ si agitetur, aloes amaritudine vehemētius inficitur. Si vero tota massa sit iam venenosa qualitate affecta, nec venæ sectio conuenit. Vires enim summo veneno debiles, reddit imbecilliores: spiritus aliquos bonos vnà cum sanguine educit, atque dissoluit: nec totum venenum, quantumuis copiosa fiat sanguinis missio, euacuat. Nunquam enim phlebotomia tantam haurit sanguinis copiam, quin maiorem non relinquat: quæ cum ad benignū sua venefica qualitate nō reducatur, vires omnino dissoluit, & naturam, quod malignum reliquum est, prosternit. Ideo Galenus *11. meth. c. 14.* dixit, putredinem sanguinis missione non curari; & in synocha sanguinem mittere, antequam sanguis putrescat, festinauit, *9. method. cap. 4.* Quod neque contulisset, si synocha pestilens futura esset, cum totum venenum illa euacuare minimè potuisset. Ad secundam dico, debere nos imitari naturam, rectè tamen operantem, ita vt complete perficientem sinamus, & nullo modo nouemus, irritemus, vel moueamus, iuxta præceptum Hippocratis *1. aphorismorum 20.* Imperfectè vero, rectè tamen agētem adiuuemus, & subministremus: contrariè autem & noxiè operantem prohibeamus, transferamus, & diuertamus, vt *1. aphorismorum comm. 21* monet Galenus. In constitutione, quam narrat Hippocrates *3. Epidemiorum*, contulit effluxio sanguinis copiosa: licet nec id in ea fuit vniuersaliter verum, vt patet *3. in tertium epidemiorum 35. & 42.* Ergo in omni constitutione, quæcunque illa fuerit, cuiusuis temporis vel analogiæ, sanguinem copiosè mittendum esse affirmare, fallacia est à secundum quid ad simpliciter: cum ipse Galenus in omnibus cōstitutionib. sanguinis missionem non laudet: neque nostra constitutio, à prauis cibis exorta, similis fuit illi, quā narrauit Hippocrates *3. Epidemiorum.*

2. Naturam quando imitari vel non debeamus.

3. *miorum*, à praua aëris mutatione productæ. Ad tertium, de exemplo Critonis, ex dictis patet responsio. Nam præterquam quod erat febris illa sporadica, & natura tentauit venenum deponere à parte principe ad crus; quod cum omnem superfluitatem capere non valuisset, residuum recurrens ad caput ascendit: quod, qua erat malignitate, furiosum delirium excitauit: quo casu erat in principio natura à plenitudine secta vena exoneranda, tum eius motus adiuuandus, quo vergebat noxios humores deponere: Dicet quod in nostra constitutione erant in cute exanthemata. Respondeo, quod, quibus erant cum plenitudine, & praua qualitate, & vires non contra indicasset, naturam exonerauimus, & venæ sectione, & purgatione, iuxta præceptum Galeni *secundo in 6. epidemiorum 30.* in Simone latas pustulas habente: non tamen sanguinem copiosè euacuauimus, tum ob caussam ante dictam, tum nè humores ad cutim emissi, vasorum inanitione regrederentur ad partes principes, vt docet Galenus *3. de naturalibus faculta. cap. 13. & commen. 68. secundi prognosticorum, & secundo in 1. Epidemiorum commen. 38.* quod aliàs à nobis fusè monstratum est. In quibus igitur erant symptomaticè excretiones ad cutim, vel omnino morbum non indicantes, (criticè enim per has excretiones nulli contigit morbi solutio:) naturæ depositionem iuuimus. In humoribus separatis à natura sanguinis, vt erant exanthemata nigra, liuida, violacea, fomentis, frictionibus, & huius generis reliquis extrahentibus ad cutim citra noxam: in humoribus vero sanguineis, vt erant rubra, ventosis, vel suris scarificatis.
4. Ad quartum, cum dicit, non differre pestilentes à putridis, nisi secundum magis & minus, assumptum esse falsum supra *cap. decimo* copiosè monstratum arbitror.
5. Ad quintum; In omni morbo magno secandam venam, dicit Hippocrates *quarto acutorum 19.* Magnus morbus fuit nostra febris maligna, & in limine pestilentis constituta: Respondeo primùm, propositionem Auctoris *libri 4. acutorum, text. 19.* indefinitè prolatam esse, non vniuersaliter. Quid enim, si hectica sit, vel ephemera pestilens? quid si materia turgens? Magni quidem sunt affectus, in his tamen venæ sectio-

sectionem Galenus non consulit. Tympaniam, & ascitem nemo per sanguinis missionem curare est ausus, inquit Galenus, *quarto acutorum, commentar. III.* Rursus in febre à summa corruptela humorum sanguinis euacuationem non laudat Galenus. *Nono* enim methodi *capite decimo*, inquit: *Porrò in ijs continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniam valida plerumque virtus est, citra periculum euacuatio adhibetur: in alijs verò morbis maximè est periculosa, veluti si fortè incidit in corruptela humorum.* Magnus ergo morbus magnum remedium per se indicat, & paruus paruum, vt extremis extrema conuenire dicit Hippocrates *primo aphorismo 6.* Sunt ergo magna remedia duo, sectio venæ, & purgans medicamentum, *ex Galeno 2. aphorismorum 29. quinto method. cap. decimoquinto.* Ergo si morbus magnus erit à plenitudine, vel vitio sanguinis, sectionem venæ requirit: Si vero à vitio aliorum humorum, non venæ sectionem, sed purgationem. Hoc totum declarauit Galenus *quarto method. cap. sexto* cum dicit: *Nunc illud docere volo, tum ipsam morbi, siue vim, siue magnitudinem appellare velis, pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ statuendam esse: tum vero Hippocratem hanc omnium, quos nouimus, primum indicationem adinuenisse.* Et *libro de curandi ratione per sanguinis missionem, capite septimo* inquit; *Sed illud prius videndum, quid sit quod in illis aceruetur: si quidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur: quibusdam bilis atræ aut pituitæ: alijs ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur. Hos ergo omnes vacuabis, sicuti etiam podagricos, & arthriticos, veris principio, exhibito videlicet aut medicamento purgante, aut sanguinis diminutione.* Et *sexto aphorismorum 47.* vbi dicit Hippocrates: *Quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.* Galenus *in commen* inquit: *Hos enim oportet vt anticipemus euacuare vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur: vel per purgationem, si ijs, quæ ex corruptione proueniunt.* Ergo non cuilibet morbo ma-

Sanguinis missionem reprobat Galenus in humorum corruptione.

Purgatio & venæ sectio duo magna remedia.

gno, ſed ſolum plenitudine, vel vitio ſanguinis, magno, ſanguis eſt euacuandus: cuiuſmodi noſter morbus non fuit. Ad extremum non modo magnus morbus requiritur, ſed virtus valida, *ex eodem 4 acutor. Nam*, inquit textus, *in acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi ætas florida, virtus valida, & morbus magnus.* In noſtra vero epidemia vel non erat valida virtus, vel ex eodem morbi impetu in vigore de facili corruebat, ob ſummam humorum corruptionem à prauis cibis.

Finis primi libri.



GERARDI COLVMBÆ DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI MESSANENSIS DISPVTATIONUM Medicarum

De Febris pestilentis cognitione, & curatione,

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO VNICA.

An in febre pestilenti Illustris Domini Vincentij Rao medicamenta vesicantia recte fuerint instituta?



Empus est vt examinemus, an medicamẽta vesicantia ex cantharidibus parata, rationali methodo fuerint apposita Illustri D. Vincẽtio Rao, febre pestilẽte & comate laboranti. Huius enim disputationis caussa, omnis hæc controuersia fuit suscepta. *Summa & capita huius libri.* Hanc disputationem diuidemus in quatuor partes: In prima referemus Marcelli Capræ rationes, quibus vesicantium vsum confirmat, & illas examinabimus. In secunda rationes proferemus, quæ illa explodenda fore conuincunt. In tertia, an Illust. D. ægroto contulerint, an obfuerint potius, demonstrabimus. In quarta demum parte referemus rationes Herculis Saxoniæ, quibus vniuersaliter in omni febre pestilenti phænigmata conuenire, vtraque sua disputatione contendit, & illas explicabimus.

* * *

PRIMA PARS DISPVTATIONIS.

Marcelli Capræ pro veſicatorijs ratio prima. CAP. I.

LOnga verborum ſerie contendit Marcellus libro ſuo de morbo pandemico *à folio 71. ad 92.* medicamenta veſicantia in ęgritudine Illuſt. Do. Vincentij Rao appoſitè fuiſſe inſtituta. Rationes & auctoritates, quas profert, ad duo capita referri poſſunt. Primam circumſcribit Marcellus *folio 77.* his verbis: *In hoc Illuſt. ægroto duo reperiebantur præter naturam affectus, qui nos medicos in curando tenebãt ſollicitos: vnus nempè, febris illa vulgaris, & pernicioſa: alter verò coma erat. Qui affectus cum cõplicati eſſent, cõplicatam debebant habere curãdi rationem. Quare ad quod magis vrgebat, altero non neglecto attendere oportuit.* Hoc ſuppoſito, explicat affectum, qui magis vrgebat, & ſubdit: *Nam tunc maximè vrget affectus, vbi ipſe magnus fuerit, vel ex eius ꝓpria eſſentia, & magnitudine; vel quia cacoethes, vel propter affectæ partis præſtantiam.* Mox & aliud ſupponit ſic: *Et quando iſti cõplicati affectus ita ſe habent, vt vnus ſanari nequeat, niſi prius alter curetur, illi eſt proſpiciendum, quo non curato, reliquus affectus curari non valet: & ſic ſi vnus affectus cauſſæ rationem obtineat, alter verò effectus; inſpicere oportet, num affectus tantæ ſit malignitatis, vt ſtatim necẽ inferre poſſit: & ita huic primo occurrere oportet, deinde ad cauſſam redire.* His ita ſuppoſitis enthymematice arguit ſic: *In hoc Illuſt. ægroto affectus magnus erat præter naturam coma, ſeu cataphora, quæ necem promittebãt; cauſſa verò erat febris maligna, cũ ex hac cauſſa originem duxiſſet coma, vltrà materialem cauſſam, quæ eſt cõcurſus vaporum ab infernis partibus ad cerebrum.* Hoc aſſumpto, ſic infert: *Vera igitur curandi ratio erat, quòd cum præceſſiſſent tot notabiles euacuationes, & per venæ ſectionẽ, & per purgationem, materiã malignam derelictam, ad remotiſſimas partes reuellere, & maxime ad cutim.* His verbis videtur Marcellus primam rationem finire. Nam ſequentibus verbis ab hac diuerſam aggreditur, vt referemus.

Euersio Prima Rationis Marcelli.
CAP. II.

HÆc si aliqua ratio est, (diu enim dubitaui an esset) Primo assumit falsum: Secundo infert ex non assumptis: Tertio sua conclusione destruit quod probare intendit: & Quarto nihil prorsus pro vesicatorijs concludit. De primo, magnum affectum vocat coma, dicitque necem promittere. Quod rectè dictum non est. Contrà siquidem febrem affectum omninò magnum, & mortem minantem dicere potius debebat. Hoc ita demonstro. Maior affectus est phrenitis, quam coma. Sed in phrenitide, & febre, succus febrem constituens necem affert, non phrenitis. Ergo in comate & febre complicatis, humor producens febrem, necem affert, non coma. Maior est euidens: nam ab humore pituitoso, cerebrum refrigerante & humectante fit coma, *ex Galen. 2 in 1. prorhet. 29. & 4 de præsag. expul. cap. 8.* à flaua vero bile phrenitis, *ex Gal. 3. de locis affect. cap. 5. & primo in 1. prorhet. commen. 1.* Sed flaua bilis longè vehementioris est actiuitatis, quam pituita. Ea enim, vt reliqui succi elementis cæteris, igni proportione respondet, *8. de decretis Hippocra. & Plat. cap. 4.* Rursus vt coma ex cerebri frigida intemperie fit, *2. in 1. prorhet. comment. 29.* sic phrenitis, præter calidam intemperiem in cerebro, & eius inuolucris phlegmonen excitat, *2. de caußis symp. ca. 7.* Minor est Gal. *3. in 3. Epidem. commen. 75.* vbi dicit: *Namque sic phreniticus initiò statim vomuit virulēta: quòd febribus adurentibus ferè est consequens. Itaq; vt veneno epoto lethali quidam postridie vel tertio die moriuntur, qualitate eius, non copia mortem afferente; & item hic quoque æger statim tertio die censendus est obijsse, à qualitate succorum virulentorum, non à phrenitide, peremptus: At phrenitis illum esse subsecuta, symptomatis vice.* Igitur in ægroto nostro, patiente coma, & febrem, quam malignam & perniciosam esse fatetur Marcellus *libro suo folio 77. & 79. & alibi sæpe,* manifestum est, potius febrem quā coma magnum morbum, necem inferre magis potentē dicere Marcellum debuisse. Præterea, si quæramus ab eo, cur necem egroto nostro coma promittebat? Responderet, quia cerebrum mēbrum princeps, & ad vitam apprimè necessarium offen-

Phrenitis maior affectus comate.

debat. Sed febris, & quia febris, & quia pestilens, cor & innatum vitæ calorem demoliebatur: Ergo febris comate maior affectus, & mortem inferre potentior fuit. Febris enim, quia febris est, plus cæteris sollicitos nos tenet, *ex Galen. 8. meth. c. 9.* Cor enim necessario offendit, vt idem dicit *1. de diff. feb. cap. 4.* Pestilens autem pemphigodes terribilis dicitur *primo in 6. Epidem. comm. 29.* magnaque ex parte lethalis: quoniam peculiari suæ veneficæ qualitatis antipathia à tota substantia cor offendit. Siue enim externa contagione per aerem inspiratum pestilens coinquinamentum ad cor perueniat, vt venenum enecat, *ex Gal. lib. de ther. ad Pis. c. 16.* siue internorum humorum corruptione venefica producatur, vbicunque locum in corpore habeat, vt pestilens sit, cor necessario offendit. Neque enim Fracastorij illa seminaria pestilẽtia esse possunt, quamquã acutissimæ, & vehementissimæ sint contagionis, vt *lib. 1.* insinuauimus, nisi morbum inducant magna ex parte lethalem. At vero lethalem magna ex parte morbum inferre apta non erunt, nisi suapte natura apta sint cor demoliri. Inquit enim Galenus *5. de locis affect. c. 1. Quum itaque tres sint principes partes, quibus gubernatur animal, semper mors ad immodicas sequitur cordis intemperantias: simul enim cum ipso omnes vitiantur partes.* Ita *2. acut. 47. Velocissimæ igitur,* inquit, *fiunt corde patiente mortes: deinde affecto cerebro: tardissimæ ab hepate prodeunt.* Quod confirmat *7. meth. cap. vltimo & 6. aphor. comm. 18.* Igitur quanto præstantius est cor, quam cerebrum, ad vitam animalis, quãtoque cordis affectus, cerebri affectibus (data essentiæ paritate) sunt grauiores: tanto febrem illam perniciosam in nostro ægroto comate maiorem, ac magis lethalem affectũ fuisse, Marcellus fateri debuisset. Preterea in nostro ægroto coma erat symptoma, febris erat morbus, vt fatetur esse perpetuo Galenus, vbicunque coma & febris complicantur, *vt 1. in 3. Epid. 7.* loquens de Hermocrate *2. in 3. Epid. 8 3. in 3. Epidemio. 34. lib. de comate 1. primi proret. 1. & alibi sæpe.* Quòd in nostro ægroto negare non potest Marcellus, qui libro suo *folio 70.* dixit: *Nono die eius ægritudinis adueniente symptomate quodam pessimo, somnifero comate.* Tunc sic arguo: A symptomate nulla sumitur indicatio curatiua per se, nisi ex accidenti, quando subierit naturam caussæ.

Partes principes quæ.

A symptomate nulla sumitur curationis indicatio.

2ao.

caussæ. Sed in nostro ægroto coma erat symptoma, & nullo modo subibat rationem caussæ. Ergo nulla à comate sumi debebat indicatio curatiua. Maior est Gale. *12 meth. cap. 1.* vbi inquit: *Vt enim in summa dicam, nullum symptoma, quæ symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat. Monstratum enim est ex morbis ipsis curationis indicationem præstari, veluti ex caussis ipsis prouidentiæ.* Et mox subdit: *Ex accidenti tamen symptomata quoque curandi rationem aliquando mutant, caussæ scilicet locum eo tempore habentia.* Minor patet ex Galen. *eodem cap.* cum subdit: *Eorum omnium, cum veluti caussæ: curationem immutant, vnum caput est: dico id vnum læsionem, siue ea ipsius virtutis sit, siuè affectionis.* Sed in nostro ægroto coma neutrum inferebat. Vires enim febris dissoluebat, non coma. Habebat æger languidas vires, inquit Marcellus lib. suo *folio 71.* Declarauit autem *folio 5.* quales erant pulsus, virium languorem denotantes in illa constitutione, cum dixit: *Pulsus rari, & parui fiebant.* Tales autem ex vehementia febris pestilentis fiunt, authore Gal. *3. de præsag. ex pul. cap. 3.* non à comate, vt patet ex Gale. *lib. de pul. ad tyrones, & Paulo lib. 3. cap. 9.* Neque vero coma febrem illam pestilentem adaugere poterat, adeò vt rationem caussæ subiret. Nam si spectemus comatis intemperiem, ea quidem frigida est; si verò febrem obseruemus, quam coma suapte natura posset inferre, vel omninò nullam inueniemus, cum coma inflammatio nō sit, vt est lethargus: vel si aliquam afferret, lentam eam esse necesse est; quando lethargus comate affectus grauior, in eodem frigidæ intēperiei ordine, febrem lentam, & nō vehementē inducat: vt docet Paulus *li. 3. c. eod.* cum dicit: *Lethargicos comitatur febris lenta, non impense acris, erodensque, cum alto sopore, quæ cataphora Græcis dicitur. Pulsus his magni, rarique sunt, & vndosi.* De secūdo & tertio, quæ proposuimus; Dicimus, quod etiā si quæ assumit Marcellus, vera essent, in suo argumento concludit ex non præmissis, & sua conclusione destruit, quod probare intēdit. Vtrumq; sic demōstro: Inquit: *In comate, & febre complicatis, coma erat affectus magnus, qui necem promittebat.* Ex hoc debebat inferre. Ergo à curatione comatis erat inchoandum. Sed infert: *Ergo vera curandi ratio erat, materiam malignam dereli-*

Lethargus grauior affectus comate.

2. & 3.

ctam, ad remotissimas partes reuellere, & maximè ad cutim. At hoc non est curare coma, sed febrem. Ergo concludit, quod in præmissis non accepit, & contra quàm intendit demonstrat: si quidem humor malignus, quem reuellendũ esse concludit, coma nõ constituebat, sed febrem. Quamquam enim pituita quoq; putresceret in nostro ægroto; succus tamen, qui excellenter putrescebat, & febrem illam perniciosam cõstituebat, erat flaua bilis, adustione in atrã versa. Hoc patet ex confessione Marcelli, qui *fol. 73. & 74.* ægrũ dicit fuisse habitus melancholici, & *fol. 71.* exanthemata illius subnigra. Cæterum etiamsi idem succus malignus febrem, & coma cõcitasset: manifestum est, quod febrem, vt morbum; coma vero vt morbi symptoma constituisset. Quod negare nequit Marcellus, qui febrem morbum, & coma morbi symptoma statuit in nostro ægroto *lib. suo fol. 70.* Ergo dum humorem malignum cõcludit esse reuellendũ, febrem potius curat, quam coma; cuius oppositum facere intendebat. Argumentum est Gale. qui *12. metho. c. 1.* inquit: *Quòd si vno remedio tum symptoma leniri, tum morbus curari queat, id vtiq; non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis caussa remedia sumere: sed omnis eiusmodi auxiliorum species planè morbi curatio est.* Rursus hæc materia maligna, quã reuellere ad remotissimas partes intendit, vel erat firmata in cerebro, vel ad illud confluebat. Quocunq; modo affirmet, vesicatoria excludit. Nã si firmata sit, reuulsionem non indicat, sed deriuationẽ, *ex Gal. 2. ad Glau. cap. 2.* Vesicantia verò cuti apposita, præsertim brachijs, spatulis, & tibijs, vt fuit in ægroto nostro, nullo modo deriuant à cerebro. Inquit enim Gal. *5. meth. c. 3. Deriuatio ad vicina loca fit, cum id, quod per palatum vacuatur, per nares deriuatur.* Et paulo post: *Tum per vicina deriuabis: vtiq; quæ per aluum fluunt, ea vel per vrinas, vel vterum transmittens: quæ vero per vrinas, ea vel per vterum, vel per sedem transferens: pari modo, quæ per vterum erumpunt, vel per vrinas, vel per aluum. Quæ verò in oculis, aure, vel palato fluxiones accidunt, eorum ad vicina deriuatio per nares est.* Quod confirmat *4. aphor. comm. 2.* & Hipp. *6. aphorismo 10.* inquit: *Caput dolenti, & circumdolenti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.* Idem confirmat *lib. de iudic. prope finem.* Si verò fluẽtes humores

Vesicantia cuti apposita non deriuãt à cerebro.

mores

humores ad caput reuellere intendit: hęc reuulsio vesicantibus ad cutem positis exequi non debet, sed purgatione per aluum. Quod probare tum ratione, tum auctoritate facile est. Primum inquit Galen. *5. meth. cap. 3. Reuulsio in iis, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur: sursum, in iis, quæ sunt infra. Præterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursus ad illa: similiter ex iis, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt: contraq; ab his ad illa.* Sed in nostro ægroto humor, qui concitabat coma, fluebat sursum à foco febris ad cerebrum: ergo seruata oppositionis restitudine, deorsum erat diuertendus. Galen. *4. meth. cap. 6.* inquit: *Quare nunc quoque, si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, vtique si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes.* Et *13. meth. c. 11. eadem ratione,* inquit, *in omnibus, quæ circa caput accidunt, medicamentum, quod aluum deiicit, ad contrarium auertit.* Hipp. *2. in 6. Epid. 9. Si sursum vergant elata, per inferiora soluere.* Et *libro de humoribus 1. tex. 13.* inquit: *Deriuatio in caput, in obliqua, qua maxime repit: Aut reuulsio in supernis deorsum, in infernis sursum.* Ita Galen. *lib. 2. de frac. com. 27.* Ita *2. in 6. Epid. m. 14. & lib. Oribasii de cucurbitulis deri. & reuul. ex Galen cap. 19. In summa,* dicit, *reuulsio facienda est: deorsum quidem, vbi succi ad superiora: sursum, vbi ad inferiora vergunt, &c.* Ita humorem turgentem, prius quam membrum aliquod princeps occupet, reuellit quidem Hippocrates nō ad cutem, neque vesicatoriis, sed eadem die purganti medicamento, per inferiora illum euacuat, *4 aphor. 10.* Adde his, quod humor ille malignus in nostro ægroto morbi erat caussa. Igitur quemadmodum vt fluens ad partem principem indicabat sui reuulsionem, ità vt morbi caussa sui abscissionem. Galenus *10. meth. cap. 1.* inquit: *Ita fit vt tres primi scopi sint, qui in propositis iam ob putredinem febribus, agendorum indicationem nobis præbeat, vna febris ipsa: altera effectrix eius caussa: tertia vis ipsa naturalis. Cæterum priores duo scopi submouendi sunt: tertius est tuendus* Et *4. meth. c. 4. Præcipitur enim,* inquit, *ab omnibus ferè antiquis medicis, quicunque ratione quadam, ac methodo de vlcerum curatione scripserūt, causas, quæ illa creant, abscindendas esse, æquè profecto, vt cæterorum omnium morborum. Non enim arbitror, in vlceribus manente adhuc caussa, quæ ea excitauit, hanc*

Humorem turgentem per inferiora purgat Hippocrates.

Scopi curandorum febrium.

A caussa efficiente inchoanda curatio.

prius tolli expedit, in aliis morbis non expedit: sed omnino in omnibus, in quibus effectrix caussa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est. Abscinditur autem caussa, cùm purgante medicamento noxius humor totus extra corpus excernitur, logè facilius, vberius, & commodius, quàm si ad cutem vesicantibus transferatur: vt infrà monstrabimus. Nec est, quod dicat Marcellus *fol. 79.* præcessisse in nostro ægroto notabiles euacuationes, & per venæ sectionem, & per purgationem. Nam post illam euacuationem factam purgante medicamento, nulla noua indicatio insurgebat in nostro ægroto, sed eadem omnino remanebat, quæ purgationem à principio indicauit. Non erat ergo medicis temerè transeundum ad nouam auxilij materiam instituendam. Hoc sic patet: Vel enim à principio morbi purgauerunt Medici noxios humores, vt minorem iam factam materiam facilius concoquere natura potuisset: quòd in illis morbis fit, in quibus speramus ægrũ conualiturum, *ex Gal. 2. aphor. com. 29.* Vel vt humorem malignum, vt dicunt, eradicarent, priusquam membrum aliquod princeps obsideret, vel vires deiceret, vt fit in turgente materia, *ex 4. aphor. 10.* Quodcunque affirmet, vesicantia prorsus excludit. Nam si primum dicat Marcellus; tunc minorata morbi caussa in principio, in morbi vigore erat à vesicatoriis temperandum, ne naturam diuerteret à coctione humorum. Quæ enim concoquenda sunt, quiete opus habẽt, *4. acuto. 44.* Nec est verum, Hippoc. quietis nomine solum à purganti medicamento vacationem significare, vt explicat Saxonia *lib. 3. de phœnigmis capitul. 9.* Contradicit enim Galen. qui *comm. 44.* referens caussam, cur medicamenta coctionem perturbent, inquit: *Præterquam quod neque valenter calfaciat, neque refrigeret, sed leniat: quibus maximè indigent, quæ coquuntur maturanturque. Quod si hæc coctioni humorum conferant, purgationes contrariæ existunt: nempè corpus vehemeter mouentes frangunt.* Sed vesicatoria corpus vehementissimè cùm mouent, tùm calfaciunt: Ergo vehementer, & frangunt, & coctionem impediunt. Hoc negare non potest Saxonia, qui *lib. 3. de phœnig. cap. 14.* inquit: *Vesicatorij autem hoc ipso tempore excitata facultas, est vehementissima attractio calore, dolore, euacuatione, & substantiæ similitudine.* Quam facul-

Vesicatoria naturam à coctione humorum diuertunt.

Concoquenda opus habent quiete.

Vesicatoriorum vires.

facultatem si habent in principio morbi apposita, cum de sui natura habeant, omni morbi tempore habebunt. Non minus calida sunt in quarto ordine: Ergo coctionem non iuuabunt, quam moderatè calida iuuare dixit Galen. *loco allegato, & 11. meth. cap. 9. & 14. simp. loquens de croco.* Ergo per caloris excessum offendent, distrahent, atque turbabunt humoris coctionem. Si secundum dicat, purgauisse nempè medicos, vt maleficam morbi caussam penitus abscinderent: tunc vel illa purgatione hoc indicatum absoluerunt, vel remansit adhuc tantus succus malignus, quãtus ad febrem perniciosam continendam sufficeret. Si primum; ergo nullum remanebat indicatum reuulsionis, ablato iam indicante. Abscissa .n. caussa febris, quod est reliquum, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam symmetrian reducendum est, *ex Gal. 11. meth. c 8. & lib. artis med. c. 89.* Si secundum; ergo eodem indicante adhuc persistente, eadem remanebat indicatio, idem auxilium, seu eadem materia indicationem absoluere apta requirebatur. Argumẽtum est Hipp. *2. aph. 52.* cum inquit: *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secũdum rationem, non est transeundũ ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.* Erat igitur locus epicrasis, vt refert Gale. *9. meth. c. 10.* non autem ab euacuatione per aluum, ad vesicantia medicamenta temerè transeundum. De quarto, etiam si Marcello omnia, quę voluntariè assumit, gratis cõdonaremus, nihil omnino pro vesicatoriis cõcludit. Nam etiãsi nullo modo per aluum excerni, sed omnino ad cutem deferri debuisset malignus humor; si inde inferat, ergo vesicantia erant cuti apponenda, fallaciam clare committit à simpliciter ad secundum quid. Plures .n. sunt auxiliorum materiæ, quib. reuellere ad cutim, atq; à profundo ad extimam corporis superficiem, noxios humores trahere Medicus potest: frictiones, inunctiones, fomenta calida, cucurbitulæ, surarum sacrificationes, animalia euiscerata, balnea, & reliqua, de quibus infra secundum Galenum copiosè loquemur. Vesicantia verò, vt nec horum omnium maximè trahunt; ita horum omniũ maximè nocere potius, quam conferre sunt apta, vt inferius ostendemus. Igitur vt ab indicatione ad indicatũ sit necessaria illatio; sic ab indicato ad vnã speciẽ auxilij illatio necessaria

Reuellendi modi plures.

Vesicantia potius nocere quam cõferre sunt apta.

non est. Idem enim non sunt indicatum, & indicati materia, *ex Galen. 9. meth. cap. 14. & 14. eiusdem. cap. 1.*

Marcelli Capræ pro vesicatoriis ratio secunda.
CAP. III.

SEcundam rationem adducit *fol. 79.* his verbis: Materiam malignam derelictam ad remotissimas partes reuellere conducebat, & maximè ad cutim, per quam natura tentauerat hanc materiam deponere, vt exanthemata indicabant: eo enim ducere medicum oportet, quò maximè natura vergit. Si natura igitur tentauit à parte principe deponere ad aliam minus principem, & à nobili ad ignobilem, talem naturæ motum Medicum iuuare oportet, præsertim quia ab interioribus ad exteriora verti bonum dicebat Hippo. *ex aphoris. 25.* de erysipelate loquens, & Galen. *in com.* ait: *Non solum erysipelata, sed aliud quodcunque, quod ex profundis, & aliis principalioribus partibus transfertur, bonum esse signum, & causam debemus existimare. Contra verò si ad interiora vertatur, malum.* Id idem dixit Hipp. *6. apo. 37.* vbi dicit: *Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum.* Et Galen. *in com.* ait: *Sermo verus est in promptu, siquidem ex intimioribus & principalioribus partibus, passiones confert ad cutim transferre.* Quod etiam docuit *3. apho. com. 20. & 4. de morb. acut. 30.* Et hoc erat, quod dicebat Gale. *2. de vsu partium cap. 5.* dum ait: *Inter nostri corporis partes cutem à natura ad suscipienda corporis excrementa aptissimam omnium, tanquam imbeciliorem fuisse constitutam.* Et *in 3. de temp. cap. 3.* ait: *Per cutem magna ex parte excrementa purgari, quæ in habitu corporis colliguntur.* Hæc Marcellus. Quæ omnia ad verbum transscribit ab Hercule Saxonia *lib. de vsu vesic. fol. 15.*

Non rectè sentire Alexandrum Massariam, & Antoninum Aluarez Hispanum, qui nullam excretionem à Natura factam, humoris crudi, nisi turgentis, putant vtilem.
CAP. IV.

Sententia Massariæ.

HAnc rationem Saxoniæ non recipit Alexander Massaria, qui libello suo de abusu vesic. contendit, nullam

Iam excretionem humoris ante coctionẽ esse, vel vtilem, vel imitandam. Verbis autem Hippocratis & Galeni, à Saxonia adductis, respondet: Excretiones ab intro ad extra bonas esse, si humorum coctorum sint: secus verò omnino fore perniciosas. Quam sententiam longa serie verborum Galeni libello eodem monstrare nititur. Ergo verò (licet Massaria pro mea sententia stare videtur) vni veritati magis addictus omnino veram eius sententiam non puto. Quamquam enim, dum natura operatur regulariter, ordinatè, & non coactè, in crisi perfecta, nunquam excernat noxium succum, nisi primum illum concoquat, mox separet, vt tandem euictum, & separatum euacuet: contingit tamen aliquando, naturam caussæ morbificæ prauitate, vel multitudine stimulatam, ordinem suum immutare, & non expectata concoquentis facultatis operatione, expultricem irritatam insurgere, succumq; stimulantem euacuare. Quæ excretio, quamquam crudi humoris sit, quandoque cum ægri vtilitate contingit. Ita crisis, quæ fit per sanguinis fluorem è naribus, à natura regulariter progrediente, post coctionem fit. Non enim est verum, vt putat Massar. in sanguine à natura euacuando criticè, coctionem non fore necessariam. Galenus enim *in libro de aliment. Hippocrat. comment. 3. folio 14. litera G.* inquit: *De sanguine autem nemo dubitat, quin interdum vtiliter, interdum secus, effluat, aut etiam excernatur. Etenim si ratione iudicationis, morbo concocto, & critico die fiat sanguinis profusio, si morbum per sanguinem iudicari opus erat, omnino ægrotum seruabit: Sin contrà, aut mortem, aut maximè certè periculum afferet.* Et *1. cris. cap. 8.* loquens de morbi principio vniuersali, quod cruditatis nota circumscribitur, inquit: *Neque igitur sudores, & vomitus, & alui excrementa, neque tumores post aures, neque profluuia sanguinis, si hoc tempore appareant, vnquam per crisim ægritudines finierunt.* Natura tamen aliquando stimulata sanguinis fluore, ante coctionem, ægritudinem cum vtilitate iudicauit. Ita *3. in 1. Epid. 24.* in Metone inquit Hippoc. *Deiectiones, vt erant die tertio: vrina subnigra, in qua subnigra pendebāt dispersa, non residebant: die quinto è dextra nare affatim profluxit merus, sudauit, iudicatus est.* Ante coctionem igitur excretio vtilis fuit & salutaris. Nec est audiendus Antonius

Natura ordo & actio in crisi perfecta.

Natura quandoque crudum humorem excernit, & cur.

Num vtilis excretio illa.

In sanguine critice euacuando coctio requiritur.

Fluor sanguinis ante coctionem.

nius Aluarez Medicus Hiſpanus, qui *lib. 1. ſuarum epiſt. de pulſ. 12.* dicit, habuiſſe Metonem aliqua ex parte ſigna coctionis antè iudicationem: quia Galenus inquit: *Etenim à ſolo ſanguinis profluuio & iudicatus, & ſeruatus fuit: quamuis non omnino tuta ſigna haberet.* Habuit igitur, ſi non omnino, aliqua ex parte. Et Hippocr. *in tex. Pendebant,* inquit, *ſubnigra diſperſa in ſubnigra vrina.* Erat ergo natura aliqualem coctionem aggreſſa. Non eſt, inquam, audiendus. Galenus enim dicit fuiſſe iudicatum, quamuis omninò non tuta ſigna habuiſſet, vt innueret, cum pernicioſis, ac ferè exitialibus ſignis ſeruatum fuiſſe. Nam non omninò tuta, & omnino non tuta ſenſum non variant: verba ſiquidem tranſpoſita non mutãt ſenſum. Hoc autem Galenum intellexiſſe, monſtrare facilè eſt. Statim enim ſubdit, reddens rationem, cur ſigna habuerit omnino non tuta: *Nam quarto die dicit habuiſſe eum vrinam ſubnigrã, cui annectit, in qua ſubnigra pendebant diſperſa, non reſidebant. Atque die quinto, tametſi ſanguinem erupiſſe dicat de naribus, & ſudaſſe, & ab his iudicatum, tamen poſtea, vrinæ, inquit, tenues, ſubnigræ.* Ecce igitur, quod toto iudicationis decurſu, & poſt iudicium crudi erant humores, & nullo modo à natura concocti, quod oſtendebant vrinæ tenues & nigræ, poſt ſanguinis eruptionem & ſudorem perſeuerantes. Cęterum vrinę tenues ſubnigræ cum ſubnigris cõtentis, non modo non ſunt ſigna alicuius coctionis imperfectæ, ſed cruditatem atq; perniciem ſignificant. Dicebat. n. Gal. *1 de criſ. c. 12.* loquens de vrinis: *Reliquæ verò omnes partim cruditatem, partim perniciem portendunt. Nam quæ alba eſt, & quæ tenuis, & quæ turbulenta, cruditatem: At quæ farinæ hordei craſſiori, aut ſquammis, aut furfuribus ſimilis eſt, quæ nigra, aut viridis, aut liuida eſt, aut oleaginea, aut fœtida, perniciem ſignificat.* & *eodem capit.* ſubdit: *De hiſce igitur omnib. admirabilis Hippocrates primus omnium, quos ſcimus, optimè docuit: & quod in viris quidem, & mulieribus nigræ vrinæ peſſimæ ſunt.* Rurſus Hippocrat. *2. prog. 32. Exitioſiores verò,* inquit, *vrinæ ſunt, ſi aquoſæ, fœtidæ, nigræ, craſſæque ſunt.* Exitioſa verò ſigna indicant mortem, inquit Galen. *2. eodem 34.* Ita Hippocrat. *eodem 2. 33* dicit: *Sunt autem in viris quidem & mulieribus vrinæ nigræ, in pueris verò aquoſæ, deterrimæ.* Præterea quæ pendebant in vrinis

Vrinarum indicia.

Vrinæ nigræ peſſimæ.

vrinis

vrinis cum prauis coloribus, coctionem imperfectam non denotabant: mala siquidem esse, & damnanda profert Hippocrat. *2. prognost. 36.* per illa verba: *Considerare vero oportet in vrinis, in quibus nubeculæ sunt, vtrum sursum fuerint, an deorsum: & idem colores, quos obtinent. Quæ enim deorsum feruntur cum coloribus, qui dicti sunt, bonæ commendandæque sunt. Quæ sursum cum coloribus, qui dicti sunt, malæ damnandæque sunt.* Nigrum verò colorem exitiosum, & deterrimum suprà declarauit. Et Galen. *3. in 1. epidem. 20.* de Herophonte dixit: *Hic præter expectationem superstes fuit, quem scilicet primis diebus merito moriturum suspicatus esses. Etenim nigra minxit.* Et *2. prognostic. 29.* cum dixit Hippocrat. nubeculam nigram in vrinis vitiosam, subdit: *E quib. vt nigras merito criminetur, perspicuum est: si quidem nigredo aut ob vehementem accidit frigiditatem (qua ratione sanguis quoque nigrescit congestus in globos, & quicquid extinguitur, in plenum frigescens,) aut propter exuperantem calorem. Etenim sanguis rursus trahit nigrorem, si crematur, quemadmodum alia omnia corpora.* In Metone igitur vrinæ subnigræ, quæ ad omnimodam nigredinem propè accedebant, vel caloris incendium denotabant, quod ad exustionem properaret: vel refrigerationem, quæ tenderet ad caloris exstinctionem. Sed à neutro horum vtilis aliqua coctio fieri poterat: quando, quo coquuntur maturanturque, neque valenter calfacientibus, neque refrigerantibus, sed moderato calore indigeant, vt *4. acutor. 44.* docet Galen. Accidit, quod Gale. *in comm.* Metonem cum humorum cruditate iudicatum clarè fatetur, cum inquit: *Quod vero in exitu totius narrationis scripsit: in hoc non erat recidiua, sed crebrò sanguis etiam post iudicium erupit, eò est dictum, quod absque vrinarum concoctione esset iudicatus.* Et tandem concludit: *At qui cruda adhuc erant, & inconcocta.* Et *libro eodem 30. in fine comm.* inquit: *Siquidem alium nuper ægrum sanguinis eruptione iudicabat: & mulierem, de qua nunc verba fecit, sudore: quamuis morbus vtriusque inconcoctus esset ipso ille die.* Rursus redeuntes ad institutam disputationem, dicimus, quòd mulierem hanc, de qua nuper Galen. loquutus est, trimestri fœtu grauidã, periculosa febre correptã, natura stimulata, cũ omnimoda humorũ cruditate

Nubeculæ vrinarum quid significent.

Vrinarum nigredo vnde.

per

per sudorem liberauit. Crudos fuisse succos monstrant vrinæ, quas Hipp. *3. in 1. epid. 30.* toto morbi decursu refert fuisse tenues, & non boni coloris. Nec est quod dicat Aluarez, in hac muliere humorem fuisse turgentem. Si enim hoc verum esset, manifestè errasset Hipp. qui in materia turgente naturæ iudicium expectasset ad diem vsq; quintum, cum humorum cruditate. Debuisset enim purgare primo die, iuxta suum præceptum *4. aph. 10.* vel non vltra secundum, vt *1. aph. com. 24.* dixit Gal. Quod autem non fecerit, ex eo patet. Abscissione siquidem caussæ morbus vel omnino cessasset, vel saltem mitior fuisset effectus: At à tertio ad quintum vsque perpetuò vehementior fuit: Verba Hippo. id clarè monstrant, quæ hæc sunt: *Die tertio dolor colli, & capitis secundum clauiculam, & mammam dexteram, statim lingua obmutuit. Dextera manus cum conuulsione elanguit, vt paraplecticis solet: prorsus delirabat: nocte cum molestia non dormiuit: aluus turbata est biliosis, meris, paucis. Quarto linguam vox defecit: eadem conuellebantur: dolores omnino perdurarunt: hypochondrium cum dolore est conuulsum: somnum non cœpit: prorsus delira erat: aluus turbata: vrinæ tenues, non boni coloris. Quinto acuta febris, hypochondrij dolor, planè delirauit: excrementa alicui biliosa: nocte sudauit: febre liberata est.* Rursus neque Gal. casum huius mulieris annotasset, quòd crudo morbo fuerit iudicata, si turgentem putasset. Turgẽtem enim si natura humorem crudum depulisset, mirum esse non debebat, nec memoria tenendum. Ad hæc neque casum Metonis, & hunc simul, vt memoria dignos, annotasset, vtpotè citra coctionem pariter iudicatos. Ergo si prior turgens non fuit, neque posterior. Adde his, quod casus Critonis magis fuit vehemẽs, quàm huius mulieris. Periit enim postridie, quàm ægrotare cœperat cum sæuissimis symptomatis, humore à pede ad cerebrum recurrente: turgens tamen non fuit. Non enim fuisset miratus Galenus, cur initio morbi venam non secuerit Hippocrates, si quidem mirari potius debuisset, cur turgentem humorem à principio non purgauerit, cum pręceptum eius sit, medicari in valdè acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talib. malum est. Ad extremum humor turgens crudus est, vt *ex 1. aphor. 24.* clarè colligitur, & à facultate membrorum expultri-

pultrice propellitur. Est enim de loco ad locum mobilis, nō quod ipse seipsum moueat: animal enim foret, nō succus: sed quia membrorum facultatem irritat, quæ irritata nullam coctionem intendit, sed expellit. Igitur cruditas per se non impedit, quin vtiliter expelli possit. Quod si id euenit, (nam quamquam humor sit crudus, tamen est tenuis, & admodum facilis, vt inquit Aluarez,) manifestum est, omnem humorem tenuem, (vt est præcipuè biliosus,) non modo qualitate, sed quantitate infestantem, excerni à natura stimulata antè coctionem vtiliter posse. Verū etiam & crassus humor, dum partem stimulat cum vitæ periculo, antè coctionem à natura propulsatur, & euacuatur vtiliter. Id manifestum est in epilepsia, & apoplexia, de quibus Galen. *2. de sympt. caus. cap. vltimo*, inquit: *Sicut apoplexiæ & epilepsiæ ex pituitosi succi multitudine, in ipsius cerebri ventriculis collecta, gigni videntur; eoque fit, vt subitanea sit earum tàm generatio, quàm discussio.* discutit ergo natura crudum humorem vtiliter. Nec est quod dicat Aluarez, pituitam illam facientem epilepticam conuulsionem, naturam commutare in statum, & per vias insensibiles expellere. Nam sic concedit, quod negare intendebat: quia siue per aluum, siue per sudorem, siue per insensibilem euacuationem fiat humoris eductio, crudi euacuatio est, nullo modo cocti, & vtilis quidem; quæ vel omnem morbum, vel saltē morbi insultum propulsat. In apoplexia vero genita à pituita cruda, de qua inquit Gal. frigidum ac crassum, aut omnino viscidum humorem esse caussam, *4. de locis affect. c. 2.* euidens est, creberrime naturam succum crudum à cerebro ad neruos vtiliter transmittere. Inquit enim Gal. ibidem: *At qui solutæ apoplexiæ creberrimè succedere solet vocata paraplegia.* Et Auic. *lib 3. fen. 1. tract. 5. ca. 8.* *Apoplexia*, inquit, *quandoque conuertitur in paralysin.* Imo ars in apoplexiæ insultu crudum succum purgare omni ingenio contendit, in quem vsum laudat Auicēnas. *libr. 3. fen. 2. c. 14.* pillulas de euphorbio. Igitur ad ægri salutem irritata natura consutum ordinem inuertit, & crudum succum stimulantem vtiliter expellit. Sic licet ad fœtus emissionem eius maturitatem, atque statum pariendi tempus, natura regulariter expectet: si tamen illo corrupto grauetur, coacta ante maturitatē excernit, vt *2. de caus. symptom.*

Humoris ante coctionem excretio vtiliter à natura fieri potest.

Humoris crudi in apoplexia trāsmissio.

Natura quandoquè ordinem immutat, & cur.

M docet

docet Galen. Sic ventriculus, mordente acrimonia succorum irritatus, ante legitimum tempus cibũ abiicit, & multitudine grauatus, vel multitudine & acrimonia malè affectus diarrhæis infestatur, vt *2. de natu. fac.* docet Galen. Sic lippientem alui profluuio corripi, bonum dicit Hipp. *6. aphor 17.* vbi Galen. *Non vt signum, hoc lippientibus bonum ab eo dictum est, sed vt caussa, quia humorum abundantia simul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Est autem & hoc apud ipsum exemplum vnum eorum, quæ sponte, & vtiliter euacuantur, quod medicum imitari oportet, & proculdubio sic etiam omnes faciunt, in lippitudinibus aluum & clysteribus, & purgationibus, subducentes.* Ideo Gal. acres humores fluentes ad oculos, pro ophthalmia concitanda, purganti medicamento reuellit; & euacuat *13. meth. c. vltimo.* Quòd si dicat Aluarez, pro reuulsione Hipp. concedere, in morborum principiis medicamentis esse expurgandum crassum humorem, & crudum: manifestum est ipsum fateri, cruditatem vtilem euacuationẽ in humore, etiam non turgente, non impedire. Medici enim intentio rei naturam non mutat. Siuè enim vt reuellat, siue vt euacuet, vel tandem ad deriuationẽ crudum succum è corpore purganti medicamento euacuet; manifestum est, crudum, & non turgentem, vtiliter euacuari ante coctionem. Quodsi crudos humores fluentes, (iis enim debetur reuulsio) natura non retinet: id ideo contingit. Nam vel trahutur, vel expelluntur, quicunq; fluunt, *ex Gal. 2. de diff. feb. c. vltimo.* Sed cur à natura membri expellentur, si crudi? Certè quia stimulãt. Natura enim sine cognitione operatur, & quod eam stimulat, propulsat. Igitur succi naturam stimulantes vtiliter expelluntur ẽt ante coctionem. Sic humorem crudum extremè citra coctionem glutinosum expurgat Hip. *1. acuto. 33* Ita nigro veratro, vel peplio purgat, vbi eas, quę sub septo transuerso sunt, partes dolor infestat, *2. acuto. 11.* quos crudos esse manifestum est. Sic albam pituitam, quæ leucoplegmaticam constituit, fortis alui fluxus euacuat, & morbum soluit. *7. apho. 29.* quam putare concoqui non posse ea actione, quæ humorem educendum euincit, à ratione est alienũ. Cruda igitur pituita euacuata, morbum soluit. Tandem, ars humores non turgentes sæpe vtiliter purgat citra coctionẽ, vt omninò putres. *4. de san. tuen. c. 3.* tenues,

Obiectio.

Reuulsio debetur humori fluenti.

Ars quando que humores crudos vtiliter purgat.

3. tenues, *lib. quos & quando purgare oportet*, perniciosos, *1. de diff. feb. cap. 4. 5. method. cap. 12.* acres, vt in alopecia, *1. de comp. med. secundum locos, cap. 2* in fluxione positos, antequam firmentur, *4. acut. 76.* Verum hæc vberius explicabuntur, quando de exhibitione purgantis medicamenti, in febre pestilenti, disputationem explicabimus.

Naturam quandoque excernere humores non malignos ante coctionem, & vtiliter: Nec omnem humoris maligni excretionem, vel depositionem ad partes ignobiles, ante coctionem esse perpetuo vtilem, vel imitandam. Aduersus Herculem Saxoniam.

Cap. V.

HErcules Saxonia lib. de vsu vesic. *fol. 13.* inquit; Humorum, qui continentur in corpore, triplicem esse excretionem, seu transmissionem: vnam omnino criticã; quæ fit natura omnino vincente. Aliam omnino symptomaticam, quæ fit natura omnino succumbente: tertiã vero inter hęc mediam, in qua duo genera humorum excernuntur, scilicet turgentium, & venenosorum, quos natura deponit, & excernit, quamuis ante coctionem, vtiliter. Hanc sententiã introduxit Victor Trincauellius: vera tamen omninò non est. Primo, quia natura sæpè excreuit, humores neque venenatos, vel malignos, neque turgentes, ante coctionem, & vtiliter. Secundo, quia non semel humores etiam venenatos natura deposuit à nobilibus ad ignobiles partes, non tamen vtiliter: quã transmissionem ars nõ debuit imitari, sed emendare. Vnde non semel dantur excretiones noxij humoris, etiam vtiles, quæ à medico non sunt per eandẽ viã iuuandæ, sed corrigendæ. Hæc facili negocio demonstrantur. Galenus *6. in 6. epid. vltimo* inquit: *Quin etiam atram bilem hæmorrhois plerumq; incipientẽ prohibuisse, & iam effectam remouisse, nec non & duratũ lienẽ sanauisse, conspecta est. At varices quoq; hos ipsos morbos, podagras præterea, & articularios dolores discutiunt.*

Triplex humorum excretio secundum Saxoniam.

Refutatio opinionis Saxoniæ.

Sed atra bilis incipiens crudus humor est, vt quicunq; humor morbi principium constituens, *ex Gal. 1. apho. 12. & 1. cris. c. 8.* Ita *4. aph. 25. Sanguis,* inquit, *quidem supra, qualiscunq; fuerit, malum: infra autem nigra deiecta, bonũ est.* Vbi Galen. *in com. Infra vero per hæmorrhoidas bonum, quando nigra euacuantur.* Ad hæc *6. aph. 11.* inquit Hippo. *Melancholicis, & renum vitio laborantibus hæmorrhoides superuenientes, bonum.* Accedit quod si mariscis laborantes neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, fortasse verò neque Lepris, fortasse neque aliis capiuntur, vt *3. in 6. epidem. com. 37.* subdit Gal. manifestum est, quod si his morbis incipiẽtibus mariscæ superueniant, illos vel omnino soluunt, vel iuuant: quandoquidem inquit Galen. *3. in 6. epide. com. 40. Omnia, quæ post aliqua orta liberant, eadẽ, si anteuertant, fieri prohibere* Rursus si auctore Saxonia *lib. 3. de phan. c. 23.* vtilis est sanguis ex vtero, vel hęmorroidibus erumpẽs, inchoante febre pestilenti, si ex eorum suppressione illa cõtingat: Ergo & in magnis atque benignis affectibus inchoantibus ab eorum suppressione productis, si profluãt, vtiles erunt: quoniam quicquid potest in maius, potest multo facilius & in minus. Non minus poterit natura deponere vtiliter crudos humores in fluxione positos, licet non malignos, sed sola quãtitate grauantes. Neque enim necessarium est, in fluxione positos malignos esse: secus. n. omnes passiones articæ, omnis morbus à fluxione constitutus foret malignus. Huc referri possunt omnes fluxiones ophthalmiam soluentes, & reliquæ alias passiones iuuantes, in quibus humores crudos, & non malignos natura vtiliter excernit, quas retulimus capite superiori aduersus Alex. Mass. Secundo nec est vniuersaliter verum, vt putat Saxonia, omnem excretionem, vel depositionem maligni humoris ad loca ignobiliora, vel etiam omnino extra corpus, esse perpetuò vtilem vel iuuandam. Nam *4. aphor. 22.* inquit Hipp. *morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra infra exierit, lethale.* Quod confirmat in coacis prænot. Et Gal. *3. de difficul. resp. & 1. cris. cap. 6.* Nec valet responsio Saxoniæ, qui *lib. 3. de phan. cap. 49.* dicit, Hippoc. hoc loco & alibi perpetuo damnare excretiones circa initia in morbis magnis & benignis: tales enim debent

Non omnis humoris maligni excretio, vel ad partes ignobiles depositio vtilis.

bent

bent coctionẽ expectare, vt recte excernantur. Non valet, inquam. Nam præterquam quod in magnis, & benignis aliquãdo vtiles fuisse excretiones in principio morborum monstratum est; Hipp *4. aph 22.* de malignis excretionib. loquitur, quas dicit morbo incipiente lethales. Malignas eas esse ex eo patet, quia lethales morbos denunciant. Accedit, quod in pestilenti constitutione, quam malignam esse nemo ambigit, excretiones in principio sæpe perniciosas atq; lethales retulit. Hipp. vt *4. aph, 21.* vbi inquit: *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siuè cũ febre, siuè sine febre, pessimæ.* vbi Gal. *in com. Plurimas verò huiuscemodi deiectiones in pestilenti hoc morbo lõgo conspeximus, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant.* Et mox: *Quare ab initio quidam nunquã ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam visceris læsionem ostendentes.* Et *lib. de atra bile cap. 4.* vbi dixit: *Simile quoque iis effecit longa hac prolixiore æstate pestilentia orta.* Subdit: *At, qui puram exactamque atram bilem deiecerunt, omnes periere.* Rursus, contingunt in febribus pestilentibus fluxus colliquatiui, vt docet Galen. *3. in 3. epidem. comm. 57.* In quibus præter carnem liquatam, & pinguedinem, humores quoque excellenter putridi febrem constituentes defluunt, *ex Galeno 8. de comp. medic. per loca, capit. 6. & 3. acut, comm. 12.* hanc tamen maligni humoris excretionem nemo vtilem putabit, nec ipse Saxonia, vt fatetur *lib. 3. de phan. capit. 20.* Præterea Galen. *lib. de cibis boni & mali succi capitul. 1.* inquit: *Aliis vero quibusdam carbunculi & phagedænæ specie quum apparuissent, cum febri, plurimos interfecere.* Hæc autem excretio venenosi humoris ad cutim fuit. Rursus *4. aph. 47.* Galen. inquit: *Malæ vocationes sunt prauarum signa dispositionum, prodeuntque sæpius eodem modo, quo in vlceribus putridis, à quibus ichores, hoc est liquores saniosi defluunt, nihil dispositioni conferentes.* Ad extremum, morbi, quos refert Hippocrat. *in epidem.* maligni sunt, in quibus multas enarrat excretiones prauorum humorum, tum ad loca ignobilia per abscessus, tum extra corpus per eorum affluxus: omnes tamen inutiles, atque perniciosas. *Tertio in 3. epidem. 61.* dicit Hippocrat. *Multumque etiam vitiosæ erant vrinæ redditæ. Neque enim inerat crassitudo, vel concoctio, vel purgatio, vel purgatio proba.* Et mox: *Plurimis vero*

Deiectiones nigræ pessimæ.

Fluxus colliquatiui in febribus pestilentibus.

colliquationem, turbationem dolores, diuturnitates, & nulla iudicia. Et *2. in 1. epid. 35. Cum autem,* inquit, *diu hæc durarent, multique essent dolores & mala colliquatio, his succedebant abscessus, aut maiores, quam vt ferri possent, aut minores, quam vt prodessent quicquam.* Abscessus vero a natura omnino victa & succūbente nō fiūt. Ad hęc *tex. 36.* inquit: *Quæ hos infestabant, hæc erant: dysenteriæ, tenesmi, lienteriæ, & fluxiones alui.* Et subdit *tex. 37. Quæ autem ex his violenta erant, statim opprimebant, vel rursus nihil proderant.* Et *tex. 38. Papulæ paruæ, quæ non essent excernendis morbis, statimque euanescebant: aut secundum aures tumores nigricantes, qui nihil denunciarent.* Et *2. in 1. epid. 26. & 27. Sudores multi. Has tantum aberat vt recrearent, vt etiam contra læderent.* Et *3. in 3. epid. 57.* inquit Gal. *Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex iis quæ per cluum vacuantur, omnes propè peremit.* Rursus neq; verū est, quod omnes excretiones ad externas partes etiam vtiles, sint ab arte iuuandę per eandem viam; sed sæpe sunt corrigendę, ac ad cōmodiorem transferendæ. *2. in 6. epid. 30.* in Simone latas pustulas habente, natura repurgauit altiores sedes corporis, ad cutim noxios humores demādans, & quidem vtiliter. Inquit tamen Gal. *in com. Nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, iis vtiles esse purgationes didicisti. Priusquam. n. ita redundantem materiam, aut venæ scissione, aut purgatione quis eduxerit, si fouens, hoc est calidis vtens, ipsam discutere conetur, plus attrahet, quàm per cutem euacuabit.* Aëtius *tetrabib. 2. sermone 1. c. 129.* ex Herodoto, pustulas seu vibices in cute apparentes, in febre maligna in principio curat, non trahēs ad cutim, ad quam natura deponebat excretionem illam malignam, sed vena secta sanguinem euacuans. Galen. in Critone *3. in 1. egid. com. 26.* non miratur, quid caussæ fuerit, cur Hipp. medicamentis ab alio trahentibus, cruri appositis, naturam à principibus partibus ad crus deponere molientem noxios humores non iuuerit per eādem viam, qua vergebat: sed inquit: *Vnde mireris, quid caussa fuerit, quo minus huic initio morbi secuerit venam.* Et Auicennas *lib. 4. fen. 1. tract 4. c. 10.* loquens de variolis in cute apparētibus, inquit, *Sed quando egrediuntur variolæ, non oportet tunc, vt administretur phlebotomia, nisi inueniatur vehementia*

Abscessus à natura victa non fiūt.

Non omnes excretiones ad partes externas arte iuuandæ per eandem viam.

Pustularū in febre maligna curatio secundum Aetium.

mentia repletionis, & dominium materiei: tunc enim phlebotometur quantitate, quæ alleuiet seu minoret, & conuenientius quidem, quod in hac administratur ægritudine, est phlebotomia. Igitur non est perpetuò verum, debere Medicum imitari naturam, eiusque motum iuuare, quamquam ad ignobiles partes demandantem noxios humores; sed sæpe expedit per viam magis idoneam eius excretionem transferre, & illam corrigere, ac emendare. Dicebat Galen. *1. aphorism. com. 20. Oportet itaque Medicum naturæ inclinationem animaduertere: & si quidem idonea fuerit, subministrare, & adiuuare: sin autem contrariè simul ac noxiè fiat, prohibere, transferre, atque diuertere oportet.*

Medicus nō semper imitari debet naturam.

Euersio secundæ rationis Marcelli

CAP. VI.

HIs in hunc modum explicatis corruit Marcelli ratio; apparet enim non esse verum vniuersaliter, vt assumit, Medicum eò ducere debere, quò natura vergit. Apparet non minus, nec debere ipsum omnem naturæ motum imitari, quamquam expellentis noxios humores vtiliter & ad cutim. Rursus neque verum est, absolute esse bonum, & ægro conferre, si natura erysipelata, ad humores omnes noxios ab internis ad exteriora demandet. Hoc enim cum distinctione est intelligendum: quandoquidem si illa naturę excretio fiat coctis humoribus, bona erit & vt signu, & vt caussa, in quem sensum loquutus est Hipp. & Galen. *6. aph. 25. & 37.* & aliis locis à Marcello adductis. Si vero ante coctionem illa fiat, mala erit, vt signum: (in quem sensum loquutus est Hippocrat. *4. aphorismor. 22.*) bona vero esse poterit vt caussa, si fiat tamen cum tolerantia & conferentia, & ad loca ignobilia, non quæcunque, sed conuenientia, tum membro principi læso exonerando, tum humori lædenti recipiendo. Non enim quodlibet membrum licet externum, & ignobile, cuilibet humori recipiendo, & expurgando, vel cuiuis membro principi exonerando, congruit, sed determinatum determinato, vt docet Galen. *7. method. capitu. vltimo, & 4. aporismor. comm. 2.* Igitur etiam si fiat excretio ab intro ad extra, & a parte principe ad ignobilem; fiat tamen sine conferentia,

Naturæ ductus vel motus non semper Medico sequendus.

Excretio naturæ ab internis ad exteriora quando prosit vel non.

Excretio mala & inutilis.

& ſine tollerantia, & ad partem non conuenientem membro affecto, vel humori noxio; erit depoſitio nec bona, nec vtilis, neque vt ſignum, neque vt cauſſa: ſed actio naturæ mala, & quandoq; etiam excretio lethalis: quam Medicus non debet imitari, ſed corrigere. Hoc licet ex antè dictis facile conſtare poſſit, euidens quoque eſt, Nam 4. *aph.23.* Hipp. inquit: *Quibuſcunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſiue vti ſanguis niger deſuper exierit, poſtridie moriuntur.* Gal. *in com.* ſubdit: *Propter morbi igitur magnitudinem cum contineri nequeant, effundũtur, & idcirco ſunt difficilia. Mortem autem non in poſterum afferunt, vt in aliis contingit morbis, propter virium imbecilitatem.* Et 4 *aphoriſ.* 47. cum inquit Hippocrat. *Si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale eſt.* Galen. *in com.* dicit: *Sæpius vero fieri rigorem febre non deficiente, & alioqui, bonum non eſt. In virium autem factus imbecillitate, pernicioſus. Nam ſi qua euacuatio rigorem ſubſequatur, quæ nullam facit intermiſſionem, propter vtrumque hominem diſſolui veriſimile eſt, & quia vis imbecillis ferre non poteſt rigoris agitationem, & quia ab euacuatione diſſoluitur. Si vero ſolus accidat rigor, nulla euacuatione ſubſequente, vtroque modo caſus caret bonitate. Nam, & vt mala cauſſa, vim corporis tanget, & malum ſignum erit:* Quod confirmat Galen. 4. *aphoriſm. commen. 2. 1. eiuſdem commen. 2. & 23. 2. in primum prorhet. commen. 58. lib. aduerſus Iulianum capitul. 1. & lib. de opt ſec. capit. 28.* In noſtro ægroto exanthemata in cute oſtendebant, inquit Marcellus, naturam demandare noxios ſuccos à partibus internis ad externas. Sed non erat depoſitio vtilis, nec quam Medicus ſequeretur, ſed per eandem viam iuuanda, ſed omnino corrigenda: Erat. n. excretio humoris crudi, ſine tollerantia, ſine conferentia, ad partem non conuenientem, tum ratione partis principis affectæ, quæ debebat exonerari: tum ratione cauſſæ morbum procreantis, quæ debebat abſcindi. Hæc omnia ſigillatim oſtendo. Primũ, humores crudi erant: Dum. n. dicit Marcellus *lib. ſuo folio 85. In noſtro ægroto natura per cutim, & partes externas tentauit tranſmittere malignam materiam, & bene: quoniam eramus in morbi vigore, & humores non crudi & indomiti erant:* contradicit

Rigor in febre, quando vtilis vel nõ.

ſibi

sibi ipsi, & rationi. Ipse enim *fol. 71. sui lib.* inquit, in illo ægroto exanthemata apparuisse, cum virium langore, & vrinis subiugalibus. Vrinæ subiugales humorum cruditatē ostendunt. Ita Gal. *1. crisium c. 12.* loquens de vrinis, inquit: *Nam, quæ alba est, & quæ tenuis, & quæ turbulenta, cruditatem significat.* Ita *5. in 6. epid. 15. Vrinæ,* ait, *iumentorum lotio similes eliquationem non indicant, vt Sabinus censebat. Nam in aphorismorum explanationibus id genus vrinas eorum esse explicauimus, in quibus humor, qui crudus vocatur, plurimus abundat.* Quod confirmat in Hermocrate, *1. in 3. epid. 5.* vbi dicit: *At enim cum crassas etiam fuisse indicet, nec subsedisse vrinas, planè sunt illæ ex conturbatis & turbidis, vt solet hic appellare, quæ semper turbationem crudam annunciant.* Idē docet *2. prog. com 30. & 3. in 1. epid. com. 21. ægroto. 4.* vbi sic asserit: *Rigor, acuta febris, sitis, biliosus affluxus, delirium, vigiliæ, biliosi sunt humoris indicia abundantis. At verò cōuulsiones, & palpitationes, & similis vrina iumentorum, crudi ea sunt, & crassi species.* Adde quod si in ægroto nostro humores crudi non fuissent, Marcellus non timuisset eius mortem. Dixit tamen *fol. 71. Signis omnibus perpensis, necem potius quàm salutem promittentibus.* Concoctiones enim arguunt celeritatem iudicij, securitatemque salubrē, vt cruda & incocta difficultatem, acrisias, dolores, recidiuam, & mortem, *ex Hipp. 2. in 1. epid 45. & 46.* Rursus erant, inquit Marcellus, in nostro ægroto vires languidæ, & vrinæ subiugales; ergo crudi erant humores morbum facientes. Si enim languidæ vires morbi caussam concoquerent, à minori inæqualitate proueniret actio cum victoria. Prӕterea si illa excretio vtilis fuisset, conferentiam, & tollerantiam indicasset, iuxta dogma Hipp. & Gal. *1. aph. 2. & 4. eiusdem 2.* At in nostro ægroto post exanthematum excretionem, & vires perseuerarunt languidæ, & morbus effectus fuit inclementior: fatetur hoc Marcellus, qui *lib. eodem fol. 70. & 71.* inquit: *Nona die eius ægritudinis aduentante pessimo symptomate quodam somnifero, coma à medicinæ scriptoribus nuncupatum, vltrà & exanthemata subnigra lenticularumq; formam gerentia, cum virium languore.* Et mox concludit: *Quare signis omnibus perpensis mortem potius quam salutem promittentibus collegium medicorum factum fuit, &c.* Ergo ex eius confessione post excretionem exanthe-

Vrina alba, tenuis, turbida, cruditatis indiciū

Biliosi humoris indicia.

Concoctio signum crisis bona.

matum per cutẽ mortis apparuerunt inditia potius, quàm ſalutis. Excretio igitur illa ſine conferentia fuit. Ergo propter morbi magnitudinem ſucci illi maligni, cum contineri non poſſent, effundebantur ob virium imbecillitatẽ; quo caſu mortem prædicebant Hipp. & Gal. *4. aph. 23.* vt ſupra retulimus. Ita & Philiſco accidit in ſudoris excretione, ex qua Gal. 3. die mortem imminere ex artis præceptis ſignificauit, *3. in 1. epidem. 18.* Præterea corruit Marcelli ratio. Nam cutis, quamquam pars extima, & ignobilis, non erat locus conueniens in ægroto noſtro, nec ad cerebrum exonerandum, nec ad craſſum humorem recipiendum & expurgandum. Quorum vtrumq; fieri oportebat, ſi vt Marcellus decreuit, a comate, vt maiori affectu, cerebrum obſidente, ac necem promittente fuiſſet auſpicanda curatio. Dixit enim *lib. ſuo fol. 79. In hoc igitur Illuſt. ægroto affectus magnus erat coma, ſeu cataphora, quæ necem promittebat.* Et rurſus *fol. 91. Dicimus quod affectus in capite iam erat pro maiori parte per eſſentiam factus, & ideo vehementioribus etiam à propinquiori parte egebamus reuulſionibus, ſeu vt rectius dicam, deriuatione, ſi non ab euacuatione. Hoc autem per veſicantia quilibet ſanæ mentis fieri debere putabit, &c.* Cæterum, vt illi indulgeam, quòd reuulſionem cum deriuatione confundit: quòd à propinquis reuellere, & à remotis partibus deriuare capitis affectum intendit: Certè cutis cerebro exonerando, deriuando, & ac euacuando, per eſſentiam affecto, idoneus locus non eſt: cum hæc per nares, aures, & os, & reliqua loca illi proxima fiant, non per cutem ſpatularum, & tibiarum. Hippo *6. aphor. 10.* inquit: *Caput dolenti, & circumdolenti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit.* Et Galen. *4 aphoriſmor. commen. 2.* inquit: *Aliquando medicina partis alicuius eſt euacuatiua, veluti quæcunque per palatum, & nares à capite abducunt ſuperfluitates.* Et *7. method. cap. vltimo. Cerebrum vero,* inquit, *per palatum, & nares, & aures, &c.* Neque valet reſponſio Saxoniæ *lib. 3. de phæn. cap 29.* quòd etſi ad deriuationem hæc membra peculiaria ſint conſtituta, vtile tamen eſt in febribus à cute euacuare, cum febris totius corporis ſit morbus. Nam hæc reſponſio, præterquam quod Marcellum non tuetur; qui cerebrum indè euacuare intendit; recta

Cerebri euacuatio per quæ loca fiat.

dit; recta quoque non est. In febre enim euacuamus non morbum, (morbus siquidem contrariæ qualitatis indicat contemperamentum,) sed caussam. At caussa, si per cutem excerni à quouis membro principe affecto commodè posset, frustra singulis singula membra natura constituisset pro eorum exoneratione. Ea vero in superfluis non abundat. Mox nec in qualibet febre totius corporis habitus est repletus humore extraneo, qui sui eductionem indicet: adeo vt omnis illius, caussa continens, & antecedés, per cutem perpetuò commodè educi possit. Rursus Gal. *11. meth. c. 8.* docet, febrem indicare non euacuationem, sed refrigerantia. Neque omnis humor faciens febrem, etiam si totum habitum corporis occuparet, posset per cutem excerni, nisi solum tenuis, vt ichor, & flaua bilis: neq; is omni febris tempore. Verba Gal. *lib. de const. art. c. 19.* hæc sunt: *Sed quæ totum corporis habitum occupauerint, quum tenuia fuerint, aut sudore, aut medicamentis, quæ cuti applicita vim exsiccandi habent. Quum vero biliosa, primum quidem purgatione egent, mox & euacuatione per cutim.* Humores verò crassi coma producentes (quales erant, qui vt dicit Marcellus *fol. 85.* ad cerebrum raptum habebant, in nostro ægroto) etiam si in toto corporis habitu continerentur, per cutim educi conuenienter non possent. Gal. *3. acuto. 62.* inquit: *Verum, si ardens febris ob salsam pituitam putrescentem oriatur, aduersissimum illis esse balneum scire oportet. Neque enim pituitosus humor, vt biliosus, per cutim euacuatur, proptèrea quod tum crassus, tum glutinosus sit.* Ita *in lib. Hipp. de alim. commen. 3. fol. 13. lit. H.* inquit: *Etenim natura semper dat operam, vt sanguinem expurget, quodque vitiosum est, ab eo secernat, & à partibus principibus modo in ventrem & intestina, modo in extimam superficiem detrudat. Sed ex ijs quæcunque tenuioris substantiæ sunt, ea cutim egrediuntur, partim per eam perspirationem, quæ sensum effugit: partim & sensu percipiuntur, vt sudores, quæ vero crassiora sunt, ea pertransire cutis densitatem non possunt: sed aut medicamentis, aut purgationibus, aut clysteribus, aut vomitibus euacuantur, &c.* Ita *libr. de atra bile capite quarto.* dicit: *Sed quæ eius generis tenuioris substantiæ sunt, ea partim per difflationem, quæ sensum refugit: partim sensibiliter, vt per*

Balneum in febre ardēte ex salsa pituita noxiū.

sudores, cutem perrumpunt. Quæ autem sua crassitudine per cutis densitatem traduci non possunt, sed intus coercentur detinenturque, &c. Quod confirmat *3. de caussis symp. c. 2. 4. acut 30. 8. meth. c. 4* & Auicennas *lib. 4. fen. 2. trac. 1. c. 68.* Humores igitur in nostro ęgroto cataphoram constituentes, quia crassi, frigidi, ac lenti, *ex Paulo lib. 3. c. 6.* neque à cerebro deriuari, neque euacuari per cutem à natura, vel ab arte potuissent. Neque verum est, quod subdit Marcellus, affirmare Galenum *lib. 2. de vsu part. c. 5.* cutem inter corporis nostri partes à Natura ad suscipienda corporis excrementa, aptissimam omnium, tanquam imbecilliorem fuisse constitutam. Non enim est omnium maximè imbecilla, nec omnium corporis extrementorum susceptiua: nec Galenus *2. de vsu partium c. 5.* id affirmauit. Decepit autem Marcellum Saxonia, qui *lib. suo de vsu vesic. fol. 11.* hunc Galeni locum adducit, à quo Marcellus, vt pleraque alia, trãscripsit. Est benè locus Galeni *li de morborum caussis c. 6.* vbi loquens de cute, inquit: *Ac præterea cum omnium aliarum partium extima sit collocata, non absque ratione totius corporis excipit excrementa.* Sed hoc loco, per totius corporis excrementa, non omnium corporis viscerum, nec omnis concoctionis, nec omnium morborum, quacunque corporis affecta parte consistant, intelligit excrementa; sed tertiæ concoctionis, & morbosas excretiones in habitu corporis existentes: secus ventriculi excrementa per cutem deducerentur, quæ per intestina expelluntur: thoracis, & pulmonis, quæ per asperam arteriam, & tussim demandantur: sic & iecinoris, quæ per vrinam, nõ per cutim excernuntur, vt *7. meth. c. vltimo* docet Gal. Vocat autem excrementa totius corporis, non quia ab omnibus corporis partibus demandentur, sed quia tertiæ concoctionis sint. Ea enim ideo totius corporis vocat, quia in habitu totius corporis continentur. Totum hoc expressit Gal. *li. artis medicinalis c 99. Promptius enim,* inquit, *euacuantur; per ventrem quidem, quæcunque in primis venis cõtinentur superfluitates: quæ autem in his, quæ in hepate sunt, per vrinæ meatus: at quæ in toto corpore, per sudorem: sicuti, quæ in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per vtrunque. Quæ verò sunt in spaciis thoracis laxioribus, per guttur simul cum tussi: quæ in renibus sunt, vel vesica per vrinam.* Quod confirmat *2. ad Glauc.*

Cutis non est omnium maximè imbecilla, nec omnium excrementorũ susceptiua.

Euacuatio excrementorum per quæ loca fiat.

Glauc.c.de cauſſis inflam.4.aphoriſ.com.2.7.meth.c.Vltimo 9. de Vſu part.c.1.& 3.de alim.fol.13.lit. F. & G. Neque verum eſt, de mente Galeni cutem eſſe omnium noſtri corporis partium maximè imbecillem, vt protulit Marcellus. Gal. enim *lib.de curandi rat.per ſang.miß.c.8.* adenis id omnium maximè tribuit, cum inquit: *Quapropter partes infirmiores omnium primæ excrementitiis morbis corripiuntur.* Et mox ſubdit: *Potiſſimumq; ad adenas excipiendis recrementis idoneas, tum ob ſubſtantiæ laxitatem, tum quia omnium partiũ minimè robuſtas habeant naturales Virtutes.* Et *13.meth. c.5.* inquit: *Nam tibi arbitror non excidit, Vtpotè ſæpe à nobis mõſtratum, ſuperuacanea, quæ à Valentioribus partibus ob redundantiam, Vel qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores procumbere: atque hinc accidere, Vt glandulæ, quas adenas Vocant, facile fluxiones recipiant, & maximè quæ rariores natura ſunt: quippè Valentius eſt arteriarum, & Venarum, & neruorum, & muſculorum robur: imbecillius autem, ac fortè prorſus nullum, corporum, quæ glandularum ſunt naturæ.* Adde, quod nec excrementa totius corporis per ſolam cutem repurgantur. Gal. *1.aph.com.21.* inquit: *Sunt autem euacuationibus conferentia loca, inteſtina, Venter, Veſica, Vterus, cutis Vniuerſa.* Et *lib.de præſag.ad Poſt.c.3.* dicit: *At quoniam multæ ſunt Viæ, quas natura expellendis excrementis aperuit: Nam & Vomitu reiecta, & Ventris profluuium, & Vrinæ multitudo, & ſudor plurimus, & ſanguis erumpens, & in multis cõſueta Venarum ani apertio, ſubitò ſæpe corpus inaniunt, &c.* Quod confirmat, *1.de tuenda Valet, c.12.* Nec eſt quod Marcellus *fol.89. ſui lib.* adducat meam apologiam pro D. Byſſo, in qua dixi, malignas illas excretiones ad cutim demandatas, fuiſſe omni ingenio extrahendas, nullo modo diuertendas, vel repercutiendas. Primum enim, cuiuſcunque conſtitutionis ſint excretiones ad cutem, malignæ repercutiendæ nullo modo ſunt: verum ſi ad cutim deferantur, quæ illis recipiendis, & excernendis apta non ſit, ſunt ad membrum æquè vel magis ignobile transferendæ vel diuertendæ. Erant in illa conſtitutione excretiones bilioſæ, ſacros ignes pernicioſos conſtituentes, tota ſubſtantia maleficæ, quas natura commode per cutim excernebat, cum ægrorum conferentia, & tollerantia. Cutis autem bilioſis humoribus, atque tenuibus, poſt vniuerſa-

Adenæ omnium corporis partiũ maximè imbecilles.

lem

Cutis biliosis & tenuibus humoribus excernẽdis aptissima

lem purgationem in habitu corporis residentibus, excernendis aptissima est. In hac vero constitutione crassiores erant humores, vt pituita somnos profundiores constituens, & flaua bilis per adustionem immodicam in atram conuersa, quibus excernendis cutis erat ineptissima: vnde per alui excretionem præsentis constitutionis morbi soluti sunt. Non valet ergo ex vna constitutione ad aliam arguere, sed oportet medicum morborum populariter grassantium impetum considerare, ac temporis conditionem dignoscere, vt *3. prog. 38.* monent Hippo. & Gal. Redeuntes igitur ad institutum, concludimus, cutim non esse omnium corporis nostri partium maximè imbecillam, nec ad omnia viscera exoneranda, vel ad omnes humores expurgandos idoneam: ad cerebri vero deriuationem, & crassi humoris eductionem omnino ineptam. Ad extremum, etiamsi Marcello gratis concedamus, in nostro ægroto ad vnam cutem debuisse tum naturam, tum artem noxios omnes humores demandare: non valet tamen Marcelli ratio, quòd id exsequi debuisset, vt inquit, cutim vrendo, vlcerando, calefaciendo suis vesicatorijs. Fallacia siquidem est à simpliciter ad secundum quid, siue à genere ad speciem. Erant enim plurima auxilia, quibus id exsequi commodissimè poterat, præter vesicantia. Inquit Gal *4. de sanit. tuenda cap. 6. Summæ vero eorum, quorum occasione foras feruntur, hæ sunt: exercitatio, & frictio, & balneum, & fomenta calida, & vnctio calfaciens, &c.* Quam vnctionem calfacientem parat egregie Aetius ex Herodoto *tetrab. 2. ser. 1. cap. 129.* Rursus Gale. *13. meth. cap. 19.* inquit: *Hac ratione & cucurbitula (strenuum planè auxilium) est inuenta, tum vt foras euocentur, quæ sunt in alto, &c.* Et *lib. de cucur. cap. 3.* dicit, *Cucurbitulam exhaurire materiam, dolores soluere, phlegmonem minuere, inflationes discutere, appetentiam cibi excitare, imbecillo ventriculo vires restituere, animi deliquia leuare, si quæ profundas partes fluxiones infestent, eas transferre & siccare, &c.* Quod confirmat Oribasius *lib. de cucur. cap. 17.* & Cornelius Celsus *libr. 2. cap. 11.* Ad hæc malleolorum scarificatio tum à profundis partibus reuellit, tum & totum corpus euacuat, magnum profectò auxilium, & venæ sectioni proximum, vt refert Gal. *2. aphor. 17. 4. de tuenda val. cap. 4. 13. method. cap. 5.*

Cutis expurgando cerebro inepta.

Humores noxij quibus auxilijs foras educantur.

Scarificatio malleolorũ vtilis.

cap.5. cuius auxilij probatissimum experimentum reliquerunt Apollonius & Antillus, præstantes Medici, vt refert Oribasius, qui *lib. 7. cap. 20.* testatur, huius scarificationis ope se tum multos, tum seipsum ab immani peste liberasse, quæ totam Asiam inuasit. Sũt & animalia euiscerata, quorum ope Medici venenum à profundo ad cutim extrahũt. *Sunt* inquit Gal. *13 meth. c. 6 & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur. Sunt autem & qui, ore suo virus extrahunt, ægræ particulæ admoti, ipsamq́ue labiis complexi. Huc sanè pertinet & cauterium, & medicamenta, quæ cauteriis similiter escharam efficiunt.* Quæ acria quidem sunt, non tamen venenosa, vt est euphorbium & cãtharis, sed alexipharmaca, vt calamintha, *ex Gal. 7. simp. c. 1.* vt sunt & omnia medicamenta, inter naturam nostram & venenum media: de quibus abundè loquutus est Gal. *5. simp. cap. 18.* Quæ omnia trahunt ab alto ad cutim venenum citra omnem noxam. Ergo nõ valet Marcelli illatio: Extrahendus est succus noxius à principalibus partibus, quo Natura vergit: ergo vesicantibus. Tanto magis quod vesicantia, quæ parauit ex venenis, non extrahunt venenũ ad cutim, & quam maximum inducunt ægroto nocumentum citra vllam vtilitatem, vt sequenti parte præsentis disputationis erit manifestum.

SECVNDA PARS DISPVTATIONIS.

Vesicantium nocumenta proponuntur.

CAP. VII.

VEsicantia medicamenta, quæ ex cantharidibus parauit Marcellus, venenum non extrahunt; & quamquam extraherent, longe maius ægro inferunt nocumentum. At inquit Hipp. *2. in 1. epidem. 50 Exerceto circa morbos duo, vt prosis, aut nequid noceas.* Offendunt autem. Nam
1 primo dolore vires debilitant. Secundo calore eorum *Nocumenta*
2 in quarto ordine febrem augent. Tertio eorum veneno *ex vsu vesi-*
3 venenum internum, pestilentẽ febrem constituens, nõ ex- *cantium.*
stinguunt modo, vel extrahũt, sed intendunt, ac geminãt.
4 Quarto, dũ crassiores humores à venis magnis, inter alas,

&in-

& inguina positis, ad cutim extrahunt, per venarum capillarium angustias deducunt, vias obstruunt, & putredinem, prohibita transpiratione, vehementiorem efficiunt. Hinc factum est, quod nullus clarissimorum Medicorum, neque Gal. neque Paulus, aut Aëtius, aut Celsus, aut Oribasius, quibus perspectissima fuit vesicantium facultas multis in morbis, nunquam in febre pestilẽti pro diuersione succorum fluentium ad cerebrum, vel pro deriuatione ab illo, cãtharides, vel euphorbium apponere ausi sunt. In nostro demum ægroto (præter communia hæc incommoda, quæ vesicantia ista inducunt) contra indicabat omnem diuersionem, vel deriuationem ad cutim, alui fluor, qui vtilis erat, quiq; tandem morbum iudicauit, vt omnibus in illa constitutione fere euenit. Non erat igitur natura vesicantibus in cute positis perturbanda. Marcellus hanc postremam rationem consulto dissimulat, & responsiones aliarum rationum, quas in collegio non attulit, vbi à Saxonia scriptas reperit, tanquam ab eo in consultatione adductas literarum monumentis consignauit. Saxonia vero præter has responsiones, quas lib. de vsu vesic. protulit, in editione sua 2. de phœn. (vt vir est multæ eruditionis) alias excogitauit & adduxit. Igitur ad vnam veritatem nostras rationes sigillatim referemus, & oppositas responsiones examinabimus.

Vesicantia damnantur, quia vires ægri summe debilitant. Cap. VIII.

Vires in graui febre cõseruandæ.

PRimum, vt in omni febre vis naturalis tueri debet, *ex præcepto Galen 10. meth. c. 1. & 11. eiusdem c. 3.* sic omniũ maximè in pestilenti. Dicebat enim Aëtius *tetrab. 2. serm. 1. c. 129. Fames peiorem materiam facit, & vires in his conscindit, quas integras seruare volumus in omnibus febribus, maximè pestilentibus.* Vulgaris febris, quæ Siciliam confecit (qua noster ægrotus laborauit, vt fatetur Marcellus *lib. suo fol. 70.*) maligna fuit, & in limine pestilentis constituta, perniciosa, vt fatetur *lib. eod. fol. 24. & 44.* cuius febris impetu vires de facili dissoluebantur. Inquit enim Marcellus *fol. 26.* illam referens: *Pulsus erant parui & rari.* Igitur in ægroto nostro vires languidæ erant, tum ob prædictæ febris vulgaris impetum, tùm ob propriam humorum corruptio-

ruptionem non vulgarem, vt eius febris praua symptomata demonstrabant. Inquit enim Marcellus *fol. 70. Nonæ die eius ægritudinis symptomate quodam pessimo somnifero, coma à medicinæ scriptoribus nuncupatum superuenit, vltra & exanthemata subnigra, lenticularumque formam gerentia, cum viriũ languore, & subiugalibus vrinis. Esto quod bis fuerit purgatus, &c.* Erant ergo ægroti vires languidæ. Tandem & eius ætas facilem virium exsolutionem insinuabat. Annum enim, vt inquit Marcellus *fol. 73.* agebat 17. eratque habitus melancholici. Sed inquit Gal. *3. aphor. 27. Incipiunt quidem pueri pubescere post annum 14.* Et subdit: *Neque enim est vnus omnium certissimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ: calidi enim citius, frigidi vero tardius pubescunt.* Et Celsus *lib. 2. cap. 10.* inquit: *Dum præcipuè in hoc ars sit, quæ non annos numeret, neque conceptionem solam videat, sed vires æstimet.* Ob ætatem igitur suam noster æger vires habebat, quæ exsolui facilè poterant, vt colligitur ex Hipp. & Gal. *1. aphor. 14.* Quanti vero sit facienda indicatio, quæ ab ætate desumitur, docet Gal. *9. meth. 17.* His ita suppositis, sic arguo: Vesicantia ex cantharidibus vires dissoluunt: perniciosus igitur est eorum vsus in febre pestilenti. Antecedens est clarum. Inducunt summos dolores: dolor autem vires dissoluit, *ex Galeno 12. meth. c. 1. 3. de comp. pharma. secundum locos, cap. 2. & 3. acut. 33.* Imo si grauior perseueret, interficit, *ex Auicenna lib. 1. fen. 4. cap. 30.* Sed Marcellus negat, vesicantibus suis dolorem fuisse illatum, *lib. suo fol. 76.* Verum ex suis & Galeni dictis facile conuincitur. Nam *lib. eod. fol. 82. & 83.* inquit: *Tanto magis, quia emplastrum ex cantharidibus, fermento, & aceto confectum, quando opportunè erat adhibitum: quia cum statim eschara inducebatur, &c.* Tunc sic arguo. Vesicantia statim ac applicabantur, escharam inducebant: ergo statim comburebant partem: ergo summos dolores inferebant. Consequentia est Galen. *5. simp. cap. 15.* vbi dicit: *Siquidem alterationes quæ subitæ confertæq; sunt, mutationes maximè sensibiles sunt.* Rursus inquit Gal. *5. method. c. 3. Escharam inducunt tum ignis ipse, tum quædam medicamina, quibus ignea vis inest.* Igneã igitur vim habentia haud dissimiles dolores inducunt ac ignis. Præterea dicere, partes viuas, ac sentientes, dum vruntur,

Vesicantia ex cantharidibus vires dissoluunt.

Escharam quæ inducant.

runtur, summè non dolere, est negare manifesta ad sensum. Inquit autem Gal. *6. in 6. epid. com. 5.* loquens de vstione, quod ea adhibetur, nonnunquam palam candentibus ferramentis, nonnunquam vstoriis medicaminibus ea nobis vrentibus. At vstoria medicamenta sunt, quæ escharam faciunt: talia vero, inquit Gal. *5. sympl. c. 15.* & vehementia sunt, & caustica, hoc est vrentia, & ignis instar corpus colliquant. Accedit quod Hipp. *7. apho. 13.* inquit: *Ab æstibus fortibus conuulsio, aut distentio, malum.* vbi Gal. *in com. Quidam igitur,* inquit, *pro æstibus febres intellexerunt: nonnulli vero aëris ambientis feruorem: alij pro cauterijs, & escharis: & omnes verum dicunt.* Sed sine ratione timerēt ab eschara conuulsionē, si summam intemperiē illa non induceret. Quæ igitur escharam cōfertim inducunt, vt intemperiē subito inferant necesse est. Hanc vero dolorem inferre summum oportet, si vera sunt, quæ dixit Gal. *lib. de inæquali intēp. c. 8.* præsertim si in cute fiat, quæ corpus est neruosum, *ex Gal. 16. de vsu par. c. 2. 1. de temp. c. 9. & 3. de loc. af. c. 7.* Preterea cantharides sunt calidæ in 4. ordine, corrosiuæ, exulcerantes, venenosæ, *ex Matth. in Dios. lib. 6. c. 1.* Igneas vocat Gal. *4. symp. c. 19. & 3. symp. c 23.* erodentes, exulcerantes, lethales. Vesicātia ergo ex eis parata, quæ statim ac apposita sunt, excoriāt, exulcerāt, vesicant, adurunt, non modo vehementē intemperiē inducunt, ad quā sequitur dolor, *ex Gal. 13. meth. c. 6.* sed cōbustione partis naturā immutāt, ex qua fit dolor vehemētissimus, vt docet Gal. *lib. de inæquali intemp. c. 8. 1. de cau. sym. c. 6 & lib. de const. art. c. 8* Tāto magis vesicatoria Marcelli, quæ præter cantharides receperūt euphorbium, vt in libris Pharmacopolę, fide digni, qui illa sedulo parauit, videri potest: Licet hoc taceat Marcellus. Euphorbium vero ex Mesue *li. symp. c. 20. est calidum siccum in 4. calidius, & subtilius omni eo, quod calefacit ex gummis, & est in eo virtus adustionē faciens, & rubificans, & penetratiuū est, & abstersiuum, & excoriatiuū, & est de facientibus operationē suam cū labore & angustia vehementi, reducente ad syncopē, & sudores frigidos.* Quod cōfirmat Gal. *6. symp. c. de euph.* Ad extremum, cantharides & euphorbiū sunt vehementioris actiuitatis nitro, & sinapi, vt patet ex Dios. *lib. 6. c. 1.* referente cantharidū vim, & ex verbis Mes. supra adductis de euphorbio, & ex his, quæ dixit de nitro & sinapi

Cantharidū vires.

Euphorbij vires.

Cātharides & Euphorbium vehementius agūt nitro & sinapi.

Dios.

Diosc. *lib. 5. c. 89. & li. 2. c. 139.* Gal. tamen de sinapi, & nitro *3. de loc aff c. 4.* inquit: *Quo medicamine nullum in arte medica violentius inuenies.* de his loquens, quæ in vsu erant: siquidem dolorem veluti cauterium excitat, sed diutius durat eius operatio. Dolores igitur summos Marcelli vesicãtia inducere omni ratione debebãt. Sed inquit Marcellus, æger dolorem vel leuem, vel omnino nullum a vesicantibus percepit. Ego vero statui Marcellum ex suismet dictis conuincere. Debebat non ignorare eruditissimus Medicus, quòd si dolorem æger non percepit, doloris tamen damnum ac virium debilitatem perpessus est, & nullam reuulsionis vtilitatem fuit consequutus. Primum sic demõstro: In ægroto nostro aderat comà: ergo mẽs ægrotabat. Quicumque enim dolentes aliqua parte corporis omnino dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat, *ex Hipp. 2. aph. 6.* Hoc tamen non tollit, quin doloris damnum æger non sustineat: secus phlegmones, erysipelata, vulnera, rupturæ, conuulsiones, collisiones, si fierent, dũ mens ægrotat, corporis continuitatem non soluerent, & intemperiem non inferrent: cuius oppositum monstrat Galenus, dum in cõ. illius aph. inquit: *Et hoc in loco igitur eodem modo dolores ipsas dispositiones nominauit, quæcumq; cum dolore fieri sunt natura apta, quemadmodum erysipelas, inflammationem, & vulnus, & collisionem, atque rupturam, & conuulsionem, & quodcumque tale aliquid, quod si adsit, & ab ægroto non sentiatur, mentem indicat ægrotare.* Debebat autem Marcellum non latere, dolorem esse tristem sensationem, vt dicit Gal. *lib. 1. de symp. caus. c. 6.* In qualibet vero sensatione duo esse: Vnum, receptionem obiecti; & ita sentire esse quoddam pati, & moueri, *ex Aristot. 3. de anima. 3. & 2. eiusdem tex. 51.* Alterum vero, cognitionem receptionis obiecti: & ita sentire esse agere, non pati. Hanc vero actionem esse sensus communis, in cerebro residentis, & secundum hanc animam esse caussam efficientem sensationis. Est enim anima omnium actionum efficiens caussa, *2. de anima 36.* vt explicat Auer. *2. de anim. comm. 149.* & Alex. & Simp. Si enim anima in sentiendo solum reciperet, se haberet vt materia, cuius est pati, non vt efficiens, cuius est agere. In qualibet ergo sensatione anima eodẽ tempore duo facit: & obiectum sensibile recipit, & illud cognoscit: licet obie-

Qui dolorem non sentiũt, ijs mens ægrotat.

Dolor, tristis sensatio.

Anima efficiens caussa actionum omnium.

Anima in sensatione duo agit.

cti receptio prioritate naturæ eius cognitionẽ antecedat. In dolore igitur, qui per sensum tactus præcipue fit, præcedit receptio obiecti improportionati, producentis intẽperiem, & continuum soluentis confertim. Et hanc receptionem vocat Gal. passionem *1. de symp. caussis cap. 6.* & ita sentire est pati; Vnde Gal. *16. de vsu part. cap. 2.* dixit: Naturam dedisse sensibus neruos molles, vt facilius paterentur. Succedit cognitio talis receptionis, & hæc est propria actio animæ cognoscentis, & formalis ratio doloris, ex Gal. *7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 6.* vbi inquit: *Neque tamen alteratio ipsa, vt quidam putant, sensus est, sed alterationis dignotio.* Quapropter *8. de vsu part. cap. 6.* vbi de visu loquutus est, inquit: *At nihil ex ipsius alteratione assequeremur, nisi imaginatio, ratiocinatio, & memoria eius alterationem sentiat.* Hinc est, quod dispositionem præter naturam, quam infert caussa dolorifica, si mens ægrotans non sentiat, non dolorem, sed laborem vocat Gale. *7. de placitis cap. 6.* cum subdit: *Hic enim laborantes nominat eos, qui aliqua in parte offensi sunt ita vehementer, vt nisi delirio premerentur, dolerent.* Igitur si noster ægrotus comate non laborauit, ab vstorijs medicamentis dolorem percepit: si laborauit, non percepit quidem, sed doloris damnum, & laborem, ab obiecto dolorifico illatum, perpessus est. Verum si vesicantia dolorem vel exiguum, vel omnino nullum intulêre, vt inquit, tunc vel debilissimam, vel omnino nullam reuulsionem præstiterunt. Frustra igitur fuerunt apposita. Si enim vesicantia ideo fuerunt instituta, vt ad cutim succos à profundo traherent, & à capite diuerterent illorum fluxum: vbi dolorem summum non intulerunt, attractionem nullo modo moliri potuerunt. Omnis enim attractio fit vel calore, vel dolore, vel ne detur vacuum, vel substantiæ similitudine, vt colligitur ex Gal. *2. de diff. feb. c. 11. & 3. de nat. facul. c. 14.* Sed substantiæ similitudine, ratione vacui, & calore in ægroto nostro trahere non poterant: vtilia igitur nullo modo erant vesicantia. Primò substantiæ similitudine à cerebro non trahunt cantharides: nullã enim habent cum cerebro sympathiam, quando ad vesicam, non ad cerebrum suapte natura deferantur, *ex Dioscoride lib. 9. c. 1.* nullam cum humore pituitoso, faciente coma, vel cum veneno ex humorum

Attractio vt fiat.

Cãtharidũ vsus in peste Siciliæ nullus fuit.

rum

rum corruptione producto: quando non venena deforis imposita, sed alexipharmaca esse debeant, quæ ab alto trahunt venenum ad cutim, *ex Gal. 5. simp. c. 18.* Secundo nec ratione vacui reuulsionem prestare poterant commodam vesicantia, quoniam quando tractio fit, ne detur vacuum, vt docet Gal. *3. de natu. facul. c. 14.* quod leuissimum tenuissimumque est, prius ei, quod vacuatur, succedit, quam id, quod grauius est, & crassius. Est porrò omniũ, quæ in corpore sunt, leuissimum tenuissimumq; spiritus: secũdo loco halitus: tertio gradu, qui planè absolutus attenuatusq; est, sanguis. Crassi ergo humores, ac lenti omnium tardissimè profluent. Morbo igitur magno celeritatem auxiliorum expetenti, & inducias non danti, lenta satis, obscura, & inconueniens reuulsio fuisset instituta. Rursus si arteriæ, vt ibidem subdit Gal. loquens de vacuo, neque ex intestinis, & ventre, quæ adeo crassum graueque in se nutrimentum habeant, possunt aliquid, de quo ratio vlla habenda sit, in se transferre: multo minus à cerebro, & venis penitioribus, ad cutim aliquid, de quo ratio habenda sit, transferre poterunt vesicantia. Tertio neque calore id efficere poterant, cum dicat Marcellus *fol. 86.* remotas partes ea non calefacere, sed tantum illas quas immediatè contangunt. Igitur vesicantia vel dolorem intulerunt, vel nullam attractionem effecerunt. Quod si dolore præstarunt reuulsionem, non nisi summo dolore eam molita sunt. Dicebat enim Gal. *2. de diff. feb. c 11. Vehementiores calores atque dolores attrahunt vehementius, minus autem debiliores.* Ergo omninò inutilia fuerunt remedia ad reuulsionem, si dolorem summum non intulerunt.

Saxoniæ responsio euertitur. CAP. IX.

HErcules Saxonia lib. de vsu vesic. *fol. 16.* inquit, Magnos dolores non ex vesicantium natura, sed magis ex medentium inertia sùbsequi solere. Sed hæc euasio recta non videtur. Primum, quouis modo subsequatur dolor, euenire illum in febre maligna ob vires, quas solet deijcere, timorosum est valdè, & summopere euitandum. Mox vesicantia suapte natura, non ex medentium errore, dolorem inferunt summum; aliter suapte natura diuersiuum auxilium non forent, vt monstratum est. Inquit enim Saxo- *Vesicantia dolorem inferunt summum.*

nia *lib.2.de phœn. c.32. Cum enim ad reuellendas vehementissimas fluxiones valentissimo etiam remedio sit opus: quod quidem & calore, & dolore potissimum agere ex Galeno iam satis docuimus.* Et *cap. 40.* inquit: *Quæ ex alto attrahere debent, tenuium quoque partium esse oportet, & sensum partis minimè corrumpere, imo vero eundem, & calore, & dolore excitare.* Ergo si vesicantia per se dolorem non inducunt, per se à profundo non attrahent: cum authore Sax. *3. de phœn. cap. 1.* vesicantia interiora viscera, & remotas partes minimè calefaciant. Præterea cucurbitulis scarificatis incidimus solam cutim simplicibus incisionibus paruis, nec omninò profundis. Vesicantia vero vesicas attollunt; epidermidem omnem euellunt: cutim lancinant: vlcera inducunt, quæ curatione egent, vt ad cicatricem perducantur, vt inquit Saxon. *3. de phœn. cap. 54.* per illa verba: *Sublato vesicatorio, si vesica multo ichore iam referta appareat, quamprimum tota epidermis euellenda est.* Et mox: *Satius est*, inquit, *butyro partem lancinatam contegere.* & paulo post: *Et si fortè*, dicit, *vlcus ante morbi perniciem occludi videatur, nouo vesicatorio, noua quoque exulceratio excitabitur.* Sed cucurbitulæ scarificatæ sunt valdè dolorosæ, per Saxoniam, qui *lib. 2. eodem cap. 32.* inquit: *Propterea experientia quotidiana docet, quam dolorosæ sint cucurbitulæ scarificatæ* Multo ergo vehementiores dolores de sui natura inducent vesicantia ex Saxoniæ principijs. Rursus eodem cap. loquens Sax. de cucurbitulis scarificatis, subdit: *Frictiones autem, ligaturæ, & balnea calida, quamuis cum prædictis in doloroso sensu minimè sint comparanda, attamen ipsa quoque si in vehementibus fluxionibus aliquam vtilitatem præstare debent, dolores non contemnendos afferunt, vt propterea ex calido balneo in vniuersis pedibus talis rubor excitetur, qualem ex vesicatorio in vnica particula fieri conspiciamus.* Igitur si balnea calida, dum rubefaciunt, vt vesicatoria, excitant dolores non contemnendos: vesicatoria non solum non contemnendos, sed vehementissimos excitabunt dolores, quæ non modo partem rubefaciunt, sed exulcerant, & adurunt. Præterea Saxonia *lib. 3. eodem cap. 54.* curans vlcera, quæ faciunt vesicantia, inquit: *Si vero magnus sit dolor, & symptomata non vrgeant, ipsi diachyloni butyrum addendum*

Ex alto trahĕtia tenuiū esse partium debent.

Vesicātium effectus.

Vesicātium vlcera vt curanda.

tendum esse consulo. Et mox subdit: *Morbo autem iam inclinante quam primum vel phœnicinio medicamento, vel de cerussa, vlcus, in maximo etiam dolore, camphorato, aut de minio, ad cicatricem erit producendum.* Ergo afferunt vesicantia summos dolores, etiam citra errorem medicorum. Accedit, quod fatetur Saxonia, fieri vesicantia ex materia venenosa *lib. 2. de phœn. cap. 40.* cum dicit: *Nullum inueniri potest medicamentum, quod simul & semel caliditate, & substantiæ similitudine attrahat, nisi vesicatorium.* & mox subdit: *Si enim quæ venenum ex profundis attrahunt, caliditate, & substantiæ similitudine agunt, hæc sanè nemo ignorat, venefica quoque esse debere. Substantiæ enim similitudo nulla est alia, quam veneni cum alio veneno.* Igitur si vesicantia dolorem inducunt, malignum, atque vehementissimum illum esse debere necesse est. Galenus enim *6. in 6. de morbis vulgaribus commen. 5.* inquit: *Exoriuntur enim dolores quidam maligni à maleficis seu medicamentis, quæ deleteria, id est mortifera vocant, seu feris venenum ictu fundentibus, siue succis aliquibus ex improbo victu, aut pestilenti cœlo in corpore genitis.* Rationabile vero non est, malignos esse dolores, & non vehementes, sed omnino leues, vel nullos: nisi similes illis sint, quos aspis excitat; vt de Cleopatra refert Gal. *lib. de ther. ad Pisonem capit. 8.* quod non contingit in casu nostro. Cantharides enim lethales sunt, *ex Gal. 3. symp. cap. 23. & 4. eiusdem c. 19.* & doloris inferunt vehementes, *ex Aëtio libr. 4. tetrab 4. cap. 49. & ex Auicen. libr. 4. sen. 6. tract. 2 cap. 3.* præcipuè quando vis earum non est antidotis refracta, sed venenis calidis effecta potentior, vt fuit in vesicatorijs Marcelli, in quibus euphorbium cantharidibus fuit permistum. Ad extremum, hæc vesicantia fiunt ex medicamentis suapte natura acribus, & adurentibus, & escharam inducentibus: igitur secluso omni medicorum errore, eorum vi propria summos dolores inducunt. Gal. *4. symp. cap. 19.* inquit: *Rursum ad acres orationem vertamus. Ac primum exactè ipsos calidos dicimus: deinde exedentes, vrentes, crustam molientes, ac denique etiam colliquantes, eosque omnes vel cuti impositos esse huiusmodi.* Declarans autem, quæ sint hæc acria, *eodem cap.* subdit: *Velut chalcitis, mysi sori: adhuc arsenicum, hydrargyros, lithargyros,*

Vesicãtia ex materia fiunt venenosa.

Cãtharides lethales.

Vis earum antidotis refringenda.

& alia innumera. Et paulo post: *Istis autem subtiliora sunt, tametsi & ipsa terrena sunt consistentia, calx, cantharis, lepus marinus.* Hæc Galenus.

Vesicantia damnantur, quia summo eorum calore febrem augent. CAP. X.

CAntharides in quarto ordine calidæ sunt. Quamquam enim Auic. *lib. 2. tract. 2. c. 201.* tertium ordinem caloris dicat illas excedere, expresse tamen Ardoynus *lib. 4. de Ven. c. 1.* naturam earum calidam & siccam in quarto gradu esse affirmat; quod asserit & Matthiolus *in li. 6. Dios. c. 1.* & ratio monstrat. Habent enim vim exedentem vrentemque, auctore Paulo *lib. 7. c. 3.* Plinio *li. 29. c. 4.* Talia autem quarti sunt ordinis calida, *ex Gal. 5. symp. c. 27.* Igitur appositæ cantharides brachijs, spatulis, & tibijs adolescenti, summo febris pestilentis incendio æstuanti, calore earum calorem febris efficient vehementiorem. At hoc aduersatur Galeno, qui *lib. 10. meth. cap. 10.* dicit: *Sed calor omni febri est inimicus: quando refrigerari, non calfieri febrium affectus postulat.* Quod confirmat *11. eiusdem cap. 9.*

Cantharides calidæ & siccæ in quarto gradu.

Prima Saxoniæ, & Marcelli responsio confutatur. CAP. XI.

REspondet Marcellus *lib. de morbo pandemico fol. 86.* (Non augeri febrem ex vesicantibus. Licet enim acria sint, nunquam arterias, & remotas partes calefaciunt, sed tantum illasmet, quibus infiguntur.) Quam responsionem protulit ad verbum Saxonia *lib. de Vsu Vesicant, fol. 16. & 3. de phœnigmis cap. 1.* Recta tamen non est. Cor enim per arterias, ad cutim vsque desinentes, (dum illæ dilatantur,) attrahit ad sese non modo aërem ambientem, verum etiam, quamquam ex accidenti, venena frigida atque crassarum partium, cuti apposita & comminuta. Ergo multo promptius attrahet venena tenuium partium, in quarto ordine calefacientia, cuti infixa. Antecedẽs est Gal. *3. symp. c. 18.* vbi inquit: *Sane ad opera eiusmodi non mediocriter confert innata corporibus nostris caliditas, quippè quæ intro ad sese attrahat, & comminuendo extenuet.*

Vesicãtium calor etiam ad interna pertingit.

Hinc est quod & quæ natura frigida sunt medicamenta, nẽpe quæ deleteria nuncupantur, vtputa cicuta, papauer, hyoscyami semen, mandragora, & quæ eius sunt generis, citius magisque in calidis naturis vim suam exercent. Et paulo post subdit: *Etenim cum sit impossibile, vt talia interficiant, nisi prius cor refrigerent, sane intrò comminuta extenuataque ingrediantur necesse est.* Et *lib 3. de nat. facul. ca. 14.* modum explicans, quo per cutim intrò trahantur, inquit: *Nihil miri tibi videbitur, arterias omnes, quæ ad cutim finiuntur, externum aërem, cum dilatantur, attrahere.* Et *2. aphor. com. 41.* refert illius mulieris historiam, quæ in balneo (lignorum vitiatorum fuliginem vnà cum aëre externo attrahens ad cor vsque,) frequenter & valide exsoluebatur. Ita qui lue Gallica laborant, si hydrargyrio cutim summam inungant, quamquam alexipharmacorum ope refracto, ad viscera tamen penetrantis veneni, & ad fauces vsque, symptomata patiuntur. Consequentia est euidens. Calidissima enim atque tenuium partium aptissima sunt, vt penetrent, & facilius ab arteriis, cum dilatãtur, attrahuntur. Subdit enim Galen. *3. simp. c. 18. Deducit porrò, vt caussa primaria, arteriarum attractio. Ostendimus enim ipsas inter dilatandum vicinum omne attrahere: vt secundaria verò & materialis, essentiæ tenuitas.* Ita calida prompte penetrare docet exemplo vini Galenus *5. aphor com. 5.* Ita calefacientia, quamquam mediocriter, tum in cute, tum in profundo corporis posita, aperire venarum oscula docet *2. in 6. epidem. com. 1.* Præterea, medicamenta venenosa, quæ abdita vi deleteria sunt, etiam in minima quãtitate, siuè per os assumantur, siuè cuti sint imposita totum corpus derepẽtè immutant, & sibi simili qualitate afficiunt. Ita Galen. *1. de sem. cap. 16.* inquit. *Validæ enim facultates sibi simili qualitate vniuersum corpus immutant. Qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellant, vbi in animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat.* Et de his, quæ cuti affiguntur *3. de locis affect. cap. 7.* authoritate Pelopis inquit: *Quis enim crederet vel à scorpionibus infixo aculeo, vel à phalangiorum paruorum ictibus totum corpus ingenti & insitata mutatione affici.* Sed cantharides, & euphorbium venena, sunt in quarto ordine calida, ex

Deleteriorũ frigidorũ vires an & quomodo ad cor deueniant.

Hydrargyri vires.

Calidissima facillimè penetrant.

Medicamẽtis deleteriis etiam appositis, totum corpus immutatur.

Gal.*6.simp.cap.de euphorb.*& ex Ardoyno loco superius adducto de cantharidibus Ergo si cuti imponantur, calore, ac natura venenosa totum corpus sibi simili qualitate immutabunt:cum venena calida non quantitate solum, sed toto genere lethalia sint,*ex Gal.3.simp.cap 19.* Quod non negat Saxon.*lib.2.de phœn. cap.10.* Accedit,quod ideo ponuntur in cute vesicantia, vt à cerebro, thorace, corde, & aliis internis partibus ad cutim fluentes succos diuertant, ex Saxonia *lib. 3. de phæn. cap. 2.* & Marcello *lib.suo fol.79.* Sed si calor vesicatorii ad profunda viscera non penetrabit,vt inde succum confluentem ad cutim deducat, illum nullo modo ad cutim attrahet. Igitur vel omnino inutilia erunt vesicantia, vel profunda corporis calefacient. Inquit enim Gal.*5. simp. cap.18.* deleterij veneni euacuationem à foris impositis medicamentis fieri,vel caliditate attractionem molientibus,vel totius substantiæ similitudine. Quæ verò substantiæ trahunt similitudine, calidiora;& quæ trahuntur, minus calida sint necesse est. Nam dicit Gal.*5.eodem cap.17. Cæterum calida vt sint id genus omnia necesse est. Nam inter ea,quæ essentiis similia sunt, quod calidius est, id potentius attrahit.* At loca penitiora, in quibus febris pestilentis focus resider, sunt vel cor ipsum,vt patet ex Gal.*3. de præsag. expul. cap.3.* vel corde compatiente, partes aliæ principes in profundo corporis positæ,ex Gal.*2.in 3.Epidem.com.1.* vbi inquit: *Febres à cerebro affecto malignæ sunt: febres à membranis, quæ cerebrum continent, affectis malignæ: febres à pulmone affecto malignæ: iam præ his etiam febres à corde affecto malignæ.* Igitur vesicantium calor partes illas pertingat, ac calefaciat oportet, vt ab illis succos attrahat: Secus attractio fieret sine contactu corporis, vel virtutis rei trahentis ad rem tractam. Quod principiis naturæ repugnat. Confirmatur;nam si vesicantia traherent ab alto ad cutim, sine eo, quod virtus eorum ad rem pertingat, quam trahunt: tunc ad omnem distantiam, & ab omni distantia trahentis,&rei tractæ,tractio fieret:quod falsum est.Motus enim est actus mouentis in mobili,*ex Aristo.3.physic.18.* Nec valet Saxoniæ confugium, qui *lib. suo de vsu vesica. fol 16.* ideo inquit,trahere vesicantia. Nam partem, cui apponuntur,exulcerant, & calore, ac dolore imbecillam reddunt,

Venena calida toto genere deleteria.

Vesicantia cur cuti apponantur.

Febris pestilens quibus in locis resideat.

Attractio non fit sine contactu.

dunt, & ad impuritates illas ſuſcipiẽdas promptam, & paratam efficiunt. Non, inquam, valet. Tunc enim adenę omnium partium corporis maximè ſuccos, & impuritates attrahent, cum omnium maximè ſint imbecilæ, ac ad recipiendum aptiſſimæ, *ex Gal. lib. 13 metho. c. 5.* Sed hoc repugnat Galeno, qui non à debilioribus attractionem fieri, ſed à validioribus affirmat. Inquit enim. *3. ſimp, cap. 35. Verum, quæ attrahunt, quodammodo eſſe efficaciora valentioraque:* Et mox *Verum fortior eſt quodãmodo, vt attrahere ſit aptior, quam attrahi.* Rurſus, ſi pars effecta debilior, & inde promptior vt recipiat, ideo diceretur attrahere, quia recipit: tunc à patiẽte proueniret actio, à recipiente attractio, & à materia efficiẽs, quæ repũgnant principiis naturæ. Adde quod apud Galenum valde differunt, quæ propellunt humores à ſe ipſis, & quæ attrahunt ad ſeſe ab iis, quæ neque propellunt, nec attrahunt, ſed in ipſiſmet tantum recipiunt profluẽtes; Expulſio enim & attractio à fortioribus fit: à debilioribus autem receptio, *ex Galen. 2. de diff. feb. cap. 11. & 13. meth. cap. 5.* Ad hæc dicuntur attrahere, non quæ recipiunt, vel quæ partem reddunt ad recipiendum idoneam: ſed quæcunque ſua abdita vi ſimilitudinis ſubſtantiæ, ſuoque calore, partiumque ſuarum tenuitate, rem ſibi ſimilem, & minus calidam trahunt. Verba Galen. *5. ſimp. cap. 17.* hæc ſunt: *Igitur attrahunt: repercutientes verò, quæ in altũ occurrentes ſibi ſuccos repellũt. At eſſentia illis quidẽ calida eſt, & tenuiũ partium: his vero frigida, & craſſarum. Attrahit enim perpetuò calidum, repellit verò frigidum. Verum quod cum caliditate coniunctam habet partium tenuitatem, trahit vehementius.* Ideo Auicẽnas *lib. 2. tract. 1. cap. 4.* inquit: *Sed rubificatiua eſt medicina, cuius proprietas eſt vt calefaciat membrum, cui obuiat fortiter: ita vt ad ipſum vehementi attractione ſanguinem attrahat.* Accedit quod Galenus modum explicat, quo medicamenta calida attrahunt, *libr. 7. ſimplic. capitul. de calamintha*, cum dicit: *Calamintha eſſentia eſt tenuium partium, & calida ſiccaque temperie, ex tertio quodammodo ordine vtraque qualitate.* Et mox ſubdit: *Quin etiam & coxendicibus eam quidam in ægritudinibus iſchiadicis, tanquam ſtrenuum remedium, illiniunt: trahit enim,* quæ

Adenæ omnium partium maximè imbeciles.

Attractio à validiorib. tantum fit.

Attrahere quæ dicantur.

Calida medicamenta quomodo attrahant.

quæ in profundo hærent, ad extimam superficiem, totumque adeo articulum excalfacit, cutemque nō obscure adurit. Præterea si vesicantia eatenus traherent succos ad cutim, quatenus illam reddunt debiliorem, & aptiorem ad recipiendum, nullam haberent facultatem, qua per se traherent. Rursus, & falso diceret Gal. trahere medicamenta foris imposita succos ab alto ob similitudinem substantiæ: hæc enim ad partem debiliorem efficiendam non conducit. Non minus aduersatur Galeno, qui medicamenti vim ad profundum penetrare apertè explicat *lib. artis med. cap. 95.* vbi dicit: *Quod si summæ quidem partes omni noxa caruerint, id vero, quod euacuari oportet, in penitioribus partibus fuerit, intendendus atque augendus dispergentis medicaminis calor, cum dubitandum sit; ne prius, quam profundas attigerit partes, interim vires amittat.* Nec possum non satis mirari, Saxoniam virum alioqui grauissimum, qui, vt hanc sententiam Galeni declinet, illam inuertit. Lib. enim 3. de phæn. *cap. 1.* dicit: *Quod si veretur Galenus, ne medicamētum, antequam partem cutis statim subiectam pertingat, vires amittat, certè nulla est ratio, cur verendum sit, huius vires ad profundas partes posse penetrare.* Oppositum apertissimè dicit Galenus. Non enim timet vires medicamenti deficere posse, antequam partes cuti subiectas pertingant, sed antequam ad partes profundiores perueniant. Hoc enim sonant verba Gal. cum dicit, partes penitiores. Imo se ipsum explicans subdit: *Cum dubitandum sit, ne priusquam profundas attigerit partes, &c.* At partes penitiores, & profundæ cuti subiectæ immediatè non sunt, sed in reconditis, atque abditis corporis viscerib. repositæ. Præterea si medicamentum attraheret ab alio, sine eo quod calor eius partes profundas penetraret; cur consulit Galenus, adaugendas esse, & roborandas medicamenti vires, ne antequā ad penitiora pertingant, dispergantur? Quod si neque necessarium est, neque possibile, vt calor ad profunda pertingat, consulit rem neque possibilem, neq; necessariam, dum dicit, intendendas esse eius vires, ne priusquam interiores partes attingant, dispergantur. Adde quod sine ratione dubitaret Gale. nè vires medicamenti deficerent, antequam profundas partes penetrarent, si absque illa penetratione à profundis extraherent. Manifestum

Medicamētorum penetrantium vires cur & quando augendæ.

festum igitur est, Galenum recte timere vires medicamẽti posse deficere. Supponit enim, oportere illas penetrare vt extrahant, recteque nouit, agens in agendo repati. Cõsulit ergo summa cum ratione roborandas illas esse, vt penetrent: requiritur enim necessariò illarum penetratio ad profundas partes, vt ab eis euacuent. Penetrat igitur ad profundum calor medicamenti in cute positi, vt ad cutim inde succos euacuet.

Secunda Saxoniæ euasio euertitur.
CAP. XII.

PRioris responsionis defectum timens Saxonia, nouam adducit *lib. 3. de phæn. cap. 1.* cum inquit: *Calida febrib. esse aduersa, quando vniuerso corpori extrinsecus admoueantur. Sed vnica tantum particula hoc medicamento calefacta calorem in totum diffundi non necessariò sequitur.* Et in hũc sensum, subdit, Galenum esse loquutum *10. meth. cap. 11.* & vbicumque dixit, contactum rei calidæ febrem producere, vel adaugere. Quod vesicatoriis non contingit, quę cutim vniuersam non contangunt. Sed hæc responsio vana est. Nam agentia naturalia non impedita necessario operantur. Constat venena non modo toto genere, sed caloris excessu deleteria, etiam in minima quantitate vni corporis parti apposita, corpus vniuersum derepente immutare, & sibi simili qualitate afficere, manifestum quoq; est, corpus humanum totum esse confluxibile, & conspirabile. Galen. *1. de nat. facul. c. 13.* inquit: *Ideoq; in corporibus nostris vnum non spiratum confluxumque esse, ac omnia inter se mutuo affici.* Quod confirmat Galen. *1. de vsu part. cap. 8.* & Hipp. *lib. de alimento*, vbi dicit: *Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia.* & paulo post: *principium magnũ ad extremam partem peruenit. Ex extrema parte ad magnũ principium peruenit.* Confirmat idem experimento: Hyemis enim tempore summas manus ad ignem calefacientes, sentiunt paulatim totum corpus calefieri. Ergo vna parte (vel potius sex partibus, à sex vesicatoriis eodẽ tempore calefactis, vt fuit in nostro ægroto) vehementi calore ferè incensa, corpus vniuersum de parte post partem totum incalescat oportet. Accedit, quod inter alios generationis modus, etiam eo modo generatur calor extraneus

Veneni deleterij pars minime corpus immutat.

Corpus humanum cõfluxibile & conspirabile.

Modus generationis ca-

loris extranei in corpore humano

neus in corpore nostro, quo & ignis accenditur in rebus, quæ comburuntur, *ex Gal. 1. de diff. feb. capitul. 3.* Ignis autem vt ab igne accendatur in ligno, non est necesse, totum lignum igne circũdari, sed satis est ligni partem igne contangi, vt inde de parte post partem totus accendatur. Inquit etiam Aristot. *2. de anima tex. 41.* quod ignis augmentum in infinitum est, quousque fuerit combustibile. Rursus Galen. *lib. de caussis morborum capitul. 2.* dicit: *Et quidem tertia caussa immoderati caloris ex his fit manifesta, quonam modo animalibus adueniat, & ex iis, quæ exustiones appellantur.* Fit autem exustio etiam de parte post partem. Subdit enim Galenus: *Diuturna quoque mora in locis Soli expositis, nudis quidem, totam aliquando cutem supremam calefaciunt: at iis qui vestibus operti sunt, solum caput, atque hæc exũstio appellatur.* Ad extremum bubones, inflammationes sunt in vna tantum corporis parte, & non semel in extrema. Inquit tamen Galen. *1. de diff. feb. capitul. 5. Quoniam quæ ex bubonibus fiunt, concalefaciunt semper partes continuas, donec vsque ad cor calor febrilis attingit.* Et *lib. de caussis morborum, capit. 2.* inquit: *Nam in bubonibus, & inflammationibus, & erysipelatis, atque omnibus adeo calidis morbis, semper contingens pars atque continua, ipsa quidem primum caliditatem assumit, deinceps verò & partem vicinam afficit, & hæc deinceps sibi proximam: atque ita vsque ad principium insiti caloris vbi peruenerit intemperies, totum celeriter corpus principij sentit affectum.*

Inflammationes partis alicuius etiam vicinas calefaciunt.

Cantharides igitur in quarto ordine calefacientes, exulcerantes, escharam inducentes, vel non minorem, vel fortè maiorem imprimunt calorem in parte, cui affiguntur, quam bubones a sanguinis inflammatione progeniti. Certè quidem minus adurentem calorem Sol imprimit in partem corporis, quam contangit suo lumine, & omnino minus lassitudo, quam vel bubo, vel cantharides. Inquit tamen Galen. *1. de diff. feb. capit. 5. Quo maximè modo in iis, qui Solis calore deuruntur, aut lassitudinem patiuntur, à primis partibus calefactis vsque ad vitale principium caliditas permeat.*

Hæc Gal.

Soluun-

Soluuntur rationes, quibus Saxonia contendit, calorem vesicantium à cute ad profunda viscera penetrare non posse.

CAP. XIII.

ADdit Saxonia rationes *3. eodem de phan. cap. 1.* quibus persuadere conatur, calorem à vesicantibus ad profunda viscera non demandari, quę sic commodius formari possunt: Prima: Si vesicantia calorem suum ad profundas partes demandarent, perpetuò traherentur ad interiora viscera, & nunquam traherent succos ad cutem. Euidens est ratio: quoniam partes profundæ sunt longè calidiores cutaneis. Quod autem calidius est, trahit ad sese; minus calidum trahitur: Secunda: Si calor vesicantium ad viscera penetraret, quæ suapte natura calida sunt; omnis tumor, rubor, & calor ex vesicatoriis fiet in profundo corporis, nullus in cute. Oppositum monstrat experimentum, & Galen. *2. de diff. feb. c. 11.* Tertia: Tunc admota in delirio non cōferrent, sed illud augerent, cerebri calorem augentia. Quarta: Tolleretur ab eis omnis facultas diuertendi, & deriuandi ab alto, si calor eorum ad interiora penetraret. His addi potest ratio eiusdem *lib. de vsu vesic. fol. 16.* Nam Gal. *5. meth. c. 14.* in catarrho salso capiti imponit ceratum ex thapsia. Cæterum si thapsiæ calor ad profundum penetraret, nonmodo in salsa destilatione capiti imposita non conferret, sed citissimè necem afferret, aucta enim cerebri caliditate, & siccitate, salsedinem augeri necesse esset. Sed hæ rationes haud multò negocio dissoluuntur. Prima in authorem potest retorqueri sic: Partes profundæ sunt longè calidiores cutaneis. Vesicantia à cute ad profundas partes calorem suum non demandant, ex sententia Saxoniæ. Igitur à profundis nunquam trahent succos ad cutem. Ergo omninò erunt inutilia; vel necessariò caloris copiam imprimient vesicantia, qua viscerum calorem internum euincant. Si enim attrahit quod calidius, *5. simplic. 17.* manifestum est vesicantia debere in viscera calorem imprimere potentiorem, vt indè succos ad cutem extrahant: secus à calore viscerū validiore attrahentur. Rursus, viscera calidiora sunt cute in febre pesti-

Rationes Saxoniæ, Calorem vesicantium ad interiora nō demandari.

1. 2. 3. 4. 5. (marginal numbering of the arguments)

Solutio rationum Saxoniæ. 1.

pestilenti, *ex Gal. 1. in 6. epid. 29. & Auic. lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* Igitur vesicantia vel inuenient calorem in visceribus proprio calore maiorem, & sic non trahent ad cutim, sed trahentur ad profunda: vel proprio calore calorem internum superabunt, & sic viscerum calori proprium addent, & febrem efficient vehemētiorem. Manifestum igitur est, suam rationem demonstrare, vesicantia, si calorem internum non vincant, esse inutilia, vt ab internis partib. trahant ad cutim: si vincant, augere illa febrem necessario, & maius inferre damnum, quam iuuamentum. Ad secundam dicimus, consequentiam non valere. Non enim obstat, posse vesicantia calefacere, & in tumorem eleuarē partes externas, quas immediatè contangunt, & inde partes internas successiuè inflammare, vsque ad partes principes. Si enim fieri caloris generationem docet Galen. *1. de diff. feb. & de caussis morb.* a cute, cui res calefaciens adhæret, de parte post partem ad profundas, & principales. Ad tertiam, nullibi Galenus in delirio hæc vesicātia apposuit, vt assumit Saxonia: imo *6. de tuen. Val. cap. 9.* medicos arguit, qui in capitis calida intemperie thapsiam, & sinapi apponebant, cum dicit: *Nec committere, vt, quod nonnulli medicorum faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex thapha & sinpai componitur, applicant, id ipsi quoque faciāt: quando, si ex calida intemperie caput male habet, talia medicamenta noceant.* Nec erat, quòd Galenus ad diuertendam flauam bilem vesicantibus, ad cutim trahentibus, vteretur, cum id commodius medicamento bilem per aluum expurgante fieret, vt in humoribus tenuibus faciendum iubet Galen. *lib. quos & quando purgare oportet.* Ad quartam, vesicantia omnino nunquam ab alto diuerterent, si calor eorum ad profundas partes non penetraret. Calore enim & substantiæ similitudine id fieri docet Gal. *5. simp. c. 18.* Vsum vero vesicantium omnibus morbis non interdicimus, præsertim si alexipharmocorū administione præparentur. Illis enim grauissimi medici multis in morbis vsi sunt, tum ad diuertendum, tum ad deriuandum, vt docet Galenus de calaminȝtha *7. simp. in ægritudinibus ischiadicis*, & de thapsia in catarrho salso, *5. meth. cap. 14.* In lethargo autem quanquam Galen. *13. meth. cap. 21.* cæteris præsidiis non conferentibus, si vitium diu perseuerer, sinapi com-

Marginalia: 2. — 3. — *Thapsia & sinapi vitāda in intemperie capitis calida.* — 4. — *Vesicantiū vsus non omnino reprobatur.*

pi com-

pi commendat, certe quidem, nec euphorbium, neq; thapsiam, neque cantharides admittit, vt eo loco videre est: illis enim palatum nunquam inungeret. Nec est, vt id ego pluribus monstrem, cum ipsemet Saxonia *lib. 3. de phan. c.* 1. dicat: *Vt propterea nec Oribasius, nec Paulus, aut Aëtius in acutis morbis (nisi ex frigida caussa producantur, & in temperamento frigidiore consistant,) sinapismi vsum probare audeant.* Ad vltimam, falsum est, thapsiam cuti capitis admotam, non penetrare ad profundum. Contradicit enim Galeno, qui *lib. 6. simp. cap de thapsia,* dicit: *Thapsia acrem habet ac valenter excalfacientem facultatem cum humiditate coniunctam. Quamobrem ex alto violenter extrahit, & quod extraxit, digerit.* Idem Auic. *lib 2. tracta. 2. capit. 700.* & Diosc. *lib. 4. cap. 151.* Galenus quoque *5. simp. c. 17.* thapsiam dicit ex alto vehementer extrahere. Quod si talem facultatem non haberet, frustra Galen. thapsiæ vsum commendasset, vt capiti apposita destillationem ab eo ad pulmonem prohiberet. Apposuit autem, vt pituitam salsam à cerebro ad cutem extraheret, & digereret, indeque eius fluxionem ad pulmonem interciperet. Rursus falsum est, quod interficeret ægrum, si thapsiæ caliditas ad profundum celebri penetraret. Quamquam enim summè cerebrum calefaceret, necem nō inferret: secus omne deliriū, omnisque phrenitis necessario enecarent. Accedit, quod in catarrho salsæ pituitæ, laborabat cerebrum intemperie frigida. Quamuis enim Galen. vocet aliquando calidum, saporem salsum, *vt 4 simpl. capitu. 21. & 5. eiusdem 26.* Non absolutè tamen proferri potest de pituita salsa, sed in relatione ad alias species pituitæ, præsertim ad vitream. Absolutè si quidem pituita salsa, pituita est, & in eius latitudine continetur, vt docet Galen. *2. de diff. feb. cap. 6. & 4. acut. 13.* Igitur cum omnis pituita differat à flaua bile per qualitatem frigidam humidam, talisque sit eius natura, ex *Galen. 2. de nat. fac. cap. penultimo, & 1. de nat. hum. 32. & 34.* impossibile est, pituitam salsam absolutè calidam esse: secus quod per se generi competit, per se speciei repugnaret, quod est impossibile. Ideo Galen. *2. de diff. feb. cap. 6.* pituitæ species nō esse æqualiter frigidas affirmat. Nam frigidissimam dicit vitream, minus frigidam dulcem, magis frigidam dulci acidam, quam vitrea minus frigidam

5.

Thapsiæ vires.

Thapsia cur vsus sit Galenus.

Pituitæ species non æque omnes frigidæ.

dicit. Salſam autem pituitam, aut propter putredinem, aut propter ſalſę ſeroſæ humiditatis miſtionem factam, minimè aliarum frigidam eſſe veriſimile eſt. Cum tamen pituita ſit, frigida humida neceſſariò eſt. Inquit enim ibidem Galen, *Quicunque enim frigidus atque humidus humor exiſtit, ad pituitæ appellationem reducitur, ſi Hippocratē omneſque non modo priſcos medicos, ſed alios etiam Græcos in nominibus imitari velimus*. Et mox: *Quicunque humor naturæ frigidus atque humidus fuerit, hūc nos pituitam appellamus*. Neque nouum eſt, apud grauiſſimos authores rem minus frigidam vocari calidam, in comparatione ad magis frigidam, & è conuerſo. Ita *3. de præſag ex pul. capit. 4.* dicit, aliquando in febre peſtilenti corpus cordis eſſe frigidum. Loquitur tamen in homine non viuente modo, ſed febricitante. Et ita aqua tepida, & vrina in balneo calido, apparent frigida, in algoribus vero calida, *3. ſimp c. 11.* Ad extremum, ſi in illo catarrho ſalſo cerebrum laboraſſet intemperie calida, Galen. thapſiam non laudaſſet, qui illam in capitis calida intemperie manifeſtè vituperauit, vt ex 6. de tuend. val. *capitu. 9.* monſtratum eſt: quod confirmat *13. meth. cap. 22.* Tandem neque poterat thapſia augere ſalſedinem cerebum exſiccando: laborabat enim cerebrum oppoſita intemperie frigida: oppoſitis autem medicamentis æqualibus in gradu membrum ad ſymmetriam ſeu contemperamentum reducitur, in quo ſanitas conſiſtit, vt ſæpius docuit Galenus.

Tertia Saxoniæ reſponſio confutatur.

Cap. IV.

Poſtremo Saxon. addit vltimam reſponſionem, *lib. 3. de phæn. cap. 2.* quòd etſi ex veſicantibus inducatur corpori caliditas, ſi non ſpreta, ſaltem poſthabita ipſius indicationis à febre deſumpta natura, ſtudebimus quamprimum venenum in cutem ducere, virtutem vitalem ſubleuare, & à partibus principibus fluentes humores reuellere. Quaſi dicat, quod licet febrem augeant, admitti tamen illa debent, ob longe maius iuuamentum quod præſtant. Sed neque hac reſponſione ſe ipſum tuetur. Nam febrem adaugent, & nullum afferunt iuuamentum. Nullum vene-

num

num sua vesicantia extrahere possunt; sed potius veneno interno, venenum eorum superaddunt: igitur & virtutem vitalem magis offendunt, & à principibus membris non reuellũt. Hoc ego monstrabo primum ex ipsiusmet Saxoniæ confessione, mox ex doctrina Galeni. Saxonia *lib. 2. de phan. cap. 40.* habet hæc verba: *Duplici autem ratione caustica, & in quarto gradu calida, minime ad veneni extractionem (si temperatoribus non moderentur) sunt accommodata. Prima ratio est; quia quæ ex alto attrahere debent, tenuium quoque partium esse oportet, & sensum partis minime corrumpere, imo vero eundem & calore, & dolore excitare. Escharotica vero crassarum sunt partium, & carnem ipsam statim exurũt.* Examinare, an hæc Saxoniæ dicta vera sint, præsentis loci non est Non enim est verum calida, quę tenuium partium non sunt, non attrahere: quamquam non attrahant vehementer, vt quæ tenuium sunt partium. Inquit enim Galen. *5. simp. cap. 17. Attrahit enim perpetuò calidum, verum quod cum caliditate coniunctam habet partium tenuitatem, trahit vehementius.* Nec est verum, escharam inducentia non attrahere: quando ea calorem, & dolorem inducant, & vrant non secus ac ignis, *ex Gal 5. simp. cap. 15.* Sed redeũtes ad institutum, arguamus ex concessis à Saxon. aduersus ipsum, sic: Escharam inducentia non trahunt ab alto. Sed vesicantia Sax. & Marcelli, ex euphorbio & cantharidibus parata, & vigorata nitro, vel flammula, vel thapsia, vel sinapi, escharam inducũt. Igitur nullo modo trahunt à profundo ad cutim. Euidens est argumentum. Illa enim sunt calida in quarto ordine, vt supra monstratum est. Escharam igitur inducunt. Consequentia est Gal *5. simp. c. 27.* vbi inquit: *At quæ iam vehementer quidem, non tamen summè, tertij: quæ autem adeo excalfacere possunt, vt escharam moliantur & vrant, quarti.* Et mox subdit: *Cæterum nullum inuenire est, quod quarto ordine desiccet, quod non etiam vrat: nam quod summè desiccat, omninò id etiam deurit.* His accedit, quod medicamenta quibus ipsi parant vesicantia, acria sunt omnia, vt de euphorbio, cantharidibus, & reliquis testantur grauissimi Medici. De acribus autem Galen. ita inquit *4. simplic. 19. Rursum ad acres orationem vertamus. Ac primum exactè ipsos calidos dicimus, deinde exedentes, vrentes,*

Vesicania venenum suum addũt veneno interno.

Calida, etiam non tenuium partium attrahunt.

Summè exsiccantia etiam exurunt.

crustam molientes, ac denique etiam colliquentes: eosque omnes vel cuti impositos esse huiusmodi. Rursus Galen. *6. sim. de euphorbio,* inquit: *Euphorbium caustica siue vrentis facultatis est, & tenuium partium aliis succis similiter.* Et Auicēnas *lib. 2. cap. 232.* de eodem inquit, habere virtutem subtilem adustiuam. Siue igitur tenuium sint, siuè crassarum partium, quæcunque calida & sicca in quarto ordine sunt, vrunt & escharam faciunt. Quare si ex sententia Saxoniæ, quæcunque adurunt, ab alto non trahunt; nullum ex suis vesicatoriis, quæ ex quarto ordine calidis & siccis parata sunt, (vt est videre *3. de phan. capitul. 55.*) trahet succos ab alto ad cutem. Conuincitur Saxon. & ex aliis suis dictis. *Lib* enim *eodem 2. cap. 40.* subdit: *Secunda, & fortior ratio ex Galen. etiam 5. simp. desumitur, qui scribit, venenata hæc medicamenta venenum attrahentia, non debere esse deletoria, sed media inter corpus & medicamentum.* Modo sic arguo: Cantharides, & omnia alia, quæ in vesicatoriis apponuntur, sunt verè venena, nullo modo media inter corporis nostri naturam, & venenum. Ergo nullo modo venenum extrahent à profundo. Minorem argumenti negare non potest Saxon. *lib. eodem 2. ca. 40.* dicit: *Nullum inueniri, aut excogitari potest medicamentum, quod simul & semel caliditate, & substantiæ similitudine attrahat, nisi vesicatorium.* Igitur, si in veneni suspicione hoc prætermiserimus, cætera omnia, aut nihil omninò præstabunt, aut saltem inefficaciora existent. Antecedens autem non multo labore comprobari poterit. Si enim, quæ venenum ex profundis attrahunt, caliditate, & substantiæ similitudine agunt, hæc sanè, nemo ignorat, venefica quoque esse debere. Substantiæ enim similitudo nulla est alia, quàm veneni cum alio veneno. Hæc ad verbum Saxonia. Ad extremum inquit: *Sufficere similitudinem veneni trahentis cum eo, quod trahi debet in genere.* Ex his ita argumentor: Quæ extrahunt, debent esse similia saltem in genere cum veneno extrahendo: ergo quæ extrahere debent nullo modo continentur sub genere veneni. Quod enim est alicui simile in genere, ab illo genere diuersum est: differunt enim idem & simile, inquit Galen. *3. simp. cap. 25.* Conuincitur non minus Saxonia ratione desumpta ex Galeni doctrina. Nam humores, qui febrē pestilentem constituunt, venenum

Calida & sicca in quarto ordine omnia vrunt & sunt escharotica.

Humores febrem pestil. constituentes venenosi.

venenum sunt, vt lib. priore satis monstratum arbitror, & probat Sax. *2. de phanig. cap. 3. 6. 16. & 17.* & Marcellus *lib. suo fol. 18.* Ergo eorum vesicantia cuti apposita, nullo modo venenum extrahent à profundo, cantharides enim, ex quibus constant, venenum sunt. Quæ vero debent venenum extrahere cuti apposita, venena esse non debent, sed alexiteria, inter naturam nostram, & venenum media. Venenum enim cuti appositum ad profunda viscera penetraret, venenum internum si quod inueniret, fortè nõ extingueret, sed adaugeret, & ad cor ipsum, ad quod permeat propria antipathia, secumtraheret atque deduceret, & ita summè natiuum calorem dissiparet, vitæque esset deleterium, corporique aduersissimum. Totum hoc protulit Galen. *5. simp. c. 18.* cuius verba hæc sunt: *Omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur, nempè caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine.* Explicans autem, an hæc medicamẽta & ipsa quoque venena esse possint, subdit: *Sed & hic quoad fieri poterit, maximè medium natura alexiterium sit oportet, corporis videlicet quod curatur, & veneni lædentis. Nam si aduersissimũ foret corpori, in ipsum ageret potius, ceu deleterium, haud euacuaret venennm.* Hæc Galen.

Venenum extrahentia alexiteria esse debent.

Veneni appositi nocumenta.

Damnantur vesicantia. Nam veneficam qualitatem in corpus ægrotantis immittunt, venenum ad cutem non extrahunt, sed veneno venenum adiungunt.

Cap. XV.

Qvod autem venenum sit materia vesicantium, monstrare facile est. Cantharides enim, ex quibus fiunt, venenum sunt, *ex Disc. lib. 6 c. 1.* Ad hæc Auicennas *libr. 4. fen. 6. tract. 2. c. 2.* diuidens venena, & enumerans animalia, quæ interficiunt suis corporibus, inquit: *Prima quidem diuisio ex diuisionibus est stellio, & cantharides, & ranæ, & lepus marinus, & lacertus.* Et *cap. 3. Cantharides,* ait, *sunt acuta, mordicatiua, perniciosa, &c.* Galenus *lib. 3. simp. cap. 23.* loquens de deleteriis atque lethalibus, cantharidum affert exemplum, & *4. sim. c. 19.* post chalcitim, arsenicum, hy-

Vesicantiũ materia ex veneno constat.

dragyrum, cantharides, & leporem marinum adiungit: & *lib. de ther. ad Pisonem c. 10.* inquit: *Cantharis si sola exhibeatur, vesicā exulcerat: & cum inimicam nobis facultatem obtineat, hominem plerumque necat.* Igitur in vesicatoriis appositæ, nullis alexipharmacis refractæ cantharides, imo potius euphorbio (vt fuit in nostro ægroto,) calidiores, acutiores, ac magis perniciosæ redditæ, nullo modo venenum extrahent, sed vt aduersissimæ offendent. Loquens enim Gal. de venenis inquit *3. de temper. c. 4. Medicamenta itidem sunt, & quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt, cæterum grauia, & naturæ animalis corrumpentia. Vnde & totum eorum genus deleterium & pestilens dici reor.* Quod confirmauit *5. simp. c. 18. supra allegato & 6. in 6. epid. com. 5.* & alibi sæpe. Huic rationi duas affert responsiones Marcellus *libr. suo fol. 87.* Primam accepit à Saxonia *lib. de vsu vesi. fol. 16.* vbi inquit, venenum foris impositum non nocere: nam ad profunda non penetrat, sed suæ substantiæ similitudine venenum foras trahit. Sed indigna est vt redarguatur. Monstratum enim est, non posse calorem ab alto trahere, ni ad altum penetret: secus esset actio à motore externo, & violento trahente, sine contactu corporis, aut virtutis mouentis ad mobile, & agentis ad passiuum. Quod si calorem penetrare admittat, & venenum quoque penetrare concedat, oportet: cum venena calida, non modo tota substantia, sed ipsa qualitate venena sint. Rursus venena cuti apposita alte penetrare, & vniuersum corpus afficere, satis docuit Gal. Pelopis auctoritate *3. de locis affe. c. 7.* Modum, quo venena per vniuersum corpus sese diffundāt, & totum de repente immutent, aperte docuit, *1. de simp. c. 16.* Ita *lib. de sec. c. 4.* venenum vna cum ictu corpori percusso inhęrere, ac altè penetrare docuit. Nec non, quod ad profundum corporis virus serpat, clarè docuit *lib. de ther. ad Pison. c. 10. & 4. simp. c. 19.* inquit: *Sed ferro, lapidique ignito, ea quæ per erosionem interimunt medicamenta, similia sunt: quæ a corporis nimirum calore huc perducuntur, velut chalcitis, mysi, sorij: adhæc arsenicum, hydrargyros, lithargyros, & alia innumera.* Et mox subdit: *Istis autē subtiliora sunt, tametsi & ipsa terrenæ sunt consistentiæ, calx, cantharis, lepus marinus: quorum quædam vsq; ad iecoris pertingunt regionem*

Cantharides non refractæ Alexipharmacis summè noxiæ.

Calor ab alto non trahit ni ad altum penetret.

Venena cuti apposita penetrare probatur.

quædam verò vsque ad vesicam & pectus, in tanto interim itineris spacio igneam acquirentia naturam. Manifestum ergo ex his est, falsum esse, venenum cuti appositum ad profunda non penetrare: falsum non minus, dum suo calore ab alto trahit, suo veneno non nocere. Secus enim perperam Galen. dixisset, oportere medicamenta cuti apposita alexiteria esse, non venena. Nam si venena forent, corpori essent aduersissima, & in illud agerent potius ceù deleteria, haud euacuarent venenum, vt *ex 5. simp. cap. 18.* monstratum est. Non minus indigna viro erudito secunda responsio est, quam Marcellus affert *lib. eodem fol. 87.* cum dicit, venena non nocere in eorum transitu, nisi solum in termino. Quamquam enim multo vehementius noceant in termino: siue per terminum intelligat membrum; cui propria antipathia aduersantur, vt cantharis vesicæ, lepus marinus pulmoni: siuè membrũ, quod diutius transmissa obsident, vt in peste Thucydidis erant pedes, & manus, quæ corrumpebãtur, ac decidebant, mentumq; & ossa, quæ denudabantur, ac reliqua membra in constitutione, quam narrat Hip. *3 in 3. epid. 25.* Ex eo tamen dicere, venena non nocere in via, id est, dum per corporis viuentis membra deferuntur, vanũ omnino est, & ab omni ratione alienum. Dum enim serpit per corpus humanum, seu est in via venenum, est per se venenũ: ergo per se naturali temperamento partium, per quas transit, est aduersissimum. Gal. *n. 5. simp. c. 18.* inquit: *Scire oportet, deleterias facultates vniuersas temperatura esse aduersissimas corporibus, quæ ab ipsis læduntur.* Quamquam autem sint quædam venena, quæ statim ac in corpus ingressa sunt nullam sensibilem sui maleficij noxam ostendãt, vt virus rabidi canis, & septica: hæc ad nostram controuersiam non sunt, qui de calidis & acribus agimus, quales cantharides sunt, & euphorbium, quæ non ad tempus diuturnum, sed de repente corpus immutant. Putare igitur cantharides vesicæ nocere, ad quam vt ad terminum deferuntur, viscera autem per quæ transeunt: quoniam in via sunt, non lædere, etiam idiotæ explode rent, vt experimentum ostendit. Diosc. *lib. 6. c. 1.* ita inquit: *Quibus datæ sunt canthari des, signa eueniunt grauissima. Ab ore enim ad vesicam vsque cuncta erodi sentiuntur: picem, aut simile quiddam cedriæ respiriunt:*

Medicamẽta cuti apposita alexiteria esse debent, non venena.

Venena etiam in trãsitu lædunt.

Venena quædam assumpta non statim à principio lædunt.

Cantharides etiam viscera, per quæ feruntur, lædunt.

Signa cantharidum assumptarum.

dextra præcordia inflammantur: Vrinam ægrè reddunt, & subindè cum lotio sanguinem emittunt: strigmenta non secus atque dysentericis, aluo deferuntur: fastidia Vrgent: animo linquuntur: obortaque Vertigine concidunt. Postremò mente abalienantur. Et Auicen. *lib. 4. fen. 6. tract. 2. capit. 3.* inquit: *Cantharides sunt acutæ, mordicatiuæ, perniciosæ, facientes accidere puncturam, & dolorem in Visceribus, & omnino dolorem extensum ab ore Vsque ad pectinem, & etiam apud ancas, & renes, & hypochondria, &c.* Idem Aëtius *lib. 4. tetra. 4. cap. 49.* & Galen. *4. simp. cap. 19.* Ita Diosc. & Aëtius idem referunt in Bupreste, Pinorum erucis, salamandra, lepore marino, & reliquis eius generis. Ratio est; nam venenum toto genere deleterium, vbi in animalis corpus ingressum fuerit, totum id momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat, vt *1. de sem. c. 16.* docuit Galen. Non minus indigna est Marcelli ratio, qua suam hanc fugam persuadere putat, cum inquit; *Quod si Venenum noceret in Via, numquam fieret bona crisis in febre pestilenti. Cum enim natura Venenum deponeret ab internis ad extima, Venenum pertransiens ægrum interficeret.* Primum, crisim veram cum depositione humorum noxiorum ad partes ignobiles cōfundit. Mox in febribus pestilentibus rerò fiunt crises ad salutem, vt *2. aph. 13.* Gal. innuit. Quando tamen fit vera crisis, humor euictus, malignitate refracta, nec in via, nec in termino multum nocere potest. Ad hæc venenosus humor etiam non victus à facultate concoquente, sed ab expultrice valida depulsus ad partes ignobiles, nullo modo ægrum necat, dum est in via. Primum, nam per partes principes non transit. Mox, etiam si pertrāsiret necessario non interficeret. *Nam quibus calor hic putredinosus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, quam ad corpus ipsum Visceris, multi horum fuerunt superstites,* vt *3. de præs. expul. cap. 3.* dixit Galen. Adde quod dum propellitur à robustioribus membrorum facultatibus, longam moram in eis non ducit. Propellitur autem à partibus nobilioribus, & fortioribus, ad ignobiles, atque debiliores, quæ tādem, cum venenum à se ipsis non propulsent, ab eo corrumpuntur, & quandoque decidunt, vt *3. in 3. epid. 25.* docet *Gal. & æger ex Veneni depositione superstes remanet, nullo modo ex Veneni depulsione occumbit.*

Cantharidum Vires.

In febre pestil. rarò fit crisis ad salutem.

An me-

An medicamenta, quæ cuti apponuntur ad euacuandum à profundo venenum, possint & ipsa quoque venena esse: an perpetuo esse debeant alexiteria, habentia naturam mediam inter venenum & corpus nostrum, vt inquit Gal. Cap. XVI.

QVoniam ex Gal. sententia *5. symp. c. 18.* statutum est, omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuari, quæ, quoad fieri possit, maximè mediam naturam habeant inter corpus, quod euacuatur, & venenum lædens, & omnino alexiteria sint, non venena: vt omne Marcello confugium præcludamus, hãc Galeni sententiam examinabimus. Videtur enim aduersum ea, quæ dicta sunt, pugnare tum Gal. tum experimentum. Gal *lib. de ther. ad Pisonem c. 10.* inquit: *Demorsis à crocodilo crocodilinum adipem summè contulisse nouimus, obtritis membris impositum. Muris aranei morsus, qui etiam ipsi interficiunt, ab eodem mure araneo contuso & imposito, sine dolore sanatur. Eodem modo & à vipera percussi liberantur, si quis illam atterat, & vulneri coniungat.* Rursus, Plinius *lib. 27. c. 2.* loquens de aconito, inquit: *Ea est natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit quod in homine perimat: cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento solo. Hæc pugna est, cum venenum in visceribus reperit: mirumque exitialia per se ambo cũ fuerint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo supersit.* Adde his clarissimorum medicorum obseruationẽ. Philippus Ingrassias vir celeberrimus *lib. suo 3. de pest. cont. c. 14.* Fallopius *lib. de bubone pest. c. 15.* Nicolaus Massa *lib. de peste trac. 3. c. 8.* & plerique alij probatissimi viri testantur, sacculos, & offellas ex arsenico confectas, & cordi extrinsecus impositas, à futura peste tueri; & à præsenti ægros liberare. Hieronymus Mercurialis vir doctissimus *lib. 2. variarum lect. c. 14.* refert, argentum viuum post toxici venenum superbibitum hominem liberasse, quod Ausonij carmine confirmat. Sed hæc explicanda sunt. Idem Mercurialis *lib 1. de venenis c. 20.* asserit, sententiam Galeni *5. symp. c. 18.* esse veram, vt in pluribus, nõ tamen omninò in omnibus, quod probat authoritate Auic. *lib. 4. fen. 6. tract. 3. c. 1.*

Venena nũ alexiterijs tãtum, an etiã venenis euacuanda, Sẽtentia Galeni.

Venena venenis curata.

Sacculi & offella ex Arsenico ad pestẽ

Sententia Galeni comprobatur.

Cæterum salua tanti viri auctoritate hæc responsio mentem Galeni non explicat. Si enim, quæ debent euacuare venenum a profundo ad cutim, vt plurimum essent media inter venenum, & naturam nostram, nõ tamen perpetuò, & necessariò: tunc aliquando etiam venenum cuti impositum venenum euacuaret, vel quid aliud, quod nõ esset inter naturã nostram & venenum medium, idem præstaret. Sed vtrumque repugnat verbis Galeni. Nam si venenum foret, falsa esset ratio Galeni, qua probans suam sententiam subdit: *Nam si aduersissimum foret corpori, in ipsum ageret potius, ceu deleterium, haud euacuaret venenum.* Si vero foret quid non habens naturam mediam inter venenum & corpus nostrum: tunc Gal. falso diceret: *Siquidem facultates quæ deleteria medicamina alterant, naturam habent mediam inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia: vt videlicet eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam: & rursum deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus.* Hæc proportio vera non erit, si quandoque quid, non habens hanc mediam naturam, venenum extrahet. Nec Auic. dixit illam Galeni sententiam esse veram vt in pluribus. Eius verba hæc sunt: *Medicinæ vero, quæ sunt sicut notæ, ebibitæ, rubificantes etiam, & attrahentes venenum, aut sunt propter virtutem calefacientem attrahentem venenum, aut caussa similitudinis ad attrahendum illud, quod simile est ei; sicut facit adeps crocodili ad morsum crocodili, & caro viperæ post abscissionem extremitatum eius in attractione veneni sui: ita vt accidat quibusdam medicinis valentibus ad venena, vt sint venena etiam. Verum ipsa sunt debiliora, & quasi ipsæ sint inter complexionem corporis, & complexionem veneni. Et sermo hic est ex eis, in quibus oportet cum sapientibus considerare, vt sciatur, quod est non verificatum. Medico autem non nocet, si non scit hoc.* His verbis Auic. non dicit, illam propositionem Gale. non esse veram in omnibus, sed in omnibus non esse verificatam; non quod omnia esse non debeant media inter venenum & corpus, quæcumque cuti apposita venenum extrahũt substantiæ similitudine; sed in omnibus rationem ac caussam huius mediæ complexionis non esse exploratam & cognitam. Si enim illud non putasset in omnibus verum, sine ratione

Sententia Auicennæ.

tione dixisset, *Medico non nocere si non scit hoc.* Noceret enim maximè pro recta cuiusuis veneni extractione, deficeretque à suæ facultatis perfecta notitia. Medici enim est, venenorum remedia rectè nouisse, alexipharmacanè esse debeant, an & venena quoque, vt rectè curet, & non noceat. Ergo non auxiliorum naturam, sed naturarum rationes, & causas, dicit esse cum sapientibus considerandas. Confirmatur hoc: nam qua ratione alexipharmaca cum venenis pugnent, methodus apud Medicos non est, aucto re Galeno *13. meth. cap. 6.* sola enim experientia, nulla methodo cognoscuntur, vt confirmat *1. de comp. med. per genera cap. 18.* Rursus, quamuis Auicennas dicat (*ita vt accidat quibusdam medicinis valentibus ad venena, vt sint venena etiam.*) non ideo putandum, velle Auic. illas venenum extrahere, quatenus ipsæ venenum sint. Subdit enim (*Verum ipsa sunt debiliora.*) At venenum debilius non trahi ad se venenum validius, sed contrà potius trahitur. Quod enim trahit, debet esse efficacius, & valentius eo, quod trahitur, *ex Gal. 3. symp. cap. 25.* Itaque secundum Auicēnam, quatenus venena sunt, venenum à profundo non extrahunt. Igitur vt primæ obiectioni fiat satis: dicimus, quod Gal. *de ther. ad Pisonem cap. 10.* primum hanc difficultatem proponit illis verbis: *Illud verò scrutandum potius esse duxi, quod plerisque admirabile videtur, quo pacto eadem animalia, quæ nobis inimica sunt, & hominem cito perimunt, si ipsorum morsibus imponantur, auxilio esse possint, & sola hominem ab ea noxa seruare.* Et postquam aliorum responsiones attulit, & explosit, respondet quæstioni his verbis: *Assero enim, bestiolas istas lethiferas propterea commorsis à se hominibus auxilium præstare, quia maiorem partem venenosæ facultatis cum capitibus ipsarum amputamus, minorem autem reliquo corpori confusam conuenienti præparatione obtundimus. Nam & earum truncum cadauer elixamus, & non paruam salis & anethi quantitatem aquæ commiscemus; non solum vt huiusmodi misturam suauiorem reddamus, sed vt viperarum carnes eliquemus, atque ita vel parum, vel nihil potius venenosum in ipsis relinquamus. Magnum vero momentum ad iuuandum viperis confert admistio. Nam tot talibusque rebus adiūctæ, quo nam pacto efficere amplius valent, soluta iam ipsorum noxia facultate?* Hæc

Alexipharmacorum cū venenis pugna sola experientia cognoscitur.

Animalia venenata, cur & quomodo propriū venenū curent.

Galenus. Verum aliquid deesse videtur in hac Galeni solutione: quod ex eodem Galeno peti potest. Nam adeps Crocodili curat suum venenum sine admistione alterius alexipharmaci: Scorpionis corpus super impositū, sanat suum virus, *ex Diosc. lib. 6. c. 44.* & alia quam plura animalia sua curant maleficia, *ex Galeno 11. symp. c. de Dracone marino.* Neque vero adeps Crocodili, vel scorpio, vel mus araneus cum amuletorum admistione theriacam constituunt, vt vipera, sed sola suis venenis auxiliantur. Notandum igitur, quod natura in his animalibus non modo partes venenosas effecit, sed & quasdam veneni eorum alexiterias: Secus omnia illa ad vnum maleficiū edidisset, ac de venenis sollicita remediorum fuisset oblita. Natura vero vt in superfluis non abundat, sic non deficit in necessarijs. Igitur hæ partes alexiteriæ sunt in duplici differentia: Quædam ingenitam habent vim curandi sua venena, sine aliarum rerum mistione, vt adeps Crocodili, & scorpio: Quædam vero ingenitam habent simul & admistam vim, vt corpus viperæ. Hoc enim sine admistione alterius amuleti viperarū percussionem curat super impositum; cum admistione autem aliorum medicamētorum venena ferè omnia exstinguit. Explicat hanc duplicem iuuandi vim Gal. *lib. de ther. ad Pisonem c. 9.* vbi, post quam dixit capita & caudas viperarum fore amputandas, subdit: *Ne vero vlla te capiat admiratio, si hisce partibus ademptis reliqua viperarum membra potentius antidotum efficiant, ex ingenita admistaque carnibus ipsarum iuuandi facultate,* vbi vocat illam facultatem ingenitam, & admistam. Vt enim ex ingenita suum curant venenum: sic ex admista potentissimum efficiunt alexipharmacum, & acquirūt naturam mediam inter corpus nostrum & venenum, fiuntque idonea non modo ad sanandum venenum, sed ad illud ab alto euacuandum, cuti apposita; si tamen substantiæ similitudine, & calore sint potentiora. Dicimus igitur, Galenum *5. symp. c. 18.* vniuersaliter statuere, medicamenta cuti apposita, vt ab alto venenum euacuent, alexiteria esse debere, habentia naturam mediam inter venenum & corpus nostrum. Ad difficultatem igitur dicimus, plurimum interesse, si inquiramus, an detur venenum, quod determinatum sibi venenum possit exstinguere; & si perscrutemur, an detur venenum, quod

Natura in animalibus venenatis prouidentia.

Partes alexiteria in animalibus venenatis duplices.

Medicamēta venenum euacuantia, alexiteria esse debent.

cuti

cuti appositum possit venenum à profundo euacuare ad cutim. Euidens enim est, esse venena plurima non modo qualitatibus manifestis contraria, vt venena calida cũ frigidis, in quem sensum argẽtum viuum super bibitum oppositum venenum exstinxit; sed etiam plura, abdita totius substantiæ antipathia inter se pugnantia, in quem sensum Plinius de aconito loquutus est. Non enim si inueniat in visceribus quodcunque venenum illud exstinguit, sed si contrarium. De simili enim non diceret Plinius, (*Nisi inueniat venenum quod perimat.*) Simile enim sibi simile nõ perimit sed conseruat. Sic de veneno neque simili neque contrario, sed diuerso non diceret (*cum eo solum colluctatur.*) Colluctatio enim non fit inter quæcumque, sed inter contraria: non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum, quod clarè innuit Plinius, cum subdit: *Torpescũt scorpiones aconiti tactu, stupentq; pallentes, & vinci se confitentur.* Quod quidem viperis, Cerastis, ac reliquis venenosis bestiolis non contingit. Euidens non minus est, quod vt contraria quædam, ita & similia quædam inter se sunt venena. Igitur vt contraria se mutuò perimunt; ita & similia se mutuò conseruant: & horum quod potentius est, & calidius, trahit ad se reliquum. Non tamen inde verum est, venenum cuti appositum, si simile intus inueniat, illud ad sese trahere ad cutim. Nam si internum erit vel calidius, vel potentius, trahet à cuti ad viscera externum. Si vero cuti appositum validius erit, trahet quidem internum ad sese, non autẽ ad cutim, sed suæ maleficæ facultati illud vniet, & secum deferet, atque deducet ad cor vsque. Venenum enim vbi in cute appositum est, ibi non otiatur, nec conquiescit, sed innata sua malefica facultate, qua calori innato est aduersissimum, corpus permeat, atque penetrat, illud sibi simili qualitate immutãs; vnde venenum quod ad se trahit, ad cor vsque secum deducat necesse est. Quapropter veneno geminato nocumẽtum erit longè potentius. Vt si quis post epotam buprestem cantharidas superbibat, vel marinum leporem: manifestum est, quod si posteriora venena priore erunt efficaciora, eius maleficam facultatem ad se ipsa trahent, & secum ad vesicam vsque, vel ad pulmonem deducent, ad quæ membra cantharis & lepus marinus propria antipathia

Venena inter se pugnãtia.

Venena inter se similia

Venenũ cuti appositum nõ trahit ad se simile.

Veneni in cute appositi actiones.

defe-

deferuntur. Hæc igitur est ratio, quare Galenus velit, medicamenta cuti apposita, vt venenum à profundo extrahant, venena esse non debere. Inquit enim: *Scire oportet deleterias facultates vniuersas temperatura esse aduersissimas corporibus, quæ ab ipsis læduntur. Itaque si à similibus temperie medicamentis euacuantur, erunt & hæc corporum naturis contraria. Sanè & sunt quadantenus contraria, non tamen adeò, vt interimant, sed ambigant potius, in medio sita eorum, quæ apertè corpus animantis lædunt, & quæ iuuant.* Hæc Galenus.

Cur alexiteriis euacuāda venena.

An arsenicum, portatum suprà regionem cordis præseruet & curet pestem. CAP. XVII.

Ex his mea est sententia, Arsenicum suprà cordis regionem apportatum tantū abesse vt à peste præseruet hominem, quod illi deleterium potius esse possit. Arsenicum enim quatenus venenum est, naturæ nostræ est aduersissimum, ex Gal. *3. de temp. c. 4.* vbi inquit, venena esse grauia & naturam animalis corrumpentia, totumque genus eorum pestilens ac deleterium. Ergo cuti appositum supra cor, statim ac incalescet, (motu cōcitatiore hominis illud gerentis, vt frequenter vsu venit) vapores venenosos demādabit ad partem principem, qui vel propria vi penetrabūt, vel arteriarum à corde ad cutim desinentium dilatatione cum aëre attrahentur. Introducti igitur venefici vapores, cum venenum non inueniant contrarium, quod perimant, (si quod enim venenum haberet homo, in se ipso sanus non foret: quem autem præseruare intēdimus, sanum esse necesse est:) maleficam qualitatem homini aduersissimam imprimant necesse est. Quod si authore Galen. *5. symp. c. 18.* propemodum omnia, quæ deleterijs aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter, animantis corpus offendunt: An putandum, verè deleteria, quale arsenicum est, si cuti apposita penetrent, aduersa summoperè innato calori hominis non futura? Accedit, quod Gal. & reliqui grauissimi medicorum nunquam præseruauerunt à peste quempiam, vel a veneno toto genere deleterio cum alterius veneni exhibitione, vel contactu, sed cum alexipharmacis. Lib. enim de theria. ad Pisonem *c. 16.* inquit: *Ad istū modum*

Arsenicum cuti appositū nocet, & quo modo.

modum arbitror & theriacam, tanquam ignis quidam viuificans & ipsa esset, illos quidem, qui sani adhuc ipsam biberint, non permittere, vt pestilentia prorsus capiantur: illos autem, qui iam ægrotent, sanare posse, cùm aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo. Docet pariter Gal. ibidem modum, quo debeat homo præseruari à peste, & subdit: *Quamobrem consulo tibi Piso, vt partim ob has tam repentinas aëris commutationes, partim ob alias nocentium rerum caussas, frequenter etiam sanus theriacam sumas, vt exterius occurrentibus noxis corpus tuum resistat, & si quando passum aliquid fuerit, ad sanitatem facilè reducatur.* Antidotis igitur præseruare monet à peste non venenis. Idem monet *lib. de ther. ad Pamphilianum, lib. 1. de ant. cap. 1. 6. in 6. epidem. commen. 1.* Aëtius *lib. 1. tetrab. 4. cap. 96.* & Paulus *lib. 2. cap. 36.* Præterea Galen. *6. in 6. epidem. comm. 5.* inquit: *Verum ea de caussa mihi plura medicamenta non vocare mortifera medici videntur,* (de purgantibus loquens) *quod ipsorum temporibus quibusdam vtilitas necessaria sit: ea vero appellare deleteria, idest, perniciosa,* (de venenis intelligens) *quæ nullo vnquam tempore, neque ægrotis hominibus, neque valentibus opem ferunt. Neque enim aconitum, neque argentum viuum, neque argenti spuma, neque marinus lepus, intra corpus accepta vllum nobis afferunt emolumentum.* Igitur perpetuò tam Arsenicum, quàm aliud quoduis venenum, cuti appositum, nocebit. Quod enim est per se tale, est de omni. Quamquam enim sint venena, quæ si contrarium venenũ in corpore inueniant, cum eo pugnent, & ex mutua colluctatione ambo venena commoriantur, vt homo superstit: certè quidem, si nullum contrarium venenum in homine inueniant, hominem occident. De aconito dicebat Plinius: *Ea est natura vt hominem occidat nisi inueniat, quod in homine perimat.* Arsenicum ergo ab homine sano apportatum præseruationis caussa, cum in eo non cõtrarium modò, sed omninò nullum venenum inueniat, hominem necessario offendit. Sed dicunt, qui sentẽtiam cõtrariam tuentur, ex arsenico venenis cor assuescere, ita vt alio tandem adueniente veneno non offendatur, cõsuetudine naturam mutante. Hoc quamquam verum esse possit in venenis sola quantitate nocentibus, vt frigida, de quib. dixit

Theriaces vis in præseruando & curando.

Modus præseruandi à peste.

Venenorum inter se pugna.

obj. 1

Num ex arsenico cor venenis assuescat.

Contra vide Sch[illegible] de feb. pest. c. [illegible] p. 135

Gal. *3. ſymp. c. 18.* (*Quod Anus Athenienſis à minima cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad permagnam progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate ipſa deuictum eſt, at conſuetudo naturale reddidit:*) certè quidem in venenis calidis ac toto genere deleterijs, quale arſenicum eſt, etiam pauca quantitas totum corpus immutabit, vt *ex 1. de ſem. c. 16.* abundè monſtratũ eſt. Hæc enim venena qualitate, non copia ſolum offendunt. Ita Gal. *3. in 3. epidemio. 75* dicebat: *Itaque veneno epoto lethali quidam poſtridie, vel tertio die moriuntur, qualitate eius, non copia mortem afferente.* Et *5. ſymp. c. 19. At ſunt*, inquit, *quæ tota eſſentia nobis contraria ſunt. Proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, omninò lædat neceſſe eſt, ceu dryopteris, & piryocampe, & thapſia, & ſolanum manicum, & hydrargyros, & fungorum nonnulli: præterea ſaliua & fel venenatorum animaliũ: nam talia omnia genere ſunt deleteria, non quantitate.* Sed dicent, experimentum aduerſari noſtræ ſententiæ: nam multi ſanitatis tempore ferunt arſenicum, & ſine omni noxa. Iſti aduertant velim, quod quamuis erodens ſit arſenicum, craſſarum tamen eſt partium, & multo calore indiget, vt eius vis deducatur ad actum. Monſtrat hoc Gal. *4. ſymp. 19.* cum inquit: *Sed ferro lapidique ignito, ea quæ per eroſionem interimunt medicamenta, ſimilia ſunt: quæ à corporis nimirum calore huc perducuntur: velut chalcitis, myſi, ſori: adhæc arſenicum, hydrargyros, lithargyros, & alia innumera. Craſſarum enim ſunt partium id genus omnia, ac poteſtate calida: ac proinde temporis ſpacio accenſa per eam, quæ eſt in animante mutationem, non aliter quam lapis ferrumque ignitum ventrem tum exulcerant, tum exurunt.* Vnde ſi arſenicum portans non valdè incaleſcat, vt nimio calore ad actum deducatur, illius noxam non experietur. Obſeruatum tamen eſt, arſenicum apportantes motu excalfacti in ſyncopem incidiſſe, & in ſæua alia ſymptomata, quæ nõ niſi amoto ſacculo illo ceſſauerint. Alij, quamquam non ſtatim, certè poſt aliquod tempus noxam eius perceperũt, in febres malignas, ac peſtilentes, & mortem incidentes. Nec defuit, qui ob luſum pilæ vehementi agitatione corporis excandeſcens, arſenicum portans mortuus derepente conciderit, vt Franciſcus Alphanus Medicus Salern. & alij fide digni teſtati ſunt. Mithridates non ex veneni aſſuetu-

Arſenicum craſſarũ eſt partium.

Arſenicum portans cur illius noxã non ſemper experiatur.

Hiſtoria de Arſenico portato.

Mithridates cur veneno non interierit.

ſuetu-

suetudine, vt quidam somniant; sed ex antidoti vsu, veneno interire non potuit, vt refert Gal. *lib. de ther. ad Pisonem cap. 17. in fine*. Ad præseruandum itaque à peste non modò inutile, sed valdè periculosum, & non semel perniciosum arsenicum supra cordis regionem portatum existimo. Pro curatione autem, siue venenum sit ex humorum interna corruptione genitum, siue ex aëris pestilentis inspiratione productum, arsenicum nullo modo gestandum puto. Nō enim est verum, quod dicit Antonius Firmanus, arsenicum ob similitudinem ad sese trahere venenata, & contagiosa pestis seminaria, & ita gestantem à peste tueri. Verum enim non est, omne venenum arsenico simile esse, vt nec omne venenum omni veneno, nec omnia seminaria contagiosa sunt arsenico similia, nec eiusdem impetus, vel analogiæ, vel similitudinis inter se. Quid igitur si non erunt similia? Quid si similia, & calidiora, ac potentiora quam arsenicum? Nec est quod dicat: venena à calore naturali, ceu inimica, actuationem non recipere, sed potius omni conatu expelli. Si enim hoc conferret, venena nunquam hominem necarent. Oppositum tamen monstrat tum experimētum, tum Galenus, quando etiam in minima quantitate à toto genere lædentia, totum corpus momento temporis immutent, sibiq; simili affectione alterent, vt suprà monstratum est. Adde, quod si venena actuationem requirunt vt operentur, tunc arsenicum neq; trahet seminaria venenosa ad sese, cum nec à se ipsò, nec à seminarijs actuari possit, à calore autem nostrò, vt ab inimico, non actuetur. Si vero actuatione non indigent: tunc arsenicum calorem nostrum quamquam refugientem, repugnantem, & illud propulsare contendētem vt aduersissimum offendet, cū venena à calore nostro vinci non possint, *ex Gal. 3. de nat. facu c. 7.* Igitur arsenicum pro curatione apportatum, vel venenum inueniet sibi contrarium, vel simile, vel diuersum. Si diuersum; duo venena diuersa se mutuò nō periment: vtraq; tamen in eo conuenient, quod calorem innatum simul iuncta vehemētius offendēt. Si verò inueniat simile, vehemētius quoq; offendet. Si enim seminaria contagionis erunt calidiora, & potentiora quam arsenicum, illud ad se ipsa trahent, & secum deferent ad cor, ad quod per aërem multiplicata cùm inspiratione, tū pro-

An pro curatione Arsenicum portandum.

Arsenicum an venena trahat ob similitudinē.

Venena an à calore naturali actuationem recipiant.

Venena à calore nostro vinci nequeunt.

2 Nec [illegible]

pria antipathia deferuntur. Si vero arsenicum contra erit calidius &potentius, seminaria pestis ad sese trahet quidem, ægrotum tamen à peste non liberabit. Calore siquidem febrili ægrotantis, vt ferrum lapisque ignitus, incensum, suæ venenosæ naturæ vi deleteria cordi aduersissima ad cor vsque penetrabit, & secum contagionis coinquinamentum ad cor vsque deducet. Si tandem seminaria venenosa erunt arsenico contraria; pugnabunt quidem ad inuicem: poterit vtrumque venenum mutua colluctatione commori, vt homo ex accidenti supersit, & liberetur, in quẽ modum forte vera fuit obseruatio, quam Philippus Ingrass. Fallopius, & Massa, viri fide digni testati sunt: Ex eo tamen non debet prudens medicus arsenici apportationem consulere pro pestis curatione. Nam in venenis tota substantia pugnantibus methodus non est, vt *13. meth. c. 6.* docet Gal. & medicus non potest nisi ab euentu cognoscere, cui nam veneno, cuiuè veneni analogiæ, & abditæ substantiæ arsenicum contrarium futurum sit: sunt enim vltimæ rerum differentiæ ignotæ. Ignota est medico ac fortè incomprehensibilis indiuidui cuiusque natura, quam Græci ἰδιοσυγκρασίαν vocant, auctore Gal. *3. meth. c. 7.* ignota est veneni sympathia, vel antipathia cum altero veneno, ignotæ cõtagionum vires, & impetus. Ita in venenis, ab interna humorum corruptione productis, non est perspicuus cuiusuis putredinis sordidæ profundæ, in lentore positæ, gradus, modus, & facultas, in quibus omnibus est latitudo. Temerarij igitur consilij est, medicamentum propinare, quod si contrarium non inueniat, ægrum facile perimat. Monet autem Gal. *10. symp.* contra Xenocratem, nunquam debere medicum medicamentis vti, quæ mortalibus noxam inferre possint.

In venenis à tota substãtia pugnantibus nulla methodus.

Vltimæ rerũ differentiæ ignotæ.

An ala cantharidum alexipharmacum sint veneni, quod corpora inducunt.

CAP. XVIII.

REdeuntes vnde sumus digressi, difficultatem explicabimus, vt Marcello confugium omne præcludamus. Dici posset pro eo, non fuisse sua vesicantia parata ex veneno, quamquam ex cantharidibus essent confecta, & nullis

nullis alexipharmacis commista. Integræ siquidem cantharides fuerunt appositæ. Igitur venenum, quod corpora potuissent inferre, alæ & pedes emendarunt; & ita alexipharmaca inter corpus nostrum & venenum media ad extrahendum ab alto venenum idonea, cantharides effectæ sunt. Galenus *2. de ant. c. 7.* ad cantharidum venenum, cantharidum alas, & pedes ex melle potos commendat. Aëtius *lib. 4. tetrab. 4. capit. 49.* idem affirmat. Plinius *lib. 29. cap 4.* inquit: *Cantharidum venenum in qua parte sit, non constat inter auctores. Alij in pedibus & capite existimant esse: alij negant. Conuenit tantum, pennas earum auxiliari in quacumque parte sit venenum.* Rursus, cantharides summam afferunt vtilitatem, cùm per os acceptæ, tùm cuti impositæ, quam nullo modo præstarent, si essent venenum. Venena enim nullo vnquam tempore, neque ægrotis hominibus, neque valentibus opem ferũt. Nam Hipp. *4. acut. 122.* pro hydropis curatione cantharides commendat: lib. *de natur. mulier.* ad menses ciendos, & secundinam extrahendam eis vtitur. Quod confirmat *lib. de morbis muliebribus.* Ita *lib. de internis affect.* pro curatione morbi regij cantharides exhibet. In huius difficultatis explicatione non vulgaris est controuersia inter Medicos Græcos, Arabes, & Latinos. Sunt qui capita, alas & pedes venenum continere affirmant: Sunt contrà, qui corpora venenum esse, alas & pedes antidotum existimãt. Hieronymus Mercurialis *lib. 2. de ven. c. 14.* cùm corpora, tùm alas, & pedes venenum putat. Ego hanc sententiam puto veram. Quamquam enim natura in multis bestiolis venenum, & veneni antidotum posuerit, id in omnibus non effecit. Quasdam enim integras venenosas protulit, quarum antidota aliundè parauit, vt Dryinam & aspidem, è quarum numero cantharides sunt. Nam si cantharides haberent aliquam partem venenosam, aliquam alexiteriam: tunc, dum integræ exhibentur, nullam haberent facultatem perniciosam, & deleteriam: earum antidoto proprium venenum exstinguente. Neque opus esset externorum medicamẽtorum admistione, nè noceãt. Sed vtrumque de cantharidibus negat Gal. Lib enim de ther. ad Pisonem *c. 10.* inquit: *Cantharis, si sola exhibeatur, vesicam exulcerat: & cum inimicam nobis facultatem obtineat, homi-*

Tum corpora, quam alæ & pedes cantharidũ venenosæ.

nem plerumque necat. At si quibusdam alijs misceatur, auxilium eidem vesicæ præbet, & vrinam maximoperè prouocat. Dum autem Gal. cantharides exhibet, integras exhibet. Inquit enim *21. symp. cap. de canth. Porro præceptorum meorum quidam, earum paulum quiddam in medicamenta vrinam mouentia solebat inijcere. At quidam solas alas & pedes inijciunt, quæ aiunt esse alexiteria iis, qui corpora ipsarum bibissent. Alij contra: At nos totas indimus.* Ergo si totas exhibet, & ne noceant, medicamẽtis alexiterijs admiscet, totas putat inimicam nobis facultatem obtinere, hominemque necare posse. Ad hæc *3. symp. c. 13.* inquit: *Sanè cantharides vrinam cientibus medicinis miscentur, sicut pleraque alia lethalia alexipharmacis, hoc est amuletis. Atque id genus medicamenta composita, si aptè mixta fuerint, omninò efficacissima sunt: quoniam admodum, quod ex cantharide conficitur, vrinæ mouendæ accommodum est. Feruntur enim alioqui sponte sua cantharides per vrinam ad vesicam, atque sic rodendo eam exulcerant. Verum vbi paucum ex illis, multis miscetur bonis atque vtilibus, illa quidem velut manu ducunt, rodere tamen nequeunt.* At integræ nullo modo eroderent, nec opus esset paucam earum quantitatem multis bonis & vtilibus medicamentis admisceri, si alæ vel quid aliud in eis esset alexipharmacum, totæque maleficæ non essent. Galenus autem remediorum diligentissimus indagator, nec alarum vel pedum fuisset oblitus, vel alterius partis, si quam putasset antidotum. Nec pro vrina cienda citra noxam, externa vtilia multa paucæ cantharidum quantitati admiscuisset, si partem quampiam in eis alexiteriam iudicasset. Accedit, quod cantharides sunt lethales, tàm si dentur abscissis alis & pedibus, quàm si alæ & pedes exhibeantur. Refert Gal. *4. acuto. 122.* hydrope affectum, qui illas hausit abscissis alis, mortuum fuisse. Refert & alium, qui alas & pedes accepit, non minus interijsse. Cum enim dixisset author (*Poculum hydropi: Cantharides tres abiectis singularum tùm capite, tùm pedibus, tùm alis.*) subdit Gal. *Quidam dictionis huius mentem haud quaquam intelligens audax medicus prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditque hydropi.* Et mox subdit: *Veruntamen non multis post diebus obijt.* Et referens alium inquit: *Quam ob caussam medico quidam crimen*

Galenus cãtharides totas exhibuit.

Cantharidũ vsus in diureticis.

Tã corpora, quam pedes & alæ cantharidũ exhibitæ solũ, lethales.

rimen ingessit, perperam data esse cantharidum corpora, nquiens: Nempè propinanda ablatis corporibus, tùm caput, ùm pedes, tùm alas, idque esse, quod in dictione enuntiare- ur. Quare non cunctatus audax ille Medicus hydropi alteri ta propinauit. Et de hoc pariter concludit: *Multis post die- us hominem mori contigit.* Igitur & qui corpora sumpsit ine alis, & pedibus, & qui alas & pedes sine corporibus, terque mortuus est. Præterea Gal. *4. symp. cap. 19.* inquit: *Sanè verò & cantharis, parcè interim sumpta, quibusque porteat ad mista, præterquam quod vesicam nihil offen- dit, etiam renes expurget: imò & quæ efficaciora conficiun- tur ad vrinas mouendas medicamenta nonnihil habent cantharidis.* His verbis Gal. nomine cantharidis vel to- tas intelligit, vel corpora sine alis, pedibus, & capite. Si primum; certè perperam diceret Gale. parcè sumptas, quibusque oporteat admistas nihil nocere, si alas & pe- des earum antidotum credidisset. Si secundum; ergo ni- hil in eis esse existimat, quod deleterium non sit. Diosco- rides *lib. 2. cap. 55.* pennas pedesque dixit esse antidotum non de propria sententia, sed referens aliorum opinio- nem, inquit enim: *Aliqui cantharidas antidotis impositas, aquæ subter cutem auxiliari prodiderunt: argumento, quòd vrinam moueant. Alij pennas pedesque contrà potarum ve- neficia, remedia esse tradiderunt.* Lib. tamen *6. cap. 1.* nul- la facta partium differentia, totas supponit venenosas. Inquit enim: *Quibus data sunt cantharides, signa eueniunt grauissima: ab ore enim ad vesicam vsque cuncta erodi sen- tiuntur: picem, aut simile quidam cedria resipiunt: dextra pracordia inflammantur, &c.* Vbi multa subdit reme- dia, sed alarum, pedum & capitum omnino non memi- nit. Non tacuisset autem si illa antidota iudicasset. Ad extremum, vbicunque Hippoc. exhibet cantharides, a- las & pedes abscindit, & corpora antidotis externis ad- miscet. Lib. *de morbis mul.* cantharidas alis, capite, & cruribus auulsis, cum semine apij, tribulis ad mare nas- centibus, ouis sepiæ, & vino dulci bibendas exhibet. Ita & *lib. de natura mulieb.* ad menses ciendos, thuri ac myrrhæ admiscet, & vnguento Ægyptio albo, aut rosaceo, ab for- mam glandulæ longæ lana obuolutas apponit. Lib. *de in- ter. affe. Exhibeto,* inquit, *cantharidas sine alis & capite, qua-*

Cantharidũ parcè sumptarum vtilitas.

Dioscorides cantharides totas venenosas statuit

tuor irritas in vini albi hemina dimidia dilutas, modico etiam melle affuso. Igitur alas, & pedes, & capita non putauit antidotum, sed venenum fortè potentius: secus enim vbique non abscinderet. Neque putauit corpora venenosa non fore, secus antidotis illa non miscuisset. Totas ergo cantharides venenosas agnouit. Igitur (vt oppositas authoritates explicemus) si quando Gal *vt 2. de antid. c. 7.* dixit, alas & caput esse antidotum eius veneni, quod cantharides inferunt, id non de mente propria, sed de sententia Asclepiadis affirmauit, vt ex eodem capite videri potest. Alas enim & pedes alexiteria esse, non proprium, sed aliorum placitum fore, docuit *11. symp. c. de canthar.* Qui locus *2. de ant.* in causa fuit, vt Aëtius Galeni sentētiam eam esse putaret. Vndè Andreas Matthiolus, qui *in lib. 2. Diosc. com. 55.* putauit cantharidum alas esse antidotum, Plinium fortè sequutus, rem maturius aduertens *lib. 6. commen 1.* inquit: *Sed quoquo modo res se habeat, ambarum partium placita attulimus, vt vnus quisque suam in hac re sequatur sententiam. Nos tamen suspecta medicamenta semper dimittenda iudicauimus, & his vtendum, de quibus inter probatos auctores, & doctos viros conuenit.* Igitur Marcelli vesicatoria, ex cantharidibus & euphorbio confecta, nullisque alexiterijs refracta, ex veneno parata malefica esse, corporique nostro aduersissima, ex dictis est manifestum. Nec satis mirari non possum Saxoniam, qui *lib. 2. de phœnig. cap. 41.* dicit, sua vesicatoria non esse deleteria, sed inter venenum & corpus media, cum ex medicamentis partim venenosis, partim veneno carentibus dicat illa confecisse. Oportet enim vt alexipharmaca fiant, paucam veneni quantitatem, vel debiliorem venenosi animalis partem multis alexipharmacis miscere, vt *lib. de theri. ad Pisonem cap. 10.* docuit Gal. Saxonia vero, venena, quæ in suis vesicatorijs recepit, non solum alexipharmacis non miscuit, sed venenis potentioribus copulauit. Cantharidibus enim aliquando succum flammulæ adiecit, quæ pariter venenum est, *ex Matthiolo in 6. Dioscor cap. 7.* & excalfacit ordine quarto, adeo vt valentissimè corpus exulceret, vbi fuerit imposita. Quod protulit & Gal. *7. symp.* loquens de clematide altera. Aliquando addit succum ranunculi, cuiàs fa cultatem vehementer acrem, & exulcerantem dixit

Galenus explicatur.

Flammulæ vires.

Gal.

..l. *6. ſymp. capite de batrachio.* Aliquando tandem ſina..n & euphorbium miſcet, vt videre eſt apud ipſum *lib. 3.* ..*phæni. cap. vltima.*

..amnantur veſicatoria, quod obſtructionem, atque putredinem efficiant maiorem in febre peſtilenti cum comate.

CAP. XIX.

DAmnanda quoque erant veſicantia in ægroto noſtro, quia putredinem maiorem efficiebāt. Maiorem ..eri putredinem obſtructione adaucta dubium non eſt, ..um potiſſima putredinis cauſa obſtructio ſit, ac prohibi..a tranſpiratio, *ex Gal. 11. meth. c. 4. 1. de diff. feb. cap. 3. & lib.* ..*e inæquali intemp. cap. 7.* Augebant autem veſicantia ob..tructionem: appoſita enim fuerunt à Marcello, vt extra..erent ab alto ad cutim ſuccos coma facientes. At horum ..uccorum pleraque pars craſſa erat & lenta, quæ dum tra..itur à venis amplioribus, quales erant venæ inter alas & ..nguina, vbi erat focus febris, ad venas minores, atque venarum propagines, & ex illis ad capillares, à vena caua ad cutem vſque, infarctum fieri maiorem per venarum anguſtias, neceſſe erat, ac ex inde obſtructionem, prohibitam tranſpirationem, atque putredinem, præſertim cum eodem tempore ſex locis in cute veſicantia apponerentur. Nec ſatis euitat hoc incommodum Saxonia, dum *lib. 3. de phæn. cap. 32.* veſicantia poſt purgationem & ſanguinis miſſionem parari oportere affirmat. Licet enim venæ ſectio & purgatio copiam minuant: tamen purgato corpore, ſucci craſſi & lenti, qui remanent, nunquam per cutem educi commodè poſſunt, vt ex Gal. monſtratum eſt *3. acut. 62.* propterea quod tum craſſus, tum glutinoſus ſuccus, qualis pituita eſt, per venas capillares violenter tractus, obſtruit, non educitur. Mox vel à purgatione in principio facta totus ſuccus morbum continens fuit euacuatus, vel minor effectus. Si primum fuit; nulla remanet Medico indicatio reuulſionis, vel attractionis. Si ſecundum; tenuiores ſucci fuerunt educti, qui paratiores ſunt vt educantur, craſſiores relicti, præſertim cum doceat Gal. *lib. quos & quando*, tenues à principio purgari, nō craſſos.

Obſtructio potiſſima putredinis cauſa.

Veſicātium vſu aucta obſtructio.

Igitur si post purgationem coma perseuerat, quod à crassis ac lentis fit humoribus, vesicantia cuti apposita, crassos succos ad cutim ducent, & in ambitu corporis obstructionem augebunt. In nostro ægroto, quo tempore vesicantia parabantur, crassorum, lętorum, atque crudorum humorum copia (quamquam post purgationem à principio factā) in foco febris maxima erat. Docebat hoc coma somniferum, quod purgatione facta, indies increscebat vehementius, atque profundius. Idem monstrabant vrinę quas subiugales eo tempore fuisse fatetur Marcellus. Subiugales autem succum crassum, ac densum, à calore agitatum, bitumini & resinæ haud assimilem, significare docet Gal. *4. aphorism. 70.* Crudum vero hunc succum esse explicat *1. cris. 12. & 3. in 1. epidem. comm. 21.* in Philini vxore in Thaso, vt suprà monstratum est. Quæ igitur ad cutem trahebant in casu nostro, manifestè obstructionem agebant. Quod expresse damnat Gal. *8. metho. cap. 4.* his verbis: *Periculum vero est etiam, ne, quæ foras trahunt, vnà cum ijs, quæ obstruunt, etiam aliud quippiam attrahant: &, quæ ab interno sursum feruntur, aliquid secum in ijs, quæ in vasis continentur, rapiant. Quod ipsum, si tenax sit, & crassum, obstructionem planè geminabit.* Et paulo post subdit: *Quod si per meatus angustos est transitus, multo profectò magis retineri.* Neque est recipienda altera Saxoniæ responsio, qui eodem capite dicit, vesicantia obstructionem non augere. Nam vt calida sunt, rarefaciunt: vt tenuium partium, abstergunt: vt siccantia, putredinem amouent. Non est, inquam, recipienda. Nam ipsemet Saxon. *lib. 3. eodem cap. 1.* dicit, vesicantia, quamquam calida & sicca, interiores partes non calefacere, sed tantum extimas. Ea igitur crassos succos non calefaciēt, vel abstergēt in penitioribus venis reconditos, vt indè ad cutim liquatos extrahant. Sed concedamus, calorem illorum ad altum penetrare, (qua ratione febri aduersissima vesicantia esse suprà monstrauimus,) nullo modo ita liquare poterunt succos crudos, crassos, ac lentos, vt illi per venarum capillarium angustias ducti non obstruant, & retineantur: quando succi crudi, & crassi etiam in amplioribus vasis detenti à calore vehementi non fundantur vel dissoluantur, vt liquescant, sed in lapidem transmutentur. Ita Gal. *3. aphoris.*

Vrinæ subiugales quid significent.

Calore vehementi succi crassi & crudi non dissoluuntur.

*3.aphorismor.26.*inquit: *Lapis verò maximè propria passio est talium puerorum, vt qui ob edacitatem non paucos crudos humores coaceruent, ex quibus pars crassior vnà cum vrinis ad vesicam perueniens, fit lapidum generationis materia. Accidit altera caussa, vehementia caliditatis.* Quod eo promptius euenire potuit in caussa nostro, vt succi obstruerent qui non per vesicę amplitudinem, sed per venarum angustias ducerentur. Quæ venarum angustia tanti est, vt sæpe ex ea, & succorum crassitie renes obstruantur, & lapides generentur, vt *3.aphoris.31.*docet Gal. Accedit, quod si calor summus succos crudos, & lentos rarefaceret, abstergeret, atque dissolueret; tunc tumores scirrho à medicamentis summè calidis, & tenuium partium, qualia sunt vesicantia, commodè curarentur. Contradicit tamen hoc Galen. qui *2.ad Glauc.cap.4.* inquit: *Si quis igitur medicamenta vehementer dissoluentia induratis corporibus adhibuerit, quæ manifestam faciunt scirrhi diminutionem, breui tempore sperabit perfectam curationem, non verè, ignorans, quod residuum passionis hoc curationis modo incurabile redditur. Tenuiori enim ex eo dissoluto humore, residuum exsiccatum lapidis duritiem assequetur.* Vnde *cap.eodem* malactica commendat, non calida tenuium partium. Ad extremum, si conducunt vesicantia medicamenta succis crassis extrahēdis, citra maioris obstructionis damnum, ex eo quia partes, per quas illos extrahunt, rarefaciant, & illos abstergant, ita vt quo ad humores, & quo ad vias corpus fluidum reddant: tunc illud multo magis præstabunt balnea in febre à succis crassis & lentis producta, Præsertim post vniuersalem purgationem. Balneorum enim est vtilitas, excrementorum vacuatio, æqualis per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tensorum relaxatio, densatorum fusio, vt refert Gal. *10.meth.cap.10.* Sed balnea in febre ardenti à salsa pituita etiam post purgationem damnat Galenus *lib.3.acut.com.62.* vbi postquam dixit iuuare balnea, si purgato corpore exhibeantur, tandem habet hæc verba: *Verum si ardens febris ob salsam pituitam putrescentem oriatur, aduersissimū illis esse balneum scire oportet. Neque enim pituitosus humor, vt biliosus, per cutim euacuatur, propterea quod tùm crassus tùm glutinosus sit.* Hæc Galenus.

In scirrhosis tumoribus quibus vtendum medicamentis.

Balneorum vsus & vtilitas.

Suſpecta erant veſicantia. Nam Galenus, Paulus, Aetius, Oribaſius, & Celſus, in multis morbis frequenter, in febre vero peſtilenti ad venenum euacuandum, vel diuertendum, illis nunquam vſi ſunt.

CAP. XX.

Acribus uando & ibi vſi veteres Medici.

SVſpecta meritò erant phænigmata: nam veteres Medici, quibus erant valdè perſpecta, & qui multis in morbis ſinapiſmis, cauteriis, & veſicatoriis vtebantur, in febre peſtilenti ſinapiſmis raro, veſicatoriis nunquam vſi ſunt. Cæterum quod illa nouerint, & adminiſtrauerint, eſt euidens. Quandoquidem venenum morſu, ictuque per cutem inditum, extrahendum eſſe medicamentis acribus dicit Galen. *lib. de ſect. cap. 4.* Deinde, ſuccos ad caput, & viſcera confluentes, reuellendos docet, artubus acria imponens, *lib. de reuul. cap. 2. & 1. in Hippocrat. de hum. comm. 13.* Rurſus, ad ſalſam deſtillationem diuertendam, imponit capiti ceratum ex thapſia, *5. methodi capitul. 14.* & medicamentum ex fimo columbino, *libr. eodem capitul. 13.* Prçterea, in ſtomachi inflatione, brachiis, & tibiis veſicas excitat, de ſententia Archigenis, *8. de comp. medic per loca capit. 4.* Ad hęc in emaciatis carne implendis dropaces laudat. *6. de tuen. valet. capit. 8.* & rubificantia ex thapſia, *3. de offic. med. comm. 32.* Adde quod in dolore iſchiadico calaminthам affectæ parte illinendam eſſe commendat, *7. ſimp. capit. de calam.* Tandem, dolores igne, & vſtoriis medicamentis curari quoque affirmat *6. in 6. epidemior. comm. 5.* Paulus in cura melancholiæ ſinapi, & acribus ſmegmatis, & dropacibus in dorſo, & ventre vtitur, *lib. 3. cap. 14.* In fluxionibus ad oculos, & thoracem, vſtionem circa medium capitis præcipit *lib. 6. capit. 2.* Oribaſius *lib. 8. cap. 19.* medicamentis acribus reulſionem parat. Cornelius Celſus in doloribus capitis ſinapim temporibus admouet *lib. 4. cap. 2.* Aëtius *tetrab. 2. lib. 2. cap. 28.* agens de reſolutione, affert cerata ex pyrethro, baccis lauri, nitro & ſinapi: commendat ſmegmata ex fæce vini, euphorbio, adarce: probat dropaces, & combuſtionem multiplicem, tum igne, tùm medicamentis inductam. Et *lib. eodem capit. 50.* agens de cepha-

cephalæa, & hemitrania, ex Archigene, & Galeno laudat cataplasma ex cantharidibus. Verum hi affectus sine febre putrida sunt, & ab ea omninò diuersi, & illorum aliqui, febre superueniente soluuntur. Cantharides vero, quas Aëtius laudat, non in febre, sed in cephalæa, & hemicrania commendat. Neque illas absolutè admouet, sed proprio antidoto illarum maleficium refrangit, (venenosas enim fore protulit *lib.4.tetrab.4.capitul.49*. Ideo *lib. 2.tetrab.2. capitul.50.* vbi eas proposuit, subdit: *Oportet autem munitam esse vesicam per lactis potum, ac irrigationem.* Rursus, in febribus aliquando sinapismis veteres vsi sunt, rarò tamen, & ad duas intentiones: Vel ad calorem reuocandum, externis partibus summè refrigeratis: vel ad succos frigidos alterandos, & deriuandos. Vesicatoriis vero ex cantharidibus, vel ex aliis venenis calidis, nec ad calorem euocandum, vel excitandum, nec ad succos frigidos deriuandos, nec ad euacuandum venenum à profundis ad cutem, vel ad eius fluxionem diuertēdam vsi sunt vnquam. Aëtius in cardiaca affectione cum febre, vbi refrigerantibus spiritus qui exoluuntur, retinere, ac sudores reprimere docuit, ad naturalem calorem reexsuscitandum partes extremas summè refrigeratas fece vsta, sulphure, pyrethro, ac sinapi, & similibus conspergit, *tetrab.3. lib. 1.cap.1.* Et in peste *tetrab.2.lib.1.cap.65.* si partes extremæ, & superficies frigidæ fuerint, ardor vero occupauerit interiores partes, fomenta calfactoria adhibet, vt calorem ad corporis superficiem trahat, & quibuscunque id fieri potest modis, consulit exsequendum. Sunt verò præter fomenta alij modi, frictiones, inunctiones, balnea: & sinapismi. Igitur sinapismos Aëtius in duobus prædictis casibus admittit, præter hos vero penitus interdicit, *tetrab.1.lib.3.capitu.181.* cum inquit: *Cataplasma ex sinapi, sinapismum vocare omnes solent. Est autem efficacissimum auxilium. Verum in acutis morbis non valde probatur, paucis exceptis. Nam in solis segnioribus, & pigrioribus, & in acutis affectionibus immersis sinapi vtimur.* Igitur multo magis exploderet vesicantia ex cantharibus, euphorbio, & reliquis venenosis parata. Ea enim præterquam quod quarto ordine calida sunt, venena sunt toto genere deleteria, vt supra monstratum est. Venena vero non sunt

Sinapismis cur & quādo vsi sint veteres.

Sinapismi non probantur in morbis acutis.

sinapi.

sinapi, nec fex vsta, nec pyrethrum, nec sulphur, & quæcũque ab Aëtio ad calorem euocãdum parantur in affectione cardiaca. Sed Paulus, (inquit Saxonia *lib. 2. de phan. c. 25.*) in febre pestilenti vesicatoria admittit. Nam *lib. 2, capit. 36.* inquit: *Quibus eiusmodi adsunt symptomata, calorificis opus est, quo vlceretur præ ardore vndique corpus, & si qua alia via possibile est ex imis corporis partibus ad exteras feruorem euocari atque deduci.* At vlcerant, inquit Saxonia, medicamenta vesicantia. Verum, quæ affert Saxonia, suam sentẽtiam non tuentur. Primum, Paulus calorem euocare intendit à profundis ad extremas partes refrigeratas, non venenum euacuare, vel reuellere. Probant hoc eius verba, cum dicit: *& si qua alia via possibile est, ex imis corporis partibus ad exteras calorem euocari atque deduci.* Igitur non phænigmis, sed sinapismis id exsequitur, vt fecit Aëtius, vel fomentis calidis, vt Razes; non vesicatoriis ex euphorbio & cantharidibus, quæ nec Paulus loco allegato, nec Razes, nec Oribasius, nec Aëtius admisit, vel explicauit. Præterea illa verba, (*vt exulceretur præ ardore vndique corpus.*) Quæ Saxonia Paulo ascribit, in germana versione contextus Pauli non reperiuntur. Nam Ioannes Guinterius Andernacus vir summi iudicij, & eruditionis legit, *His calefacientia requirunt remedia, vt calor per totum corpus distrahatur, ac si alio quopiam modo ab internis foras poterit elici.*) Quæ lectio eò verior est, quo Aëtius, qui agens de peste, eadem prorsus verba refert. Ac Paulus non inquit, vt exulceretur corpus, sed (*His calefactoria fomenta adhibere oportet vt calor ad superficiẽ corporis trahatur.* (Quod confirmat Auicennas, *libro 4. fen. 1. tract. 4. c. 4* referens eadem symptomata, inquit: *Tunc necesse est administrare coopertura m trahentem caliditatem exterius.* Galenus tandem, etiamsi nullum librum de peste peculiarem confecerit, qui ad nos peruenerit, vt neque Hippocrates, referente Galeno *1. acut. com. 9.* tamen in comm. de morbis epidemicis, & reliquis suis libris sparsim de peste & febre pestilente loquutus est. Nullibi vero proposuit vesicatoria ex rebus summè calidis, ac venenosis parata, pro curatione pestis, & febris pestilentis. In lethargo, cæteris non conferentibus, ad sinapim vspue ascendit, ad thapsiam vero, vel euphorbium, vel cantharides nõ progreditur. Libro enim

13. meth.

13.meth.*c.21.*inquit:*Mox etiam palatum valentibus & acribus medicamentis vngemus. Ab his vero etiam sternutatoriis vtemur. Tum capiti similes præsidiorum facultates imponemus, adaucta semper eorum ad ipsum vsque sinapim vehementia.* Cantharides ergo planè excludit, qui ad sinapim vsque acria medicamenta adauget. Palatum sinapi iungeret, cantharidibus certè non inungeret Gal. vt est manifestum. Deinde Galen. in febre pestilenti, quando reuulsionē molitur in affectu, qui lethargū pernicie superat, vt in synope, auxilia explicās pro reuulsione, vesicatoria omittit. Primo ad Glauc. *c.14.* inquit: *Qui inflāmationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatē, animi defectum patiuntur, & in principiis accessionum refrigerantur, his artus fricare fortiter, & calefacere, cruraque, ac manus alligare, ac vigilias, cibique & potus omnimodam abstinentiam præcipere oportet.* Ergo refrigeratas partes calefacit frictionibus, & ligaturis non vlcerat vesicantibus: quæ vtiq; non tacuisset, si opportuna putasset. Præterea si vlla fuit febris pestilens, in qua vesicantia admoueri debuissent, pro reuulsione, & euacuatione succi malignissimi, à profundo ad cutim, certè fuit Critonis, de qua dixit Hippocrat. *3. in 1. epidem. 26. Altero die tumor toto pede, & ad talum subrubens, cum contentione pustula nigra: febris acuta: valdè insaniit: deiectiones meræ, biliosæ, subcrebræ fuerunt. Periit postridie, quam ægrotare cœperat.* Vbi Galen. in commen. *Nam ex illis, quæ scripsit, copia humorum permulta fuisse videtur, quos natura est à principibus partibus ad crus molita deponere. Cum autem id membrum omnem capere non valeret superfluitatem, residuum recurrens ad caput ascendit: quod quia erat malignitate furiosum, delirium excitauerit.)* Profecto naturæ conatus expellentis succos noxios ad crus apertè indicabat, vt ars per eandem viam ignobilem, ad quam vergebat, illos deduceret, & euacuaret: Non minus & succi à crure recurrentes ad cerebrum extrahi omninò debebant, cutim, vt inquit Saxonia *lib. de vesicatoriis folio 13.* vrendo, secando, relaxando, ac vlcerando, ne ad cerebrum regressi ægrum necarent, vt verè fuit. Itaque Galenus, qui *in comm.* miratur, cur Hipp. huic venam non secuerit initio morbi, multo magis mirari debuisset, quid caussæ fuerit, quo minus cruri vesicantia non apposuerit, si vtilia pro

veneno

veneno extrahendo ab alto ad cutim in febre pestilenti iudicasset, non potius calore, & veneno perniciosa. Accedit, quod Galen. nullo modo in febre pestilenti, & vniuersaliter in quouis morbo, ad venenum ab alto ad cutim euacuandum, vesicantia ex rebus venenosis confecta admittere poterat, qui apertè venenum in veneni euacuatione ad cutim damnauit, *5. simp. cap. 18.* vt supra *cap. 16.* mõstrauimus. Ad extremum, in febribus pestilentibus, quæ interno magno flagrant incendio, quamquam tangentibus neque calidæ & perurentes videantur, vt testimonio Thucydidis probat Gal. *1. in 6. epid. 29.* vesicantia ex cantharidibus, vel euphorbio, vel thapsia, vel aliis quarto ordine calidis confecta nunquam admitteret Galen. qui *10. meth. cap. 10.* calorem dicit omni febri esse inimicum, & *2. de compos. med. per locos cap. 2.* loquens de medicamentis ab alto attrahentibus, etiam in morbis à febre diuersis, vt in capitis dolore, *Ego vero,* inquit, *cum intemperies quapiam humida & frigida, aut per se ipsam in partibus affectis adest, aut propter eiusmodi humorum frigiditatem fuerit oborta, ex sinapi & thapsia ac similibus adhibeo pharmaca, calidis vero & siccis non adhibeo.* Et *6. de tuend. val. capit. 9.* *Nec committere,* inquit, *vt quod nonnulli medicorum faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex thapsia & sinapi componitur, applicant, id ipsi quoque faciant: quando, si ex calida intemperie caput male habet, talia medicamenta noceant.* Quod confirmat *13. method. capitul. 22.* Manifestum igitur ex dictis est, cognouisse Medicorum Principes hæc vesicatoria, & ab eis in febre pestilente omnino se continuisse.

Improbanda erant vesicantia in nostro ægroto. Nam vtilem excretionem noxij humoris, per aluum à natura inceptam, diuertebant, & impediebant.

CAP. XXI.

Rationem, quam in consultatione attuli, à fluxu per aluum, quem natura iam erat aggressa, desumptam cautè suo libro tacet Marcellus, non ignarus quòd ea mani-

manifestè conuinceretur. Quamquam enim vesicantia numeris omnibus vtilia pro diuersione fuissent, vt contrà maximè erant perniciosa, & in ægroto nostro nullo modo admoueri debebant. Eo enim tempore inceperat natura per aluũ noxos humores morbi caussam excernere. Non erat igitur, vt eius motus vesicantibus interciperetur, & succus ad cutim transferretur. Excernebat enim natura per intestina, loca crassioribus succis pituitosis, & atrabiliariis aptissima, decliuiora, patentiora, vt docet Galen. *4. aphorismo. comment. 9.* ad quos excernendos cutis erat omninò inepta, vt supra monstratum est. Quamquam autem antè coctionem ea excretio esset, Marcellum tamen latere non debebat, in illa constitutione ferè omnes, quibus aluus copiose, excreuit, licet cum signis cruditatis, fuisse tandem liberatos, Procedente enim alui fluore indies, coctionis signa superueniebant, & morbus euadebat clementior, & tandem alui fluore perseuerante, perfectè, fideliter, & integrè ægri iudicabantur. Docet autem Hippocrat. *3. prognost. 38.* quod *Oportet impetum populariter grassantium morborum considerare, nec non tenere temporis conditionem.* Cui rationi respondebat in collegio Marcellus, vesicantia cuti apposita à capite quidem diuertere, non autem ab intestinis. Quasi medicamenta illa cum electione operarentur, vel non essent differentiæ diuersionis sursum, deorsum, ante, retro, intus, extra, & è conuerso. Quod si putaret vesicantia solum succos tenues trahere ad cutim, non crassos, cogeretur fateri, esse illa pro comate omnino inutilia, cuius gratia tàm enixè illorum vsum commendabat. Nec est audiendus, Saxon. qui *lib. 3. de phan. capitul. 20.* affirmat, alui fluxum febrium pestiferarum proprium, colliquatiuum, vllo vnquam tempore vtilem esse: cum Galen. *3 in 3. epidem. 57.* dicat: *Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex iis, quæ per aluum vacuantur, omnes propè peremit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatim vocitant.* Non est, inquam, audiendus. Loquitur enim Galen. non de quacunque peste, vel febre pestilente: sed solum de illa, quam *3. epidemi.* enarrabat. Variȩ autẽ sunt morborũ constitutiones, diuersi pestis impetus,

Fluxus colliquatiuus cuius febris pestil. symptoma

tus, differentesque analogiæ, vt *primo lib.* à nobis monstratum est. Neque verò *3. epidem.* dicit Galen. fluxum colliquatiuum symptoma esse perpetuum pestis, quæ vulgaris est morbus perniciosus, sed febris, quam pestilentem priuatim vocitant, cum mortales vel citra pestem corripiat: hæc autem sporadica est. Neq; huius dicit esse perpetuò symptoma, sed quod esse videatur. Quod si in febrib. verè pestilentibus fluorem vllo vnquam tempore vtilem esse statuat Saxonia, tunc sua vesicatoria vllo vnquam tēpore febri verè pestilenti cum fluore, erunt vtilia, cuius oppositum monstrare intendit. Ea enim cum calida sint in quarto ordine, & acria, colliquationem augebūt. Hoc docet Galen. *4. simp. c. 19.* vbi loquens de acribus, inquit: *At primum exactè ipsos calidos dicimus, deinde exedentes, vrentes, crustam molientes, ac denique etiam colliquantes, eosque omnes vel cuti impositos esse huiusmodi.* Quo capite inter acria cantharidas numerat: & acerrimum refert esse euphorbium Dios. *lib. 3. c. 80.* Putare item fluorem omnem in febribus pestilentibus vllo vnquam tempore vtilem esse, aduersatur Galeno, qui multas verè pestilentes constitutiones alui fluore iudicatas recenset *&. 4. apho. 21.* ita inquit: *Plurimas vero huiusmodi deiectiones in pestilenti hoc morbo longo conspeximus, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant, quam in aliis saluandis apparebant.* Et *5. meth. c. 12.* inquit: *Cæterum, qui ex pestilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile sanati videntur, quod præsiccatum iis præpurgatumque totum corpus fuerit: quippe cum & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit.* In nostra constitutione, licet ea verè pestilens omninò non fuerit, post septimum diem quibusdam, post nonum multis, aluus fluere incepit, qui ferè omnes alui fluore fuerunt liberati. Consimilem alui fluorem obseruauit Galen. in quadam pestilenti constitutione, retulitquè fuisse salutarem *lib. de atra bile c. 4.* vbi inquit: *Simile quoque iis effecit longa hac prolixiore æstate pestilentia orta: nec paucis eorum, qui seruati fuere, nigrorum dictorum excretio per inferiorem ventrem fiebat, die maxima ex parte, nono, vel septimo, vel vndecimo, &c.*

Alui fluor an vtilis in pestil. febre.

TERTIA PARS DISPVTATIONIS.

Vesicantia ægroto nostro non contulerunt, sed offecerunt vehementer. Cap. XXII.

SEd contulerunt vesicantia, inquit Marcellus. Eius verba *lib. suo fol. 76.* hęc sunt: *Vesicantibus spatulis, brachiis, & suris applicitis, statim & sine vllo dolore morbi caussa reuelli cæpit, delirium, & coma leuari, atque etiam febris. Vndecima vero die, natura fortior reddita, & per aluum & per vesicam multa deiecit; vrinæ duodecima die coloratiores visæ fuerũt, coctioresque: noctu plurima minxit, delirium cessauit, & pulsus magis eleuabantur: decimatertia die noster Archiater Byssus Panormo Messanam accedens eum inuisit, & dum capitis illum grauamine detineri audiuisset, hirudines naribus apposuit, & decimaquarta iudicatus fuit morbus.* Hæc Marcellus. Verum, pace sua, factum inuertit: quandoquidem ab appositis vesicatoriis alui fluor desiit, stomachus dolere cæpit, febris increuit, coma fuit effectum profundius, (humoribus, qui per aluum excernebantur, retractis ad focum febris, ac vaporibus, qui ab eo ad caput eleuabantur, multiplicatis:) vt medici cogerentur apponere fomenta ex decocto sinapis, vrticæ, rutæ, origani, & euphorbij: mox vero & assam fætidam naribus ægri; castoreum, & capillos humanos aceto acerrimo madefactos coronali suturæ. Quibus triduo insistentes, & omnino nihil proficientes, tandem venas narium, admotis hirudinibus, aperuêre, & sanguinem pro virium tenore eduxerunt, à cerebro abeuacuantes, ac deriuantes. Et ita incepit tandem morbus fieri mitior, & natura ad alui excretionem, à qua fuerat impedita, redire. Vrinæ coctionis notas insinuarunt, ac tandem alui fluore perseuerante ad diem vsq; vigesimum, morbus fuit integrè iudicatus. Hæc ita contigisse vt narro, Illust. adolescens qui tunc ægrotabat, astantes & medici rectè cognouerunt. Remedia ita fuisse instituta, vt retuli, testis esse potest locupletissimus magnificus Antonius Ferrara vir diligens, qui ea omnia remedia composuit eo ordine, quo relata sunt, & illorum

Symptomata ex vesicatorio apposito.

exemplar suis librorum monumentis conseruat. Ego vero Marcellum nullis testibus potioribus, quam propria confessione conuincere decreui. Fatetur die nono ægritudinis fuisse admota vesicantia: die decimotertio è naribus per hyrũdinis sanguinem euacuatum. Ergo à vesicatoriis morbus non modo non solutus, vel redditus mitior, sed omnino vehementior effectus est. Nam si vesicantia contulerunt tàm egregiè, vt illis appositis statim coma & delirium cessauerint: cur medici eruditi venas narium secauere exacto triduo? Respondet; nã capitis grauamine ægrum detineri audiuerunt. Verum, si vesicantia statim ac apposita sunt, potuerunt coma & deliriam auferre, cur & capitis grauitatem propulsare non potuerunt? Si quæ virtus potest maius atque potentius, eadem potest minus atque debilius in eodem genere multò facilius superare. Vel cur perseuerante vesicantium reuulsoria facultate ex vlceribus, quæ in tibiis, brachiis & spatulis illa excitarunt, (à quibus, dicit Marcellus *lib. eodem fol. 77.* ad diem vsque vigesimum plurima fuisse expurgata,) triduo capitis grauitas leuari non potuit? Vel cur nouum auxilium, vt est venæ narium sectio, moliti sunt viri prudentes, si tàm contulere: Contra vulgatum Hippocrat. axioma, quo præcipit, *Omnia secundum rationem facienti, etiam si secundum rationem non eueniat, non esse transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est. 2. aphorismo. 52.* Accedit, quod vehementiores affectus sunt coma & delirium, quam capitis grauitas. At si, de quo minus videtur inesse, in est, ergo & de quo magis. Non erat igitur, quod Medici ad noua auxilia confugerent, si vtilitas, quam vesicatoriis refert acceptam Marcellus, vera fuisset. Rursus, si intimius aduertamus Marcelli verba, pariter vtilitatem vesicantium, quam persuadet, euertur. Inquit enim: *Vndecima die natura fortior reddita, & per aluum, & per vesicam multa deiecit: Vrinæ duodecima die coloratiores visæ fuerunt, coctioresque, noctu plurima minxit, delirium cessauit, & pulsus magis eleuabantur.* Et mox concludit: *& decima quarta iudicatus fuit morbus.* Hæc, quæ refert, si vera sunt, Medici venæ sectione crisim vel inchoatam, vel saltem indicatam intercepissent, aduersus vulgatissimum præceptum Hipp. *1. aphorismor. 20. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè,*

neque

neque mouere, neque nouare aliquid, siuè medicamento, siuè aliter irritando, sed sinere. Quod cum dici non debeat de Medicis viris celeberrimis, consequens est, vtilitatem vesicantium, quam Marcellus prædicat, purum figmentum eius fuisse. Hæc demonstrari facilè possunt. Si vesicantia nono die apposita contulerunt ita, vt quæ refert euenisse ab vndecima, ad decimam quartam diem vera sint: euidens est, quod crisis fuit inchoata die vndecima, & completa decima quarta, vel vndecima dies fuit indicatoria crisis decimæ quartæ. Ad crisim enim requiruntur coctio humorum, eorundem excretio per loca conuenientia, in die critica, cum conferentia & tolerantia, vt colligitur ex Galen. *1. aphorismor. 20.* Ergo si à vesicatoriis natura fortior reddita per aluum, & vesicam multa deiecit, vrinæ coctiores redditæ sunt, delirium cessauit, pulsus effecti sunt validiores, & tandem decimaquarta solutus est morbus; manifestum est crisim eo tempore naturam molitam esse. Sed si hæc ita fuerunt, cur Medici præstantes die 13. medio inter 11. & 14. natura criticè operante, venas narium secauerunt? An non manifestè errarunt, si Marcellus vera dicit? An vnum capitis grauamen inducere poterat viros in artis operibus apprimè exercitatos, vt sanguine è venis narium misso, crisim vel indicatam, vel inchoatam, omninò tamen imminentem interturbarent? qui probè scirent longè grauiora symptomata crisim comitari, & antecedere. Quæ vbi post coctionem appareant, peritum medicum neque terrent, nec ad operandum impellunt. Dicebat Galenus *primo aphorismor. commen. 12. Aliud est signorum genus, quæ indicatoria ab ipso nominantur: sunt autem hæc, sudores, sanguinis fluxus, rigores, multum alui profluuium, & similis vomitus, dolor capitis repente inuadens, difficultas spirandi, &c.* Quæ ibi refert, omnia quidem capitis grauamine grauiora, in quibus tamen non audent Medici magna remedia adhibere, sed naturæ iudicium imminens expectant, & obseruant. Rursus, non latebant peritissimos medicos verba Galen. *1. aphorismor. 21.* quæ sunt: *Oportet itaque medicum naturæ inclinationem animaduertere, &, si quidem idonea fuerit, subministrare, & adiuuare:* Sed si vera sunt quæ

Ad crisim quæ requirantur.

Signa indicatoria.

Medico naturæ inclinatio obseruanda.

Marcellus profert, natura ab vndecimo die per aluum & vrinam proſpere excernebat, ab excretione morbus fiebat clementior, virtus validior: ergo debebant Medici nihil operari, vel ſaltem naturam iuuare, ſi diminuta videretur eius actio, per eandem viam, qui bene ſciebant vulgatum aph. *prima particula 21. Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit.* Errasſent igitur grauiter, qui non modo naturam ſanguinis miſſione irritaſſent, dum morbum iudicaret, mouentes ipſi dum natura moueret. Verum multò vehementius deliquiſſent, operationem moliti omninò contrariam actioni naturæ rectè operantis; excernente natura per inferiora, per ſuperiora euacuantes ac diuertẽtes criticam euacuationem. Surſum enim & deorſum contrariæ ſunt diuerſiones, vt ex Galen. monſtratum eſt. Ad hæc, ſi ad vnam capitis grauitatem tollendam venas narium ſecaſſent, tunc medici rationales ſine indicante, auxilium nullo modo indicatum adhibuiſſent. Magnum auxilium eſt ſanguinis miſſio, ex Galen. *2. apho. 29. & 5. eiuſdem comm. 55.* Ergo indicari debebat à morbo magno, vt probat Galen. *meth. capitul. 15. contra Eraſiſtratum.* At capitis grauamen non modo morbus magnus non eſt, ſed quandoque nec morbus quidem, cum ſæpe nullas operationes naturales, vel animales offendat. Nec magnus ratione partis affectæ: ſic enim & leuis dolor capitis, vel deſtillatio magni erunt affectus, magnaque indicabunt remedia. Neque vero ſi magnus fuiſſet, vbi natura vincente ad declinationem deduceretur, magna requireret vltra remedia. Circa initium enim & finem leuiora ſunt omnia, *2. aphoriſ. 30.* & in vniuerſali dedeclinatione affectus à natura eſt victus. Igitur illud capitis grauamen à comate derelictum, nullum magnum præſidium requirebat, ab auxiliis, quæ coma propulſarunt, nouum atque diuerſum. Ad extremum maior affectus eſt pleuritis benigna capitis grauamine; cum hæc ſit de genere inflammationis in thorace, ſeu pleura, illud à ſolis flatibus fieri poſſit. Inquit tamen Gal. *3. in 6. epidemio. 44. Sed cum morbus lateris mitis admodum foret, neceſſe non erat:* (ſanguinem mittere intelligit) *Ideo neque id genus remedij adhibuimus; atque euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, quòd & aliis huic morbo congru-*

Sanguinis miſſio auxilium magnum.

In pleuritide mitiore non neceſſe ſanguinem mittere.

uentibus remediis citra vena sectionem leuatus est. Dicen-
m ergo potius vt ferè fuit, medicos illustres omni ra-
one, morbo magno indicante, venas narium aperuisse:
sicatoriis enim adauctus fuit morbus. Nam intercepta it alui fluxio, retracti humores, geminata obstructio, ducta putredo, & febris incēdium atque pernicies. Quę iuueni non contigissent, ægrum facile necassent. Ideo ad erebrum non modo vapores multiplicati sunt, sed post-odum & humores firmati, qui ex comate lethargum, & x intemperie inflammationem concitarunt. Quare fir-nati humores deriuationem indicabant. Ea enim humo-um, qui iam membrum obsederunt, medela est ex Galen. *ad Glauconem capitul. 2.* Igitur ad cerebrum in summo-liscrimine positum iuuandum venas narium secari cura-nere. Nam *caput dolenti, aut circum dolenti pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum sol-uit. 6. aph. 10.* Hæc volui dixisse, nè tyrones, his Marcelli ex-emplis irretiti, vesicatoriis temerè vtantur ad ægrorum perniciem.

Nocumenta ex vesicatòrio apposito.

QVARTA PARS DISPVTATIONIS.

Ratio prima Saxoniæ diluitur, & ostenditur, non omni febri putridæ deberi reuulsionem, vel deriuationem ad cutim, neque vesicatoria.

CAP. XXIII.

HErcules Saxonia *lib. 2. de phan. à cap. 22. ad 54.* longa verborum serie pro vesicatoriis pugnat. Eius rationes breuissimè referemus; ac pro vna veritate explicabimus. Primò sic ratiocinatur *c. 22.* Nulla est febris putrida, siue continens sit, siue per circuitum repetat, quę reuulsionem vel saltem deriuationem non indicet: At tam reuulsio, quam deriuatio omnium commodissimè fit ad cutim, & per vesicantia. Nulla igitur est febris putrida, quæ vesicantibus non indigeat. Maiorem probat; nam febres putridæ, quæ per circuitum repetunt, oriuntur ex fluxione humorum, *ex Galen. 2. de diff. feb. capitul. vltimo.* Subdit: in eis esse dispositiones inflammationi similes. Inflamma-

Ratio Saxoniæ.

tiones verò fieri ex humorum fluxione, *13. meth. cap. 3. lib. de tum. præter naturam cap. 2. de inæqual. intemper. cap. 3.* Et fluxionibus deberi reuulsiones, *ex Galen. 3. meth. capitu. 11.* Minorem probat *cap 24. eiusdem libri.* Nam Galen. *lib. de humoribus & reuul.* ad fluxiones in caput & thoracem tendentes acria, quæ nos, inquit, vesicantia vocamus, manibus & pedibus imponit. Probat autem in his fluxionibus adesse febrem. Non enim indigerent partes principes reuulsione tam valida, nisi vel phrenitidem, vel lethargum, vel pleuritidem, vel alios consimiles graues affectus incurrerent. Hi vero sine febre non sunt. Cæterum huius argumenti neque maior propositio vera est, neque minor. Primum, non est verum, nullam febrem putridam esse, quæ reuulsione vel saltem deriuatione non egeat. Deinde falsum est, reuulsionem & deriuationem commodissimè omnium ad curam fieri. Ad extremum nec verum est, omnium auxiliorum, quæ reuellunt vel deriuant, commodissima esse vesicantia. Hæc tria facili negocio demonstrantur. De primo. Febris putrida nec reuulsionem indicat, nec deriuationem. Nam vt febris est, indicat refrigerationem, *ex Gal. 8. meth. cap. 1. & 9. meth. c. 14. & alibi sæpe.* Putredo vero, si ex ea febris accendi contingant, reuulsionem ad loca contraria nō indicat, nec ad vicina deriuationem, sed inquit Gal. *lib. artis med. c. 89. Indicatio in huiusmodi est euacuatio & alteratio. Hæc quidem, quæ putredinem finiat manente adhuc caussa: euacuatio vero quæ totam à corpore substantiam educat.* Et *11. method. capit. 13.* inquit. *At vero in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio, ex aduerso respondent. Ipsius vero febris refrigeratio oppositio est.* Rursus causæ, nempe humori febrem constituenti, necessario debetur reuulsio, vel deriuatio. Nam si succus in foco febris sit firmatus, nullo modo indicat reuulsionem, *ex Galen. 5. meth. capitu. 3. & 2. ad Glauc. capit. 2.* Si firmatus & in phlegmonem versus, qui sit concoquendus, nec deriuationem requirit. Nam *2. in 6. epidem. 31. Quæ concoquenda sunt, occludi oportet. Contraria vero siccare & aperire.* Deinde si firmatus sit succus, & ad bonum concoctione reduci idoneus sit, nec deriuandus, nec diuertendus. In hunc sensum consuluit Hippocrat. *2. aphorismor 30.* in sta-

Refutatio rationis Saxoniæ.

1. An febris putrida reuulsionem aut deriuationem requirat.

Humorum putredo vt curanda.

Concoquenda occludenda sunt.

statu quiescere melius, vt *2. eodem comm. 29.* docet Gale. Auctor *4. acut. 44.* dixit, corpus quieti permittere, vt *in comm.* docet Galenus. Præterea, neque verum est, omni succo fluenti etiam ad focum febris, conuenire reuulsionem. Quid enim si fluat ad adenas, & in eis putrescat, & febrem producat? præsertim si dolor in parte non vrgeat, & corpus plethoricum non sit, nec cacochymum: ad Galen. tunc diuerteret? qui relaxantibus curat partem ita affectam *13. method. cap. 5. & cap. 15. aduersus Attalum methodicum.* Rursus, quid si malignus succus à parte principe demandetur ad eius emunctorium? vt a cerebro ad parotidem concitandam: an Galenus fluentem illuc humorem interpellaret? qui ad affectam partem trahendum consulit *3. de comp. medic. per locos capitul. 2.* vt & Paulus *lib. 3. cap. 23.* Aëtius *tetrab. 2. lib. 2. capitul. 89.* Auicennas *lib. 1. fen 4. capitul. 25.* Tandem, quid si humores perniciosi producantur in aliqua patte ignobili, ibidemque perniciosos tumores concitent? an Galen. eos inde diuerteret? qui oppositum docuit *2. ad Glauc. cap. 2. 14. meth capit. 10.* vt & Paulus *lib. 4. cap. 25.* Aëtius *tetrab. 4. lib. 2. capitul. 58.*

Non cuiuis succo fluenti conuenit reuulsio.

De secundo, neque verum est, humori fluenti ad febrem constituendam, vel fluxo seu firmato, qui eam continet, si reuulsio vel deriuatio conueniat, ad cutim omnium commodissimè conuenire. Nam si turgeat ad cutim, nō est neque reuellendus, neq; deriuandus, sed omninò extra corpus purganti medicamento per ventrem inferiorem educendus, *1. aphoris. 22. & 4. eiusdem 10.* Ita si fluat ad caput, per inferiorem ventrem est expurgandus, ac diuertendus, *ex Galen. 4. meth. capitul. 6. & 13. eiusdem capit. 11.* Ita si à capite fluat ad thoracem, ad pleuritidem excitandam, medicamento purganti reuellit extra corpus, antequam in pectore firmetur, *Gal. 4. acut. comm. 76.* Ita si fluat ad fauces pro angina constituenda, tum secta vena, tum medicamento purgante reuellit *4. acut. 30.* Ita crassum succum, de parte ad partem delatum, ad cutim Galen. non reuelleret, vt patet ex his, quæ dixit *3. acuto. 62 & lib. de const. artis capitul. 19.* Ad extremum, si ad humorum fluentium reuulsionem commodissima omnium est cutis, cur Galen. pro reuulsione facienda docuit loca conuenientia fore, sursum, deorsum, dextrum, sinistrū, ante, retrò,

2. An reuulsio & deriuatio omnium cōmodissimè ad cutim fiat.

intus, extra, *5. methodi capit. 3.* Quod Oribasius confirmat *lib. de reuul. cap. 19.* de mente Galeni, quamquam intus & extra ad tres priores differentias referri possint. An non satius fuisset ad vnam cutim? si ad eam fieret reuulsio omnium commodissimè, vt putat Saxonia. De tertio, neque verum est, omnium auxiliorum, quæ ad cutim reuellunt vel deriuant, vesicantia esse præstantissima. Ea enim omnium sunt maximè perniciosa, vt secunda parte præsentis disputationis abundè monstrauimus *à cap. 7. ad 20.* Accedit, neque verum esse, Galen. *lib. de humoribus*, dum acria artubus imponit ad reuellendum succos fluentes ad cerebrum & thoracem, ea vesicatoria intelligere, quæ parat Saxonia. Primo quidem per acria nullo modo intelligit cantharides, thapsiam, euphorbium, chalcitem, hydrargyrum, & alia huius ordinis acria: Sed his multo mitiora, vt synapim, pyrethrum, staphisagriam, & huius generis reliqua, vt explicat Oribasius *lib. de cucurb. & reuul. c. 18.* & Gal. *lib. 1. in Hipp. de hum. com. 13.* vbi hæc acria, tum pedibus ac manibus pro reuulsione, tum naribus, ori, palato & gurgulioni pro deriuatione admouet. Qui si illa summe calida venenosa intelligeret, nullo modo admoueret. Rursus, etiam si gratis concederemus, Galenum acria cuiusuis ordinis intelligere; perspectissimum est, ipsum libro de humoribus non loqui defluxione ad cerebrum vel thoracem cum febre, & multo minus cum pestilente, *vt capitul. 19.* monstrauimus. Nec momenti est ratio Saxoniæ, qua id probare nititur, cum inquit: Galenus ibi vtitur validissimis auxiliis reuulsiuis; ergo ad magnas fluxiones morbos concitantes in cerebro vel thorace. Sed magni affectus in cerebro sunt phrenitis, in pulmone peripneumonia & pleuritis, quæ cum febre sunt; ergo in febribus vtitur acribus illis reuulsoriis. Hæc ratio vera non est. Nam etiamsi admittamus, ibi Galenum validissimis vti auxiliis ad validissimas fluxiones magnos morbos concitaturas in cerebro vel thorace: tamen dum infert, magnos affectus in cerebro fore phrenitim, & in thorace peripneumoniam, quæ cum febre sunt; fallaciam committit à simpliciter ad secundũ quid. Sunt quoq; in cerebro magni affectus, apoplexia, & conulsio, quę febrẽ non habẽt, imo illa superueniente soluuntur. Est & magnus cordis affectus febris

3. An vesicantia præstantissima eorum quæ resoluunt, aut deriuant.

febris pestilens cum animi defectu: in eius tamen reuulsione his acribus non vtitur Galenus, sed frictionibus, *vt patet 1. ad Glauc c.14.* Cæterum in affectibus magnis cum febre, si caussa illam producens reuulsionem indicet, magnis quidem auxilijs reuellit Gal. non tamen acribus cuti appositis, sed venæ sectione, & purgatione, vt patet *2. acut. 11. lib. de curand. rat. per sanguinis missionem c.8. & 4. acuto. 30. & 76.* vt supra retulimus. Vtitur enim Gal. acribus pro reuulsione morborum citra febrem, in febre vero his non vtitur. Ratio est: nam acria illa summè calefaciunt & exurunt, *4 symp. c. 19.* talia vero summè perniciosa docuit esse Gal. in febre, vt *ex 10. meth. c.10. & 11. eiusdē c.9. & aliis Gal. locis* monstrauimus *c.11. 12. & sequentibus* in præsenti disputatione. *Acribus quādo vtatur Galenus*

Secunda Ratio Sax. diluitur, fitque manifestum, pestem, & febrem pestilentem priuatam differre genere, subiecto, caussis remotis, & proximis. Vesicantia vero ad venenum extrahedum, neque conuenire in vera peste.

CAP. XXIIII.

Est secunda ratio Saxoniæ, quam profert *c.25.* Pestiferæ febres & vera pestis quandoque nō differunt, nec caussis remotis, nec proximis, nec subiecto, aut genere; semper tamen in essentiali caussa conueniunt. Ergo quæ pro expugnanda pestis proxima caussa accipiuntur, ea quoq; pro expugnanda pestiferæ sporadicæ caussa vsurpari debebūt. At in vera peste vesicatoria ob hanc proximam, venenatamque caussam conueniunt: Ergo eadem in sporadica pestifera erunt administranda. Sed hæc ratio multifariam peccat. Primo verum nō est, pestem veram, & febrem sporadicam pestilentem quandoque conuenire genere, caussis, & subiecto. Secundo, nec in caussa proxima essentiali perpetuo conueniunt. Tertio, nec remedia, quæ pro demolienda caussa pestis accipiuntur, pro euertenda febris pestilentis caussa necessario sunt administranda. Quarto, neque vesicatoria, quæ parat ad venenum extrahendum, veræ pesti conueniunt. Hæc sigillatim demonstro. De primo; Vera pestis est de genere morborum vulgarium, *ex* *Vera pestis & febris pestilens sporadica vt differant.*

Galeno 1. acut. comm. 9. Febris pestilens sporadica est de genere priuatorum, qui vulgaribus omnibus aduersantur, *ex Gal. ibidem, & 1. in 1. epidem in proœmio.* Mox, caussa pestis, vt & omnium morborum vulgarium, est communis: caussa febris pestilentis sporadicæ, vt & omnium morborum priuatorum, est particularis, quæ seorsim ægrum prehendit, neque secundum communem modum constat, vt Gal. *eisdem locis* affirmat. Tandem subiectum in vtroque morbo diuersum est. Quamquam enim vtriusque principale subiectum cor sit, vt & omnis febris, etiam non pestilentis, (corde enim non patiente febres fieri, vel hominem interire est impossibile: adæquatum tamen in vera peste subiectum est vnus populus, vno & eodem tempore, non tamen perpetuò eodem morbo pernicioso correptus, (populum cum dico, multa eiusdem speciei indiuidua, vnam vel plures regiones incolentia, nationem vel exercitum intelligo:) pestilentis vero sporadicæ subiectum est vnus numero æger, à priuata causa prehensus, vt ex Gal. monstrauimus *lib. priore c. 2. & 3.* Sed locus, ad quem peruentum est monet, vt expendamus sententiam Eustachij Rudij, qui li. *3. de feb. cap. 30.* asserit, morbum epidemicum non spectare ad essentiam veræ pestis, sed esse accidens, ab eius natura prorsus extraneum. Satis enim est, inquit, vt febris, qua vnus homo laborat, si naturam & symptomata veræ pestis sortita sit, aptitudine sit vulgaris, non actu, quatenus apta sit ab eo ad alium, & ab vno ad multos contagione communicari. Hæc sententia recta non est. Quamquam enim ex vnico ægroto, febre pestilenti correpto, venenosa contagionis seminaria includere, possit ab eo ad multos pernicies contagione diffundi, eiusque febris characterismus propagari: Tamen dum in vno indiuiduo cõtinetur, à priuata illius caussa dependens sporadica pestilens est sine peste. Vbi vero cõtagione cõmunis fit, & plures eorum quos inuadit interimit, tũc fit, & est vera pestis. Nam si sola aptitudo, ac possibilitas vt communicetur, pestem veram constitueret, tunc differentia cõstitutiua rei proueniret ab eo quod est in potẽtia. Hoc tamẽ verum non est. Actus enim est qui separat & distinguit, *ex Arist. 7. metaph. 49.* Deinde canis rabidus, dũ suo veneno ægrotat, ac moritur, vera peste laboraret: eius enim morb. verè venenosus est ac lethalis, ha-

lis, habens aptitudinẽ cõtagione in alios diffundi. Sed nec Gal. nec Diosc. aut Alexander, aut vllus Medicorum, qui de cane rabido locuti sunt, dixit vnquam, illum vera peste correptum. Præterea, Gal. vbique affirmat, veram pestem esse de genere morborum vulgarium. *1. acuto. 9.* inquit: *Nullum autem peculiarem de peste confecit librum, quoniam ex epidemijs vnam esse illam per libros epidemiorum demonstrauit.* Et *1. in 1. de morbis vulg. in proœmio* inquit: *Vt pestis quoq; nam & hæc in communibus morbis est*, & mox subdit. *Eò quod genere vulgaris morbus est pestis.* Et tandem. *Itaque patet*, inquit, *ex vulgarium morborum esse genere eos, qui malignissimi sunt, & pestilentes appellantur.* Et *3. in 3. epid. 20.* dicit: *Neque vero certi est morbi nomen vulgare vel pestilens. Cæterum, quicunque vno in loco multos simul inuaserit, vulgaris hic vocatur, qui simul si hoc habeat, vt multos perimat, pestis fit.* Et subdit *commen. 21. Cum dicit, & complures moriebantur, pestilentes fuisse morbos, qui vulgarentur, demonstrat.* Ergo si, vt communes, ita & priuati perniciosi, esse possent vera pestis; perperam Gal. ex natura vulgaris morbi pestem declarasset. Adde quod *primo acut. 9.* perperam diceret, communibus omnibus morbis sporadicos aduersari: nam darentur sporadici & vulgares, qui eiusdem omnino naturæ forent. Esset enim ita vera pestis, quæ actu plures interficeret, vt quæ in vno priuata resideret, cum sola aptitudine ad plures interficiendos. Implicat autem, sibi mutuo aduersari quæcumque eiusdem naturæ sunt. Accedit quod Gal. *3. de præsag. ex pul. cap. 4.* postquam fuit loquutus de peste vera, subdit: *Sciendum tamen, nonnumquam incidere sine peste has ipsas febres.* At falsum hoc esset si vera proferret Eustachius. Quandocumque enim hæ ipsæ priuatæ febres inciderent, numquam sine peste essent, si in vnico ægroto citra morbum actu vulgarem vera pestis stare posset. Sed dices pro Eustachio: cur ergo Gal. postquam loquutus est de vera peste, febres sporadicas pestilentes vocat has ipsas, quasi easdem cum peste esse velit innuere? si eiusdem omninò naturæ non sunt Et si sunt, cur has ipsas dicit esse sine peste? Respondeo, eas ipsas vocare, non quod sint ambæ eiusdem naturæ: sic enim priuatam non diceret pestilentẽ sine peste, sed eam ipsam vocat. Nam inter omnes sporadicas,

3. Pestis de genere morborum vulgarium.

sola

sola pestilens sine peste à tota substantia sui veneni, offendit cordis humores, vel spiritus, vel solidas partes, vt facit & vera pestis, quamquam ea vera pestis non sit. Vera enim pestis inter alias multas differentias ab ea distat. Nam cõmunis est morbus à communi caussa venenosa, multis eodem tempore perniciosus: pestilẽs vero sine peste vnius est priuatus affectus. Explicat hoc Gal. *3. in 3. epid. 57.* dum inquit: *Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem priuatam vocant.* Reddens autem rationem, cur priuatam appellent, subdit: *Cum mortales vel citra pestem corripiat:* vbi priuatam febrem pestem excludere manifestè supponit. Sed redeamus ad Saxoniam. Nõ enim est verum, febrem pestilentem & veram pestem conuenire in caussa essentiali, vt accipit in suo argumento. Quamuis enim vterque affectus à veneno fiat, ratione cuius veneni vterque diuersus sit à febribus malignis, tam sporadicis, quam epidemicis: Quamquam enim Gal. sæpe malignum cum pestilente confundat, de nominibus parum sollicitus, reuera malignitas morbi morem dicit & latitudinem habet, pestilens vero speciem morbi constituit, qui venenum necessario continet, in quo tam vera pestis, quam febris pestilens sine peste conueniunt: Non tamen ab omni veneno fit pestis, & febris pestilens, nec in eodem veneno conueniunt. Nam febris pestilens sporadica fit à veneno, ex humorum particularium, ac propriorum corruptione genito, per putredinem illam excellentem, ac ferè indicibilem, quæ putredine venenosa ægroti particularis cor offendit. Pestis autem vera à communi veneno fit, quod communis caussa producit, vt communis aër maleficus, vel cibus, & potus communis perniciosus, plures eodem tempore inuadens, & eorum maiorem partem occidens, Venena ergo hos affectus producentia, tum caussa, tum modo generationis diuersa sunt. Natura quoque distinguuntur, quod differentia symptomatum in vtrisque demonstrat. Venenum enim pestem veram constituens symptomatum copia, vehementia, magnitudine, modo operationis acutioris, velocioris, quo ægros inuadit ac enecat, contagij velocitate, ac impetu, quo addistans se diffundit, vlceribus, tumoribus, & excretis alijs perniciosis, quibus corpora excruciat, cum vt fera quædam venenata

2. Pestis vera, & febris pestilens non conueniunt in caussa essentiali.

Pestis vera & febris pestilẽtis caussa.

Venena pestẽ & febrẽ pestilentem constituẽtia, vt differant.

totas ciuitates depascatur, ac miserè perdat, longè superat priuatum venenum, quod febrem constituit pestilentem sine peste. Mox neque priuata venena, quæ seorsim febres sporadicas pestilentes inducunt, eadem sunt inter se. Differunt enim tum penes diuersas humorum species, è quorum corruptione generantur: tum penes diuersos corruptionis gradus, à quo fiunt; (corruptio enim, insignis illa, ac indicibilis, latitudinem habet:) tum & penes diuersas analogias, quas venena, postquam genita sunt, sortiuntur: tum denique ob venena specie diuersa, quorum naturas ac vires æquant. Generantur enim quandoque similia epotis venenis, quæ celerrimè enecant, vt *6. de locis affec. c. 5.* docet Gal. Quandoque caninum virus, quod lētè progreditur, repræsentent, vt explicat Gal. *2. in 1. proret. comm. 17.* Neque vero venenum commune, quod veram pestem cōstituit, idem est in omni constitutione pestilenti. Diuersum enim in singulis est & omnino multiplex; tum penes diuersas caussas cœlorum ac sublunarium, è quibus fit: tū penes contagionis diuersa seminaria, quibus diuersimodè diffunditur: tum ob differentes impetus, & antipathias, quas habet, nunc ad solidas partes, modo ad spiritus, quādoque ad humores: & ex humoribus modo ad vnum, modo ad duos, sæpe ad omnes, vt refert Fracastorius *lib. 2. de cont. c. 4.* tum & propter species animalium diuersas, quas proprio, ac determinato coinquinamento in diuersis cōstitutionibus lædit, *ex Hippoc. lib. de flatibus*; tum & ob mēbra particularia, ad quæ determinatum sortitur impetum, vt in illa peste euenit solos pedes lædente, *ex Gal. 3. de vsu partium c. 5.* Sic & ad ætates, sexus, & conditiones diuersas, vt explicauimus *lib. 1. c. 27.* Vt iure optimo impetus morborum populariter grassantium Medico considerandos proponat Hipp *3. prog. 38.* Ex his patet, quam malè concludat Saxonia, remedia quæ pesti conueniunt, & febri pestilenti sine peste conferre. Morbis enim & caussis diuersis, diuersa cōueniunt auxilia. Gal. *10. meth. c. 2.* vnicuique morbo suam dicit esse contrarietatem. Aduersus venena antidotis tota substantia contrarijs pugnandum est, quæ nulla methodo, sed solo experimento dignoscuntur, *ex Gal. 13. meth. c. 6.* Hinc est quod auxilia, quæ vni pesti contulerunt, alteri sæpe noceant. Alui profluuium optimè contulit in

Venenū pestem constituens, non idem in omni cōstitutione pestilenti.

p. 92

3.

Non eadem pestis & febris pestilentis remedia.

lit in

lit in constitutione, quam refert Gal, *li de atra bile c.4. & 5. meth.c.12.* omnes vero substulit in altera, quam 3.*epid.* narrat Hip. Sanguinis profluuium omnes iuuit in peste Asiam populante, quam refert Oribasius, non contulit autem in illa, quam refert Gal. *lib. de cibis boni, & mali succi c.1.* Multo minus valet Saxoniæ illatio ab vna constitutione ad aliam, & à vera peste ad morbos sporadicos. Ad extremum, nec verum est, vesicantia, quæ parat ex medicamentis venenosis, in vera peste venenum à profundo ad cutim extrahere, si vera sunt quæ Gal. protulit *5.symp.c.18.* vt supra *c.16.* monstratum est. Razes, Paulus, Aëtius, Auicennas, in vera peste calorē in profundo corporis demersum, ad extremas partes summè refrigeratas euocant calorificis, balneis, linimentis, sinapismis, ex nulla tamē re venenosa cōfectis, nullo modo his vesicantibus. Gal. *lib. de sectis*, venenum à feris inditum per cutem, ad eandem trahi dicit, nō tamen venenis cuti impositis: sed igne, attractoriis calidis, & in summa cum alexiterijs, vt supra *c.16.* monstratum est. Cum recentioribus vero, quos refert Saxo. qui vesicātibus summè calidis ac venenosis vtuntur in peste, cautius agēdum est. Illos enim imitari puto perniciosum: quod dāna, quæ ex illis vesicantibus inferuntur, ostendunt, vt 2. parte præsentis disputationis abundè monstrauimus. Philippus Ingrassias *lib.4. de conta pest. c.27.* pro cauterijs in peste faciendis medicamenta venenosa apertè damnat, & igne vti oportere affirmat. Antonius Firmanus *lib. 2 de peste c.37.* ex Albucasi *lib.1. c.1.* idem affirmat. Medicinæ enim comburentes, inquit, sua vi perueniūt etiam ad membra distātia, & in eis ægritudines etiam sanatu difficiles excitant; & fortasse interficiunt. Longam seriem grauissimorum medicorum, qui vesicantia venenosa omnino explodenda esse consulunt, referrem, si pro omnibus vera ratio, & vna Galeni auctoritas non sufficeret.

4 *Calor quib. in peste vera ad partes extremas euocandus.*

Tertia ratio Saxoniæ diluitur, & probatur, neq; cutem omnibus corporis excrementis, neque sudorem morbis omnibus communem esse.

CAP. XXV.

CApite 26. iterum arguit his verbis: *Pestifera, quæ ex harum*

rum febrium per circuitum repetentium numero sunt, reuulsorio egent auxilio: Ergo vesicantibus. Quæ ratio *cap 23.* abundè soluta est. Confirmat Saxonia rationem his verbis: *Febris morbus est communis, & partes à quibus excitatur, sunt tam varia & diuersæ, vt nulla ferè sit interna nostri corporis pars, quæ aliquando febris focus esse non possit. Ideo cum reuulsionis locum eligere oporteat, qui cunctis partibus determinatis, & toti corpori sit communis: talem esse solam cutem vnicuique constat.* Verum bifariam peccat hæc ratio. Primò, sit communis morbus febris, falsum est, illam communem locum pro reuulsione requirere, cum omnino nõ reuulsionem indicet, sed refrigerationem, vt ex Gal. *11. meth. cap. 13.* suprà monstratum est. Secundò, quamquam quælibet interna pars corporis focus febris esse possit, non tamẽ ex eo locus communis omnibus constitui debet pro excremẽtorum cuiuscunque partis excretione: quando singulis singulas partes natura deputauerit. Dicit enim Gal. *11. meth. cap. 19. Illud profectò te non fugit, nos singularum particularum meatus, qui ijs ad superuacuorum emissionem sunt proprij, fluxiles reddere, intestino, ventriculo, & mesenterio, & concauis iecinoris, intestinum rectum: Renibus, vesicæ, iecinoris gibbis, venæ cauæ, & arteriæ magnæ, & omnibus, quæ in lumbis habentur, eum qui vrinis est delegatus: Pulmonibus, & pectore ipsam asperam arteriam, & fauces: Cerebro & inuolucris eum, qui per palatum & nares descendit.* Cutem his communem non profert, nec alicui eorum propriam, imo illam ab his omnibus abdicauit *lib. artis med. cap. 99. 7. meth. cap. vltimo 4. aphorism. 2.* vt fusè *cap. 6. præsentis disputationis* monstratum est. Addit Saxonia ad idem probandum, sudorem omnibus morbis esse communem, ex Auctore *lib. 4. de rat vic in acut. tex. 84.* Subdit: Ea, quæ putrescunt, nõ tantum per vrinam, aluum, & os ventriculi, quantum etiam per cutem expelli debere, censuisse Gal. *lib 11. meth. cap. 8.* Neutra tamen auctoritas suam sententiam tuetur. Sudor enim neque omnibus morbis, neque omnibus succis morbos constituentibus, neque omnibus partibus affectis vtilis est. Quid enim si sit symptomaticus? quid si frigidus? quid si diaphoreticus? quid si miliifomes? An hos in morbis laudauit Hippoc. & Galenus *1. progn. 26.*

Febris non reuulsionem sed refrigerationem indicat.

Sudor non semper vtilis

Quid

Quid si morbus fiat à succis crassis & glutinosis? quid si cũ obstructione viscerum?quid si cum plenitudine, vel cacochymia?Quid si partes affectæ meatus ad cutem commodè desinentes non habeant? An Galenus in Simone latas pustulas habente sudorem commendauit, an potius venæ sectionem,&purgationem?*2.in 6.epidemior.30* Nonne solum tenuibus succis,purgato tamen prius corpore,per cutem & sudorem euacuationem admittit,*lib.de const.artis c. 19.* crassis, ac lentis & glutinosis interdicit? vt *3. de causis symp.c 2 & 3 acut.* manifestum est.Ideo Gal.*4. acut.comm. 84.* auctorem quasi redarguens,inquit: *Sermo hic neque vniuersalis est, neque communiter inest omnibus.* Humores vero corruptos nec omni tempore,nec omnes euacuat per sudorem Eius verba *11.meth. c.8.* hæc sunt:*Ita vtique & putredinem,quæ in viuis est orta,sanabimus,id scilicet, quod iã corruptum est, omni ratione euacuantes.* Vacuationis vero modum assignans, subdit: *At vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, ac sudores moliemur.* Ad extremum explicat,quibus succis præter naturam sudores conueniant,cum inquit *14.meth.c.1. Cutis vero densitas nõ æquè est huic bili peruia, nisi si admodum tenuis aquosaque sit:talis namque maximè est etiam, quæ quotidie cum sudore exit.* Hæc Galenus.

In principio accessionum,in febribus,quæ per circuitum repetunt, succi non confluunt ab ambitu corporis ad focum febris, vt putat Saxonia. CAP. XXVI.

Saxoniæ opinio: In vigore succos ad focum febris confluere. Rationes Saxoniæ.

ARguit ad idem Saxonia:Gal.*lib.de hum.com.13.* docet, omnem fluxionem per opportuna loca esse retrahẽdam. At vero in febribus per circuitum repetentibus fluxiones ad interna viscera, non ad ambitum corporis fiũt: Itaque necessario sequitur,talem fluxionem tanquam improbam,à loco nobili ad ignobilem, ab interno ad externum esse deducendam. Itaque reuulsoria in cute sunt necessaria.Assumptum probat *c.28.*ex Gal.*2.de diff.feb.c. vltimo,*vbi clare affirmat,initio accessionis febrium intermittentium confluere noxios succos ad interna viscera, his verbis:*Sed & retro ostendimus,vbicunque accenditur, atque augetur*

augetur caliditas, isthuc ab aliis partibus sanguinem solere confluere. Quò vero tempore confluit, illas quidem refrigerari priuatas sanguine est necessarium: quod vero patitur membrum grauari, ac distendi. Igitur si in accessione externa refrigerantur, vndè nam constat, inquit Sax. in principio accessionis humores ad ambitum corporis demitti? Et si demittuntur, quomodo verum erit, partem internam ex fluxione ad ipsam grauari & distendi? Adde, inquit, quod si in principio accessionis humor à venis extra venas mittitur, quomodo febres per circuitum repetentes, ex locis determinatis patientibus ortum ducere poterunt? Ad extremum, dicit, confiteri cogimur, in principio accessionum humores in interna viscera confluere, ea grauare & distendere, calorem natiuum suffocare, & hoc esse accessionis principium. Sic enim scribit Gal. *Quo fit, vt instar lignorum humidorum, quæ paucam super flammam vniuersim proijciuntur, succendatur, atque hoc tempus accessionis principium nuncupatur.* Confirmat tandem hanc sententiam ex Gal. *3. de præsag. ex pul. cap. 7.* quando inquit: *Quæ igitur pulsuum mutationes fiunt, cum cordis calor augetur, vel confluunt intrò humores, apertè hæ videbuntur accessionis initium annunciare.* Et paulo post subdit Gal. *Ita finge in febribus, vbi aceruus materiæ humidæ initio accessionis ad cor peruenerit, primum mortis periculum esse, &c.* Ex quibus concludit Saxonia, in intermittentibus febribus minimè mitti humores à venis extrà venas circa accessionum initia. Hæc sententia etiamsi admittatur, nullo modo vesicantia confirmat, vt mox monstrabimus. Sed neque vera est: quandoquidem in principio accessionis in febre intermittente succi non confluunt ad focum febris, sed contra à foco extra venas effunduntur. Hoc ita demonstro. Si confluerent ad focum febris in principio accessionis, esset, vel quia ab alijs membris eo tempore depellerentur, vel quia tunc à foco febris traherentur; tot enim modis fit succorum transmissio ex vno membro ad aliud, *ex Gal. 2. de differ. fer. feb. cap. vltimo.* Sed neutrum esse potest. Non enim demandantur depulsi à facultate membrorum, quæ in ambitu corporis sunt, vt putat Saxonia: nec ab aliquo alio quouis membro fortiore: nec à foco febris trahuntur. Hæc tria sigillatim demonstro. De primo:

Succi an ad focum febris an cōtra fluant in principio accessiō nis febr. intermit.

R Si in

Succos ab ambitu corporis ad focum febris non demandari probatur.

Si in principio accessionis demandarentur ab ambitu corporis ad internum focum febris: tunc tertiana intermittens exquisita nunquã fieret. Nã flaua bilis ab ambitu corporis non ad interna viscera, sed ad autem demandaretur. Cutis enim omnium tenuium excremẽtorum, quæ in ambitu corporis continentur, est locus excretionis, *ex Gal. li. de morb. caussis c. 6. 1. de tuend. Vale. c. 12.* Ita cutis est debilissima omnium internorum viscerum, quamquam illa ob febris intemperiem debilia reddita sint. Nã omnia viscera, in quibus residet focus putredinis, habẽt actionẽ expellẽtis facultatis: secus febres intermittẽtes sudore nunquã finirentur. Cutis vero nullã operationem habet, sed vsus tãtum gratia à natura instituta est, *ex Gal. li. de morborũ caussis c. 6.* Quod si cutis obstructione, vel astrictione succos egredi nõ sineret, fieret febris non intermittẽs, sed ephemera, vel synocha, *ex Gal. 9. meth. c. 2. & 4.* Rursus, si ab ambitu ad intrò demandarẽtur succi in accessionis principio, vt à robustioribus partibus propellentibus, tunc nullo modo in eiusdem accessionis declinatione ijdem succi à foco febris, vt sudore expellãtur, possent demãdari, & sic tertiana exquisita, quæ rigore exorditur, sudore non finiretur. Euidens est ratio. Nam flaua bilis, quæ rigore ad focum febris cõfluxit, ab ambitu depulsa, debet iterum ad ambitum regredi, vt sudore excernatur. At hoc fieri nullo modo posset. Impossibile enim est, regredi succos semel depulsos ad membra fortiora, quæ illos depulêre. Gal. id explicat *2. de diff. febr. c. vlt,* his verbis: *Sed ex aliis defluit ad alias, cũ fortiores à se quidem pellunt, imbecilliores autem suscipiunt, atque hæ rursus ad alias, donec tandem in eas, quæ imbecillissimæ sunt inter omnes, inciderit. Hinc vero ad fortiores relabi est impossibile.* Præterea si ab ambitu succi confluerent rigore ad focum febris: tunc ante rigoris initium in ambitu totius corporis necessario sentiretur æstus, grauitas, distensio, sensus doloris, & molestiæ, succis collectis stimulantibus facultates partium, vt ad propulsandum insurgant. Oppositum tamen docet experimentum, & Hippoc. *4. acut. 39.* Succi ergo in foco febris collecti illa omnia symptomata in visceribus inducunt, & naturam stimulant, quæ vt à seipsa noxios humores propellat, accessionem febris constituit, & rigore extra focum illos expellit. Tãdem

Cutis, vsus tãtum gratia à Natura facta.

si rigore

si rigore ad focum confluerent, quantò magis rigor perseueraret, tantò maior succorum confluentium copia partē opprimeret, calorem magis suffocaret, pulsus tanto debiliores, minores, & calor innatus exstinctioni vicinior redderetur. Opposito modo res se habet. Inter principium enim & augmentum, medium est tēpus inæqualitatis, quò pulsus eleuari, expandi calor, rigoris vehementia remitti, grauitates, distensiones, & molestiæ internæ resolui incipiunt, vt docet Gal. *lib. de morb. temporibus c. 3.* exemplo tertianę intermittentis. Ad extremum, si dum calor ab externis partibus ad focum internū febris refugit in principio accessionis, succi præter naturam depulsi ad eundem focū rigore confluerēt, magna ex parte in ipso accessionis principio febris intermittētis animal interiret. Si enim solum confluens calor, & sanguis, vt facultatem partis congerie succorum grauatam iuuet, quando hoc assequi nō potest, suffocatur, & interit, vt *lib. de rigore & palp. c. 7.* docet Gal. manifestum est, quod succis ad vnam vel alteram horam successiuè, ac perpetuo partem obruentibus, (præsertim quando rigor vnam vel alteram horā excedit,) à continua & successiuè increscente succorum copia suffocari calor facilè poterit. Ab ambitu ergo corporis ad internum focū febris succi non confluunt in principio accessionis. De secundo. Nec à quouis alio membro demandantur in accessionis principio ad partem affectam. Nam in principio accessionis febrium intermittentium fit rigor, & horror, *ex Gal. 1. ad Glauc. c. 5.* In rigore humores à venis extra venas, ab internis visceribus extra corpus, vehementi motu depulsi, demandantur. Ergo dum rigor fit, ad intro non confluunt. Galenus *lib. de rigore & palp. cap. 7.* habet hæc verba: *Hac enim ipsa ratione sola, ardentes febres à tertianis differunt. Etenim ardentes in vasis bilem habent, tertianis extra vasa, sensilia corpora fertur: nam dum per ipsa rapitur, acrimonia offendens, dolorem excitat. Contingit igitur interea duo quadam fieri, inclinare nempe in corporis altum sanguinem, atque ideo exteriora eius refrigerari: particulas autem ipsas corporis, in quibus bilis consistit, vnamquamque ipsam à se ad vicinam excretice alienorum facultate propellere, vsque dum ex omnibus abacta, per sudores, aut vomitus, aut etiam per aluum fuerit excreta.*

2. Succos ad focum febris à membro feruore non demandari probatur.

Febres ardētes vt differant à tertianis.

R 2 Ex his

Bilis in tertiana extra vasa defertur.

Ex his itaque patet, Galenum apertè profiteri, flauam bilē in tertiana extra vasa deferri; non ad focum febris internum, sed à particulis, in quibus collecta sit, abijci de parte post partem, donec ab omnibus abacta extra corpus excernatur. Quæ verba mōstrāt, in rigore nō ad focum febris humores propelli, sed à foco effundi, ac extra corpus euacuari. Præterea, sit focus febris tertianæ intermittentis in hepate, incipiat cum rigore, adsit & vomitus flauæ bilis, vt in illa fit: *ex Galeno 1. ad Glauco cap. 5.* An bilis hæc à vētriculo, vel ab ambitu corporis fluet ad hepar, vbi focus est febris? An contra ab hepate ad ventriculum vehementi impulsu per partes sentientes demandabitur? Primum dici non potest: Vomitus enim bilis non fieret, si bilis ad ventriculum non demandaretur. Manifestum igitur est, in rigore succos à foco febris extra corpus demandari. Ad hæc, in febre ardente, dum rigor fit, flaua bilis ad venas nō confluit, sed contra à venis per partes sentiētes extra corpus expellitur: secus morbum non iudicaret superueniens rigor, vt *4. aphorism. 58.* docet Hippoc. Quem locum explicar.s Galenus sententiam nostram manifestè confirmat *2. de sympto. causs. c. 5.* cum dicit: *Quin etiam eum, qui ardenti febri laborat, rigor superueniens à morbo liberat, Hipp. ait: quoniam scilicet bilis, quæ prius in venis errabat, à natura decretoriè per carnes ad cutem truditur. Ergo motus eius delationis, qua per sensibilia corpora agitur, simul, & symptoma & signum rigor est.* Rursus Galenus *2. crisium cap. 3.* inquit: *Sed & hoc ita se habere videtur, & ipsa tertiana accessio ab acutissimis maximeque adurentibus febribus nullo modo relinquitur. Sed hoc differt, quod in hac per totum corpus bilis defertur, atque ideo vehemens fit rigor, bilisque superuenit vomitus, vrinæque ac sudores biliosi sunt.* Non est ergo quod putet Saxonia, in rigore flauam bilem ad focum febris deferri. Apertè enim Gal. subdit: *Atque hæ ipsæ à tertianis differunt, quamuis eundem, qui eas facit, humorem habeant: quod in his quidem intra venas continetur: in illis vero, cum vehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur, quo fit, vt delationis impetu ipsa per se ipsam expurgetur. Eadem caussa est, cur febris ex sudoribus, atque vomitibus finiatur.* Hæc dicta Galeni falsa essent omnia, si dum rigor fit, ad interna viscera bilis conflueret.

flueret. Non enim rectè diceret Gal. bilem illam vehemẽter motam per singulas corporis partes disseminari. Quod enim disseminatur, non ad idem confluit, sed dispergitur. Neque diceret, bilem suæ delationis impetu se ipsam expurgare: dum enim ad focum conflueret, non expurgaretur: expurgatur autem, dum sudore, vomitu, vel alui deiectione excernitur Nec tandem diceret, eandem caussam esse, cur febris ex sudoribus, & vomitibus finiatur. Vehemens enim delatio, quæ in rigore fit, non ad sudorem, vel ad vomitum, sed ad focum febris, bilem deferret. Accedit, quod calor in principio accessionis refugit ad interna viscera, ad locum vbi focus est febris, *ex Gal. 2. de diff. feb. c. vlt.* At ibi non conquiescit: caloris enim quies, mors esset. Ergo statim refluit, & se diffundit. Igitur succos noxios, quos in foco, vel vijs inuenit, eius expansionem impedientes, expellere ab intro foras contendit, vt *lib. de rig. & palp. cap. 6.* docet Gal. Cæterum Eustachius Rudius *lib. 3. de feb. cap. 14.* asserit, calorem in rigore, vehementi contractione ad ima refugere, mox prodire, & ita sensum doloris inferre; *Tunc vero corpus concutitur,* inquit, *non propter molestantis humoris delationem per partes musculosas, vt est medicorum communis opinio: sed, vt ait Galenus, propter duplicem innati caloris motum, modo ad interiora, modo ad exteriora, atque pugnam inter ipsum & superfluum humorem eius motu, & à proprio principio explicationem impedientem: Quia hac de caussa inquit Galen. corpus veluti ictibus laborat.* Hæc Rudius. Quæ sententia recta non videtur. Quamquam enim Gal. *lib. de rigore cap. 6.* quæ retulit de duplici motu caloris, deque eius contentione, vt impedimentum propellat, clarissimis verbis proferat: opinio tamen Galeni de natura rigoris ab ipso definita illo capite non est. Neque vero ad vnam caloris actionem se contrahentis & efferentis, nec ad pugnam eius cum succis, rigoris absoluta ratio refertur à Galeno. Illo enim *cap. 6.* solum inquirendo & disputando progreditur; *cap. vero 7. sequenti* suam explicat, & determinat sententiam de modo, quo rigor fit. Alioquin omnino vera Gal. non protulisset de rigoris natura, sibiq; ipsi dissonus fuisset. Si enim ob impedimentum calor effluens & recurrens, duplici illo motu corpus concutiens, rigorem constitueret; in quartana longè vehemẽtior rigor

Calor in principio accessionis ad interna refugit.

Rigor an ob impedimentum caloris motui obiectum fiat.

fieret, quam in tertiana exquisita, & pituita, quam vitream vocauit Praxagoras, maiorem faceret rigorem, quam flaua bilis. Quæ enim crassiora sunt & viscida magis, caloris egressum magis impedient. Ob maius vero impedimentũ, maior caloris validi reluctantis ac prodire contendentis conatus, regressio, impetus; ex eius autẽ duplici motu maiori, maior corporis concussio, maior rigor. Sed hoc contradicit cùm experimento, tùm Galeno *1. ad Glau. cap. 5. & lib. de rig cap. 7.* Deinde, qui validum calorem innatum habent, si suffocati interirent, vehementissimè rigerent ante mortem. Calor enim eorum summum impedimẽtum propulsare, nè exstinguatur, contenderet, & vehementer vltrò citroq; fluctuaret, & corpus cõtrarijs motibus summè cõcuteret. Sed nullus rigor in his apparet. Ad hæc flaua bilis sincera, dum constituit exquisitam tertianam intermittẽtem, paucum vel omnino nullum rigorem faceret in accessionis principio: succus enim calidissimus, subtilis, facile mobilis, aptissimus vt dispergatur, quantitate paucus, (qualis esse debet qui tertianam intermittentem exquisitam constituit,) paucum vel omnino nullum afferet impedimentum valido calori, à profundo foras prosilienti. Oppositum tamen monstrat experimẽtum & vbique Gal. Accedit, quod cruditate laborantes, aut vitioso humore pleni, in Solem æstiuum, aut balneum descendẽtes, horrore & rigore non corripiũtur. Sol enim & balneum nõ modo calorem euocant à profundo ad cutem, sed ad eam succos trahunt vt *10. meth. c. 10.* docet Galenus. Calor ergo in hac expansione à succis non impedietur, qui pariter eodẽ motu foras trahuntur. Rigent tamen & horrent, vt docet Gal. *lib. de rig c. 7. & 10. meth. c. 10.* Præterea in vlceribus irritatis ab acri medicamento ægri, non rigerent, si duplex ille motus caloris ob succorum impedimentum ad rigorẽ faciendum esset necessarius. Tandem si Gal. *c. 6. lib. de rig.* modũ, quo rigor fit, absoluisset, vt putat Rudius, statim *c. 7.* de eo non dubitasset. Dicit tamẽ: *Sed difficile est, vt caussam inuenias, quomodo ob acrem calidumque humorem frigidus affectus constituatur.* Et paulo post de eiusdem rigoris caussa dubitans, subdit: *Multo igitur satius erit, si inuenire difficile est, non euertere conari rem euidenter apparentem, sed caussæ ignorantiam fateri.* Ad extremum Galenus clarissimè

rissimè euertit Rudij sententiam. Nam vbi longa oratione *c.6.& 7.* de rigoris caussa, humorum illum facientium natura, & modo disputauit, propriam sententiam proferens, fieri illum à vehementi delatione humoris acris, molestantis partes sentientes extra venas positas, per quas defertur, affirmauit. Eius verba *c.7.* hęc sunt: *Nunc autem nostram proferimus sententiam, accommodantes ea, quæ ex Hip. opinione paulo ante comprehensa sunt. Etenim calidorum medicaminum applicationibus nonnunquam solus horror, sæpe & rigor superuenit: quemadmodum in ardentibus, quas causos appellant, & tertianis febribus, cùm flaua bilis non in vasorum conceptaculis, sed per carnes mouetur: vel quòd copiosior hic humor in ipsis creatus sit, vel quod per ipsas à natura expurgetur. Hac enim ipsa ratione sola ardentes febres à tertianis differunt. Etenim ardentes in vasis bilem habent: tertianis extra vasa, per sensilia corpora fertur. Nam dum per ipsa rapitur, acrimonia offendens dolorem excitat.* Et paulo post: *Conuenit autem non modo caussam quandam in nobis esse mordacem, sed etiam vehementer agitatam, si factura est rigorem.* Et tandem vbi locutus est de humoribus frigidis & calidis, inquit: *Non absolute autem abundare ipsos dixi oportere, qui aut rigorem, aut horrorem sunt facturi, sed etiam motu vehementiori per corpora sensibilia ferri.* Idem confirmat *lib.2. de sympt. caussis cap.5. 2. crisi. cap.12. 4. aphorism.59.* & alibi sæpe. Ergo à calore prodeunte, & adiuuante facultatem expultricem, succi tam calidi, quam frigidi, acres tamen & vehementer compulsi extra venas per partes sentientes, mordicantes, & dolorificum sensum inferentes, corpus concutiunt, & rigor fit. Patet igitur, quod dum calor ab intro foras egreditur, facultas expultrix eo vigorata noxios succos à foco febris propulsat per partes corporis sentientes. Præterea si, dum fit rigor, acres succi ad internum focum demandarentur, in principio accessionis: tunc in accessionis declinatione, dum iterum effunderentur à foco ad cutem, vt sudore expurgarentur, vt putat Sax. rigor iterum fieret. Pellerentur enim per easdem partes sentientes vehemēti motu acres humores. Nec est quod fortè putet, in declinatione succos acres esse iā euictos, & ita non mordicare, neque veloci expulsione deferri, attenuatos, aptosque in sudorē conuerti. Re-

Rigoris caussa vera.

pugnat enim Hippocrati & Galeno, qui volũt, in febre ardente flauam bilem extra venas depulsam rigore, febrem finire. Inquit Hippoc. *4. aphorism. 58. A febre ardente habito, rigore superueniente solutio.* Vbi Gal. *Ostensum est*, inquit, *in sermone de rigore, etiam ob flauam bilem, quæ per membra sentientia veloci motu defertur, fieri rigorem, post quem videlicet & alui soluuntur, & sudores, & vomitus biliosi superueniunt. Cum ergo bilis, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatur, soluitur febris.* Patet igitur, euictam esse bilem: secus enim morbum non solueret, nec critica foret eius expulsio, vt criticam esse dicit Gal. explicans hunc *aphorism. 2. cris. cap. 3. & lib. de rigore. cap. 7.* Mordicat tamen, & rigorem efficit, dum expellitur. De tertio. Neque trahuntur à foco febris succi, dum rigor fit: esset enim motus lationis post terminum ad quem ipsius: & mouerentur succi ad terminum, quem actu possident, quod principijs naturæ repugnat. In febribus enim intermittẽtibus pars affecta calore perpetuò ad se trahit, quæ transfusio rigorem non facit, quia sensim fit: vel sua intemperie perpetuò generat & congerit excrementa, quę vbi ad eam magnitudinem deuenerint, vt partem opprimãt, & stimulent, partis facultas alienorum excretrix insurgit, nocentes succos propulsat, & accessio fit. Explicat hoc totum Gal. *2. de diff. feb. cap. vltimo*, cum dicit: *Si quidem enutritæ partes, quousque eandem seruauerint constitutionem, ab eodem nutrimento enutritæ, excrementa etiam tum quantitate æqualia, tum qualitate similia, atque eodem temporis statuto termino cumulabuut. Eodem præterea circuitu ad eas expellendas, atque ad imbecilliores partes detrudendas mouebuntur. Si quidem vis excretoria tunc primum ad suum opus excitatur, quando aut superfluitatum multitudine aggrauatur, aut ex qualitate stimulatur.* Non fit igitur accessio, si focus febris succis paulatim cõgestis non grauetur, & facultas in eo residens ab illis non stimuletur. Igitur antequam rigor incipiat, humores iam sunt in foco febris confluxi, & aggregati. Ergo si ad focum confluerent in rigore, illuc tẽderent vbi sunt: quod rei naturæ repugnat. Ad hæc longè vehementior fieret rigor in augmento, quam fuerit in principio accessionis. Si enim pars affecta ad sese traheret, quæ focus est febris, calore illud efficeret. Quãdo igitur debilis

3. Succos, dum rigor fit, à foco febris non trahi probatur.

est

est calor, debiliter trahit: quantò autem validior est, tantò vehementius, *vt 2. de diff. feb. cap. vltimo* declarat Galen. in principio accessionis debilior est calor in foco febris, in augmento validior. Galen. *2. de diff. feb. cap. vlt.* inquit: *Quo fit, vt instar lignorum humidorum, quæ paucam super flammam vniuersim proijciuntur, succendatur atque hoc tempus accessionis principium nuncupatur. Cum vero iam caliditas materiam conuicerit, tunc huiusmodi tempus, & augmentum, & ascensus vocatur. In hoc vero vsque adeo calor augetur, vt non modo locum exurat, qui est quodammodo putredinis focus, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur.* Manifestum igitur ex his est in principio accessionis febrium intermittentium succos non confluere ad internum focum febris, sed iam in illo sensim collectos tempore intermissionis in cessionis initio à natura detrudi, ac à venis extra venas effundi, & demandari, donec pro diuersa humorum qualitate, & locorum aptitudine, vomitu, vel alui excretione, vel tandem sudore extra corpus euacuentur. Ex dictis diluere rationes Saxoniæ difficile non est. Erat prima ratio; Galen. *2. de diff. feb. cap. vlt.* affirmat, calorem ad interiora confugere, eaque grauari: exteriora vero refrigerari in accessionis principio. Vnde igitur constat, inquit Sax. succos eo tempore ad exteriora demitti? Constare ex eo dicimus, quod tunc partes internæ grauentur: secus enim earum facultas expultrix non insurgeret ad propellendos succos noxios. Propellit ergo quod grauat ac stimulat. Cum itaque quod grauat in internis partib. sit, vt *4. acuto. 39.* docet Hipp. facultas ab intro foras expellat necesse est. Constat idem & ex eo, quod tunc partes externæ refrigerentur; quod ideo fit: nã calor influens illas destituit, qui ad ima recurrit. Recurrit autẽ, vt facultatem excretricem iuuet ad noxiorum excretionem. Neque valet, si ad intro confluat calor, debere pariter ad intrò succos confluere. In rigore enim duo fiunt; calor & sanguis ad ima refugiunt, succi à profundo ad exteriora depelluntur: expressit hoc Gal. *lib de rigo. cap. 7.* cum dixit: *Contingit igitur interea duo quadam fieri, inclinare nempe in corporis altum, sanguinem, atque ideo exteriora eius refrigerari: Particulas autem ipsas corporis, in quibus bilis consistit vnamquamque ipsam à se ad vicinam excretrice alienorum*

Succi accessionis tempore à foro febris demandantur.

Confutatio rationum Saxoniæ.

1.

In rigore duo fiunt.

 facul-

facultate propellere, vsque dum ex omnibus abacta, per sudores, aut vomitus, aut etiam per aluum fuerit excreta. Ad aliam Saxoniæ rationem dicimus, idcirco febres intermittentes à determinatis locis affectis originem ducere. Nam succi in eis sensim congeruntur intermissionis tempore, qui vbi copia vel qualitate partem stimulant, vis excretrix tunc primum ad suum opus excitatur, vt *2. de diff. febr. cap. vlt.* docet Gal. succos à foco febris rigore propellit, & febris accessio fit, vt supra ostensum est. In accessionis vero principio calor in foco residens, vt pauca flamma congerie lignorum humidorum, quæ confertim proiiciuntur, succenditur, non quia in ipso principio accessionis ad calorem partis obruendum confluant succi, sed quia ante accessionem congesti, vbi eò deuenerint, vt eorum copia calorem suffocent, tunc facultas nititur illos propellere, quibus obruitur, fitque accessionis principium. Ad extremum, Gal. *3. de præs ex pul. c. 7.* dum dicit: *Quæ igitur pulsuum mutationes fiunt, cum cordis calor augetur, vel confluunt intro humores, aperte videbuntur hæ accessionis initium annunciare:* de pulsibus loquitur eius accessionis, in qua ob copiam succorum vitiosorum cordis calor exstinguitur, qui multitudine facultatem vincētes, intro fluunt, & cordis calorem primum augent, mox exstinguunt. Explicans enim Gal. id ipsum, subdit: *Ita finge in febribus, vbi aceruus materiæ humidæ initio accessionis ad cor peruenerit, primum mortis periculum esse; quod periculum maxima mutatio pulsuum in raritatem, tarditatem, paruitatemque prænunciet. Nam, si his in signis remissio successerit, extemplò peribunt.* Quod declarauit *2. de symp. caussis c. 5.* explicans *aphoris. m 46. 4. partic.* Ex his ergo non valet inferre, in cuiusuis accessionis principio succos rigore ad interna viscera & cor confluere: cum id tantum fiat, quando calorem insitum in alio exstingui contigerit, quia suffocatus copia succorum foras non transpiret, non valens illos discutere, & tunc animal emoritur, vt *libr. de rigor. c. 7. & 2. de diff. feb. c. vltim.* docet Gal. Multo minus valebit in rigoribus febrium intermittentium, in quibus animal mori non contingit. Nam quocunque modo intermiserint, periculum abesse significatur, *4. aphorismor. 43.*

Reliqua

Reliquæ Saxoniæ rationes soluuntur.
CAP. XXVII.

MAnifestum igitur ex dictis est, succos ab ambitu corporis non confluere ad interna viscera in accessionis principio. Quæcunque igitur infert Saxon. *cap. 30. 31. & 32.* de reuulsione vesicantibus facienda ad curē in principio accessionis, spontè corruunt. Verum etiamsi gratis condonaremus, succos ad penitiora confluere, ac eo maximè tempore indicare reuulsionem ad exteriora: non inde valet, nec probauit vnquam Saxonia, vesicatoriis illam fieri oportere. Dicebat autem Auicen. *lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 7. Et non moueas in die paroxismi aliquid, quanto possibile est tibi, neque cures febrem.* Gal. vero in accessionis principio vomitum admittit, grauiora præsidia silentio præterit *libro quos & quando purgare oportet.* Medici omnes eo tempore neque venæ sectionem, neque purgationem administrant, Quem vsum commendat Saxonia *capit. 31.* & inquit: *Grauiora illa remedia non conuenire, ne æger duplici nomine conflictatus, non leue incommodum subeat.* Multò minus igitur in accessionis principio conuenient vesicatoria pro reuulsione. Ea enim non modo magna remedia sunt, sed maxima. Hoc negare non potest Saxonia, qui dicit *libr. eodem 2. capitul. 36. Certum est extremis morbis extrema remedia conuenire. Vesicantia vero maximum esse remedium nemo vnquam in dubium reuocauit.* Et *libr. 3. eodem capitul. 14. Vesicatorij,* inquit, *hoc ipso tempore excitati facultas est vehementissima attractio caliditate, dolore, euacuatione, & substantiæ similitudine.* Nos vero non grauia modo, sed perniciosa ea esse monstrauimus *2. parte præs. disp.* Nullo modo ergo in accessionis principio sunt adhibenda. In aliis vero temporibus accessionis, neque pro reuulsione, neque pro deriuatione conueniunt, vt *in fine capit. 2. & 6. & cap. 23. præsentis libri* monstratum est. In synocha nulla reuulsio, nulla deriuatio conuenit. Succi enim in illa non cōfluunt, vt reuulsionē requirant: in omnibus enim vasis a c potissimum maximis æquabiliter putrescunt, *ex Galen 9. meth. capit. 3. & 5.* Vaporibus autem à putredine ad cor eleuatis reuulsio non debetur: putredine n. amota cessant. Nā primario affectu

Die paroxismi nihil mouendum.

curato

curato, per consensum affectus nullus relinquitur, *2. de locis affec. cap. Vltimo.* Succis vero firmatis, dum corpus humoribus abundat, deriuatio vtilis non est, neque a parte affecta, vt de cucurbitulis repleto corpore docet Gale. *13. meth. cap. 19.* Neque si à tota cute fiat: secus enim corpori repleto balneum non interdiceret Galen. *10. meth. capi. 10.* Synocham igitur nullibi reuulsione, vel deriuatione ad cutem curauit Gal. sed sanguinis missione ad animi deliquium, si vires sustineant, & aquæ frigidæ potione tempore congruo. Dicit enim *9. method. capit. 5. Maxima vero continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida. Verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant: hæc cum & in pulsu, & vrinis, concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima.* His enim auxiliis eximit obstructionem, abundantiam euacuat, & feruorem exstinguit. Vesicantia verò abundantiam satis parcè minuunt, sed obstructionem, & feruorem summè adaugent, vt ex dictis *cap. 10. & 10.* profuse monstratum arbitror. Subdit Saxonia *cap. 32.* inter omnia reuulsionis auxilia præcipuè probari vesicantia: nam citra dolorem, & omnium maximè succos reuellunt. Verum, & sibi, & Galeno aduersatur, vt *cap. 9.* probauimus. Quarto arguit *capitul. 34.* in febribus pestilentibus, inter cętera symptomata, internæ partes vruntur, extsrnæ refrigerantur, vt Hippocrat. Galen. Aëtius, & Paulus auctores sunt. At partibus summè refrigeratis, in febre pestilenti, adhibent sinapismos, vt apud eosdem videre est. Rursus, inquit, *capit. 35.* in syncope, & cardiaca passione sinapismis calorem à profundo ad extremas partes euocant Aëtius, & Gariopontus medicus vetustissimus. Sæd hæc ratio vesicantia non confirmat. Quamquam enim grauissimi illi medici in solis segnioribus, ac pigrioribus morbis, & in acutis affectionibus immersis, sinapismis vtantur; vesicatoriis tamen, quæ ex cantharidibus & aliis venenosis parantur, in febribus pestilentibus neque ad succos frigidos extrahendos, vel alterandos, nec ad calorem ad externas partes refrigeratas euocandum, nec ad ipsum venenum à profundo ad cutem extrahendum, vsi sunt vnquam: vt *cap 20. præsentis disp.* monstratum est: In syncope vero, dum malignæ febris est symptoma, nihil perniciosum, aut truculentum

Synocham vt curauerit Galenus.

Ratio 4. Saxonia & eius refutatio.

Sinapismorum vsus apud medicos veteres.

um magis esset, quam vesicantia illa Saxon. summè calida, ac venenosa admouere. Siue enim ob summum febris calorem, siue ob vehementis febris malignitatem ægri syncope corripiantur, vesicantibus admotis ferè ad interitum ducerentur. Galen. enim *primo ad Glauc. cap. 14.* de iis loquens, qui calore exsoluuntur, inquit: *Quæ vero ex nimio calore accidunt, iis, quæ refrigerandi, ac corroborandi vim habent, curanda sunt.* An igitur vesicantibus quarto ordine adurentibus hos animi defectus curasset Galen. qui subdit: *Statim igitur ipsos corroborabis, si aqua frigida parseris, & flauellaueris ad ventum conuersos.* Loquens autem de syncope ob febris pestilentis malignitatem subdit: *At, qui ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem animi defectum patiuntur, in principiis accessionum, & refrigerantur, his artus fricare fortiter, &c.* An vesicantibus hic vteretur Galenus, quę summo calore, & dolore, quem inferunt, ac malefica qualitate sudores funderent, spiritus dissoluerent, & innatum calorem dissiparent? Non equidem. Dicit enim *lib. de curandi ratione per sang. miss. cap. 6. Nam, quæ valenter calfaciunt, nimis subito vires deiiciunt, vt in reliquam curationem non sufficiant: sæpe etiam & febrem auxere. Itaqua & inde viribus noxa obuenit.* Arguit quinto Sax. *cap. 36.* In affectionibus frigidis, quæ reuulsionem exquirunt, vesicantia vltimum locum sibi non vendicare, vt ex Oribasio, Aëtio, Paulo, & Arabibus constat. Paulus enim lethargicis adhibet sinapismos *lib. 3. cap. 9.* multo magis igitur in delirio, vigiliis, & dolore capitis, quæ cum febre sunt, illis vti poterimus, pro calidorum succorum reuulsione. Si enim frigidum humorem retrahunt, qui difficiliori negocio, ob sui lentorem, & crassitiem ad contrariam motionem diuerti posse videtur: multo magis calidos ad vnumquemque motum paratissimos retrahere poterunt. Sed huius rationis illatio recta non est, nec antecedens ad nostræ quæstionis propositum: quandoquidem vsus est Paulus sinapismis, vbi cætera non contulerint; vesicatoriis tamen non est vsus, imitatus Gal. qui *13. meth. cap. 21.* in lethargo ad sinapim vsq; ascendit, ad cantharides vero & thapsiam non progreditur, vt supra monstratum est. Nullus autem veterum cantharidibus in febre pestilenti vsus est vnquam, vt explica-

Vesicantia in feb. pestil. ob syncopen summe noxia.

Ratio 5. Saxonia.

Solutio.

Sinapismis quando vsus sit Paulus.

Antharib. veteres vsi nunquam sunt in peste.

plicauimus *capitul.20*. Calidi vero ſucci quamquam facilius, & promptius tranſmittantur, tamen in febre veſicantibus reuelli non debent. Ea enim dum ſuccos bilioſos traherent, febri ſummum incrementum afferrent. Ideo Galen. *13. method. capitul. 22*. in calidis fluxionibus *Haud expedit*, inquit, *iis, quæ ex thapſia & ſinapi fiunt, medicamentis vti, immo contrariis omninò*. Ad idem iterum inſurgit Saxonia *capitul. eodem*, & affirmat, ſuccos, à capite acribus reuellendos, affectus magnos cum febre excitare. Hoc monſtrat ex materia fluente, ex loco ad quem fluit, & ex modo reuulſionis. Fluit enim ſanguis vel pro quarto humore acceptus, vel pro maſſa ſanguinea reliquos ſuccos continente: fluit autem ad caput & ventrem partes præcipuas. Ad eas ergo cum ſanguis fluit, ex morbis inflammationes, ex ſymptomatibus vigilias, dolores, deliria, & alia huius generis grauiſſima conſtituat neceſſe eſt. Reuulſio tandem validiſſima, quæ acribus fit, magnum affectum à quo indicatur, oſtendit. Hæc ſine febre fieri rationi conſonum non eſt. Quæ ratio, quamquam ex dictis *capitul.23*, ſoluta planè eſſe videatur, adhuc tamen in multis peccat. Non enim verum eſt, omnem humorem fluentem ad caput, vel ventrem, eſſe ſanguinem vel cum ſanguine. Epilepſiam cerebri magnum affectum, vapor, vt aura quædam frigida, tibia aſcendens, maleficus in cerebro concitauit, vt *3 de locis affect. capitul.7*. retulit Galen. qui nec ſanguis erat, nec ſanguini permiſtus aſcendebat. Succis craſſis ac lentis, & viſcidis cerebrum occupantibus fit apoplexia, eis tranſmiſſis ad neruos paraplegia, *4. de locis aff. capitu.2*. qui à ſanguinis tum natura, tum maſſa ſeparati ſunt. Salſa pituita à cerebro ad pulmonem deſtillante, cruenta ſpuitio cum tuſſi excitatur, cui phlegmon neceſſario non ſuccedit, vt *5. method. cap.14*. ex Gal. verbis colligitur. Neq; vero ſanguis confluens neceſſario parit inflammationem. Hippocrat. *6. aphoriſmo.20*. dicit: *Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari*. Galen. in commen. apertè monet, non perpetuò id verum eſſe. Nam vbi monſtrauit, à ſanguine inflammationes, & ecchymoſes fieri, ſubdit: *Suppurari autem non eſt rectè dictum: cum nomen ſit vnius mutationis in ſanguine factæ. Quare nonnulli*

ipſum

sum ad generalius transferunt, hoc est, ad corrumpi, id ab so dicentes significari. Sic enim fieri videmus, non permanere sanguinem, cum à suo loco exciderit, sed aliquando suppurari, aliquando nigrescere, aliquando in grumos verti, præsertim quando in magnam cauitatem exciderit præter naturam. Ad extremum, neque inflammatio in cerebro, vel in thorace pro reuulsione vel deriuatione succorum, qui illam constituunt, vesicatoriis indiget. Quandoquidem pro sanguinis plenitudine vel succorum qualitate, sanguinis missione, vel redundantis succi purgatione reuulsio fit, *ex Gal. 13. meth. capitul. 5. 6. & 11. & alibi frequenter.* Imo etiamsi plenitudo non adsit, eisdem præsidiis reuellit Galen qui *lib. de curandi rat. per sang. miss. capitul 8.* inquit: *Eadem ratione & in iis, quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut vtcunque aliter incipientem habet phlegmonem, cum magnum fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena incisa, pro vt nimirum alterum altero magis conuenire iudicamus.* Quod si dicat Saxon. in accessionis principio venæ sectionem & purgationem exhiberi non posse, magna siquidem præsidia sunt: multo minus poterunt admoueri vesicantia, quæ non magna modo, verum & perniciosa fore supra satis monstratum est. Sexto arguit Saxonia, ex modo curandi venena, *à l 38. ad 42.* & primo *capitu. 38.* probat, venena perpetuò curari non posse venæ sectione, nec purgatione, vel vomitu, vel clysteribus, vel diureticis; cum multa sint, quibus vnum vel aliud horum præsidiorum non solum non conueniat, sed apertè officiat, vt ex Hippocrat. & Galen. *eo capitul.* monstrat. Rursus *capit. 39.* affirmat, venenum per corpus diffusum nullis auxiliis potioribus, quam deducentibus in cutem, euacuari; quod confirmat ex Galen. *lib. de constitutio. artis capitu. 19. 13. method. capit. 6. & 5. simp. capit. 18.* His suppositis *capitul. 40.* arguit: Multa sunt auxilia, quæ ad cutem extrahunt, verum omnium maximè venenum quoduis, siue epotum, siue in corpore genitum, in summam cutem educunt vesicantia. Probat hoc ex Galen. *libr. de sectis capitul. 4.* vbi acribus, & calidis, quibusque attrahi & siccari venenum possit, cuti impositis, venenum, quod vnà cum ictu corpori inhæsit, extrahit.

Sanguis extra locum suum variè mutatur.

Ratio 6. Saxoniæ.

Sed

Solutio.

Sed hæc ratio momenti non eſt. Quamuis enim neque omni veneno epoto, vel ſponte genito, vel extrinſecus illato morſu, ictu, vel contagione, venæ ſectio, vel purgatio, vel vomitus, vel alia præſidiorum genera conducant indifferenter; ſed quædam eorum quibuſdam conducant, quibuſdam non conueniant; omnia tamen præſidia venenis vtilia eſſe poſſunt, ſeorſim ſingula ſingulis, quibus conueniunt, opportune adminiſtrata. Venenum verò, quod per vniuerſi corporis habitum effuſum eſt, ſi curationem recipit, alexipharmacis tota ſubſtantia pugnantibus & momento corpus vniuerſum penetrantibus, (vt docet Gal. *primo de ſem. cap. 16.*) omnium commodiſſimè curari debet. Quod ſi eo ingenio non ſuccedat, in cutẽ extrahi oportet, vt, *5. ſimp. 18. & 13. meth. c. 6.* docet Galen. vbi alterantibus, & euacuantibus venenum curari oportere affirmat. Verum tamen non eſt, veneni in profundis viſceribus repoſiti, vel per habitum corporis diffuſi euacuationem ad cutem cum calidis ſiccis venenoſis attrahentibus eſſe exequendam: quandoqudem Galen. *5. eodem ſimp. cap. 18.* venenum à foris impoſitis medicamentis, aut caliditate, aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine attractionem molientibus, exacuat; non tamen venenis cuti impoſitis, ſed alexiteriis, mediam naturam habentibus, inter corpus videlicet quod curatur, & venenum lædens. Nam ſi aduerſiſſima forent corpori, vt omnia venena ſuapte natura ſunt, in ipſum agerent potius, ceù deleteria, haud euacuarent venenum, vt fuſe *capit. 16.* probatum à nobis eſt. Ideo Galen. *lib. de ſectis* venenum à feris inditum medicamentis calidis ſiccantibus, nullo modo venenis, euacuat.

Venenum per totum corpus diffuſum, quibus curandum.

Galenus vt venena euacuet.

Obiectio Saxoniæ.

Sed iterum arguit *cap. eodem* Saxonia: nam ichores omnium ſuccorum & partium corporis promptiſſimè venenum, quod curationem admittit, concipiunt. Probat hanc maiorem propoſitionem, quia natura minori ſtudio illa tuetur, quæ minus faciunt ad indiuidui conſeruationem. Mox, quia venenum ſiue per os acceptum, ſiue in corpore genitum, non ſtatim ſolidas partes corrũpit, aut bonos humores pro nutrimento accommodatos inficit, ſed magis ichores. Et hanc ob cauſam venenum in corpore ſubſiſtens, non modo hominem ſemper non interficit, ſed quandoq; per plures dies & menſes, ſine vlla hominis labe,

labe, ut a actionum noxa in corpore latet. Probat ichores esse venenum ex Galen. *2. in 6. epidemio. 38.* & ex Aëtio. Addit minorem sic: Vesicantia omnium maximè ichores extrahunt: Ergo in quocunq; veneno educendo primas partes occupant. Cæterum hæc ratio multifariã peccat. Primò verum nõ est, ichores omnium facillimè in venenum cõmutari. Quid enim si venenum corrumpens non habeat analogiam ad ichores? quod si illam habeat ad cordis substantiam: quid si ad humores quos continent cordis sinus? vt docet Galen. *3. de præs. ex pul. cap. 3.* Non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum, vt docet Arist. Nos vero de diuersa venenorum antipathia ad diuersa animalia, & eorum membra, & humores fuse disseruimus *lib. 1. cap. 27. & lib. 2. cap. 24.* Deinde neque verum est, venenum si curationem recipiat, in ichoribus concipi. Nam si verè venenum erit, toto genere offendens, verè corporibus, quæ lædit, erit deleterium, vt docet Gal. *5. simp. c. 18.* Verè erit perniciosum ac pestilens, ex *Galen. 3. 4. de tempor. cap. 4.* Verè à natura vinci non poterit, vt de veneno docet Galen. *3. de natu. fac. cap. 7.* Caussam verò, cur quandoque venenum non enecet, imo nec omnino lædat, nunquam retulit Galen. esse, si venenum ex succis fiat inutilibus, vel ex ichoribus: sed si in pauca quantitate sit assumptum, multis bonis medicamentis admistum, *vt 3. simp. c. p. 23.* si ob venarum angustias ad partes principes non penetret, vt *3. eodem 18.* docet Gal. si sit venenum copia offendens, & corpus illi sit assuetum, vt docuit de anu Atheniense: & ob alias caussas, quas explicauimus *lib. 1. c. 39.* Ichorem & tenuem sanguinem venenosa facultate præditum esse posse, fatentur Galen. & Aëtius, sed tamen omnium succorum promptissimè in venenum commutari posse, nunquam protulerunt. Præterea ichores vbi venenum conceperunt, an venenum euaserunt acutissimæ, & velocissimæ actionis, an lentè progrediens? Si primum putet Saxonia; tunc falso dicit, venenum hoc ad multos dies, & menses in homine residens, illum non afficere. Inquit enim Galen. *1. de sem. c. 16.* minimam particulam veneni deleterij vbi in animalis corpus ingressa fuerit, totum id momẽto temporis immutare. Si vero lentè progrediatur, vt septica; tunc falso dicit, ichores venenatos

Solutio.

Venenum cur quandoque non noceat.

Ichores an omnium succorum promptissimè in venenum commutentur.

à veſicatoriis omnium maximè extrahi. Lentè enim progredientia longum poſt tempus nocumentum oſtendunt, craſſaque ſunt, lentique motus, *ex Gal. 3. ſimp. cap. 22.* Prætereа, ſint ichores omnium ſuccorũ promptiſſimi ad motum: an dum in venenum commutantur, ichoris formam retinent, an amittunt. Si primum dicat Saxonia, tunc corruptio non erit mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente. Si ſecundum; tunc ab ichoribus non poterit ſumi ratio facilioris eductionis. Sumeretur enim ab eo quod nõ eſt. Tandem Sax. illatio falſa eſt. Quamquam enim veſicantia calore, & dolore trahant ichores promptiſſimè, veſicantia tamen venenata ichores venenatos non trahunt. Venena enim non à venenis cuti impoſitis, ſed ab alexiteriis trahuntur, vt *cap* 16. monſtratum eſt. Ad extremum etiamſi gratis concederemus Saxoniæ, ſua veſicantia trahere ichores venenatos quam facillimè, fallacia tamen erit à ſecundum quid ad ſimpliciter, ſi indè inferat, vt facit, in quocunque veneno educendo primas partes obtinere veſicantia. Quid enim ſi craſſum erit venenum ac lentum? quid ſi venenis veſicantium contrarium? quid ſi diuerſum? quid ſi ſimile, calidius tamen ac fortius? Sed hæc ex antè dictis ſoluta iam ſunt. Addit alias rationes *cap. eodem* Saxonia, quibus probat, venenum in profundo poſitum, euacuari ad cutem medicamentis calore & ſubſtanciæ ſimilitudine trahentibus. Igitur veſicantibus. Nihil enim inquit eſt magis veneno ſimile quam venenum. Sed in his immorandum non eſt: confundit enim ſimile & idem. Nos vero rationes has ſigillatim *c. 40.* adductas profuſe explicauimus *c. 15. 16. & ſequentibus præſentis libri.* Septimò, arguit Saxonia, ſumpta ratione a natura febris peſtilentis, quæ ex veneno conſtituitur. Et primum *capitul. 43. 44. & 45.* probat, venæ ſectionem, purgationem per ventrem inferiorem, & vomitum, non conuenire in omni febre peſtilente. Sed ſubdit, veſicantia omni febri peſtilenti vtilia ſunt: conueniunt enim in febri peſtilente hectica, & putrida. De hectica ſic ratiocinatur *capitul.* Hectica peſtilens quædam eſt ex putredine ſolidæ ſubſtantiæ cordis, quædam ex putredine roridæ humiditatis; & hac ratione inquit ſcripſiſſe Galen. omnes febres peſtilentes oriri a putredine. Solidarum partium

Venena ab alexiteriis, non venenis trahuntur.

Ratio 7. Saxoniæ pro veſicantibus.

tium hecticam dicit curari non posse, roridæ humiditatis posse. Curatur autem, inquit, alexipharmacis ratione victus, & medicamentis ducentibus ad cutem, authoritate Rasis & Nicolai Massæ. Ergo concludit, vesicantia, quæ venenum hoc absque vllo virium dispendio expugnare valent, ab hecticis pestilentibus non sunt ableganda. Mox probat conferre in pestilenti putrida *cap. 47.* sic: Hæ febres sunt venenatæ, ex veneno residente in toto corpore, vt in subiecto adæquato, in corde verò vt in subiecto principali, in his venenum generari incipit in externis & ignobilioribus partibus, *ex Galen. 6. de locis affect. capit. 5. & 2. in 1. prorhe. 17.* Ergo vesicantia, quæ ad cutem deducunt, venenum reuellent, & euacuabunt. Rursus *capitul. 48.* inquit: Si venenum quam citissimè non euacuabitur ad cutem, confluet ad partes principes. Ideo Hippoc. refert in constitutione pestilenti, quam *3. epidemio.* enarrat, illos seruatos fuisse, quibus in cute vlcera, erysipelata, & huius generis excreta apparuerunt. Ita *5. method. 12. & lib. de cibis boni, & mali succi cap. 1.* Præterea *cap. 50.* inquit, venena velocissimè penetrare: Ergo ante quam altius suas radices figant, retrahi velocissimè debent ad cutem. Hoc vesicantia præstant. Tandem *capitul. 54.* rationes quas profusis verbis explicauit, epilogo repetit. *Solutio.* Sed hęc Saxoniæ ratio multis modis dilui potest. Primo, hecticis pestilentibus vesicantia non conuenire, neque putridis, suarum rationum explicatione monstrabimus. *Vesicantia non conuenire hecticis pestilentbus, nec putridis probatur.* Hectica pestilens etiamsi ex roridæ cordis substantiæ corruptione, ac in venenum commutatione oriatur, curationem non recipit, inquit enim Galen. *3. de præs. ex pul. cap. 3. Quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ in corde sit?* Gal. ibi de corpore cordis loquitur, & comparat non carnem cordis ad roridam humiditatem, sed corpus visceris ad humores, quos continent cordis sinus: In corpore cordis dicit affectum pestilentem lethalem, in humoribus contentis à sinibus cordis non omninò lethalem. Ergo tam si vere solidam, quam si roridam substantiam cordis putredo pestilens inuaserit, lethalis erit affectus Verba Gal. eo loco hæc sunt: *Quod vero in sermone præteriuimus, vbi aër, quem spirando attrahimus, infectus putredine sit, ac putredo corpus cordis attigerit, illi pulsus fiunt.*

Nec iam quicquam habet admirationis, si eos pulsus, quos memorauimus, tali affecti peste habeant, nec si pestilentem respirationem, nec si omninò morituri sint. Quam enim excogites medicinam ad putredinem quæ in corde sit? Nam quibus calor hic putredinosus ad humores quos continent cordis sinus magis deflexit, quam ad corpus ipsum visceris, multi horum fuerunt superstites. Præterea rorida cordis humiditate corrupta, seu in venenum commutata, cor patitur affectum longè grauiorem, quam si vel dolorem patiatur, vel inflammationem. Venenum enim toto genere delerterium peculiari antipathia cor offendit, & quamquam in minima particula acceptum, totum momento temporis immutat, sibique simili affectione alterat, vt supra ex Galen. monstrauimus. Dolores & inflammationes à calore naturali vinci possunt, venenum vinci non potest, Sed in dolore, & inflammatione cordis animal moritur. Hippocr. 7. *de morbis popularibus* loquens de Ctesiphonte, inquit: *Ad noctem cordis ac oris ventriculi dolor, & non longè post vocis interceptio, strangulatio cum stertore, & mortuus est.* Libro de coacis præn. de peripneumonicis loquens, inquit: *Quibus verò totus pulmo inflammatus fuerit vnà cum corde, vt ad latus allabatur, hi toti resoluuntur: & ager frigidus, sensus exors, moriturque secunda, aut tertia die.* Et Gal. 5. *de locis affect. c. 2.* inquit: *Cæterum proprio quoque affectu cor laborare solet, vel ob simplicem intemperiem, siue inæqualis, siue æqualis ea fuerit: vel inflammationem, vel erysipelas, idque dum fieri incipit. Illico enim antea, quàm augeantur huiusmodi affectus, animal corrumpitur.* Et paulo post subdit: *Imflammato manifestè corde gladiatoris, vidimus aut aliter quam qui cardiaca syncope pereunt obiisse.* Itaque multo magis in veneno cordis roridam humiditatem depascente homo interibit. Accedit, quod etiansi hæc hectica pestilens curari posset vesicatoriis Saxoniæ, non modo curari non posset, sed ad summam perniciem duceretur. Rasis & Massa Saxoniæ vesicantia nullo modo proponunt, vt apud ipsos videre est, imò potius à Saxon. proposita explodunt, qui hectica pestilenti affectos curant: mittentes eos in domos frigidas, prohibentes eis balneum & aquam calidam, Nec vllus eorum, qui scripsit de huius febris curatione, vesicantia vel proposuit, vel commendauit. Accedit quod

Veneni deleterij & cordis antipathia.

quod hectica pestilens summum habet incendium in solidis partibus: secus hectica febris non esset, & Gale. de ea loquens *3. de præs. ex pul 3.* inquit: *Animaduertimusque eos primis statim diebus, & pestilentia laborare, & pessimè affectos esse, ex acredine caloris, atque ipsa caloris specie.* De hecticis autem inquit Gal. *10. method. c. 11. Verum, quantò hecticarum febrium affectus est calidior, tantò vtique frigidiora requirit auxilia, & simul maiorem sollicitudinem, ne valentibus auxiliis vtentes quicquam lædamus.* Vesicantia & calidissima sunt, & valentissimè trahunt, vt supra mõstratum est. Tandem hecticas pestilentes liquantes esse dicit Gal. *eodem 10. method. c. vlt. & 8. de comp. med. per locos c. 7.* Ergo calidis vesicantibus eas non curaret Galen. qui *eodem 10. meth.* subdit: *Hæc igitur cum scias, etiam colliquantium febrium iisdem methodis curam ages, tum ad frigidam, quamprimum properans, tùm iis, quæ humectent, & refrigerent, nutriens.* Et Aëtius *lib. 1. tetrab. 2 c. 90.* inquit: *Clarum est, quod exstinctoriis medelis vtimur, ita vt valdè frigidam aquam potãdam exhibeamus, & cataplasmata, & epithemata frigefacientia thoraci, ac præcordiis imponamus, & cibos humectantes ac refrigerantes demus.* Vesicantia denique non modo non refrigerant, sed ex acribus confecta exurunt, & colliquant, vt ex Galen. *4. simp. c. 19.* suprà monstratum est. Neque verò conducunt in putridis pestilentibus. Quamquam enim venenatæ illæ sint, falsum est, in illis perpetuò venenum oriri ab ignobilibus partibus. Galen. enim *6. de locis affectis 5. & 2. in 1. prothet. 17.* de generatione veneni ex humorum corruptione loquitur, de eo autem, vt febris pestilentis est caussa non loquitur. Pestes verò, quæ vt plurimum contingunt, aëris vitio fiunt, *Galen. 1. primi epidem. in proœmio.* Aëris autem malefici inspiratione cor afficientes enecant, *ex Galen. 3. de præs. ex pul. c. 3. lib. de ther. ad Pisonem c. 16.* Mox vbicunque oriatur venenum, nõ venenis curatur, vt suprà monstrauimus *c. 16.* sed antidotis, *ex Gal. 13. meth. c. 6. 6. epidem. 5.* quæ momento corpus penetrant, *ex Gal. 1. de sem cap. 16.* Ad hæc quamquam excretiones in variis pestilentiis modò per aluum vtiles fuerint, modo ad cutem, pro vario illarum impetu: certè quidem, quæcunque ad cutem fiunt excretiones, nec perpetuò per eandem viam debet medicus illas moliri, vt appa-

Hectica pestilentis incendium summum.

Hectica pestilentes liquantes Galen.

Vt curandæ.

Vesicantia non conducunt in putridis pestilentibus.

Venenum antidotis curatur, non venenis.

ret in Simone latas pustulas habente, 2. *in 6.epidem. 30. &* 1.*prorhet.*12 & alibi sæpe, vt *cap.6.præsentis libri* explicatum est. Et tandem, quæ per cutem excerni debent pestilentes excernentes, multis auxiliis excerni debent, vt *cap.* 2. retulimus: vesicatoriis vero Saxoniæ excerni non debent; quæ febrem augent, vires deiiciunt, putredinem multiplicant, per vias non idoneas succos trahunt, venenum intendunt, & a profundo nullo modo ad cutem venenum deducunt, vt 2.*parte præsentis disp.* monstrauimus. Hæc ingenuè ad vnam veritatem protulimus, doctorum hominum iudicium expectamus, sententiam mutaturi, si meliorem ostendant pro ægrorum salute.

Vesicantiũ nocumenta.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX RES ET VERBA NOTATU DIGNIORA IN HOC VOLUMINE MEDICARUM DISPUTATIONUM CONTENTA COMPLECTENS.

A.



Author

Calor

D.

E.

Essen-

Calor

ab Im-

L.

M.

Mulie-

Q.

R.

S.

Sapiens

T.

V.

 uunt.


FINIS.

IMPRESSVM
FRANCOFVRTI AD MOE-
NVM, APVD HÆREDES ROMANI
Beati: Georgium Beatum, &
Ioannem Ludouicum
Bitſchium.





M. DCI.



Op3

NICOLAI MACCHELLI

MVTINENSIS MEdici CL.

DE MORBO GALLICO

EIVSQVE SYMPTOMATIS & curatione

TRACTATVS METHODICVS, ET succinctus, nunc primum in Germania editus.

potius Venetijs prodijt A°. 1555.


Addito INDICE pro mole operis satis locuplete.



FRANCOFVRTI,

Apud Hæredes Romani Beati.

Anno M. DCI.



IVNIORES MEDICI
COLLEGII MVTINENSIS
Lectoribus. S.



Vm sæpius audiuissemus Nicolaũ Macchellum ciuem nostrum, virum in re Medica præstantem, de eo morbi genere, quod nostrates Itali Gallicum vocant, disserere cognouissemusque aliam curandi istiusmet morbi rationem iniisse, ac alij antehac aggressi fuerint, quæ tamen magis doctrinæ Hippocraticæ aliorumq; veterum physicorum innitatur, quàm cuiuspiam qui de hoc morbo scripserit: rogauimus ipsum, vt nostræ vtilitatis gratia, scriptorem quempiam qui hoc negotium tractandum suscepit, sumeret examinandum, ostenderetque quo delinqueret a nitida illa methodo ab Hippocrate monstrata, exactéque à Galeno tradita. Ille autem libenti animo obsequens scriptoris, quem ipsi attulimus, dicta recensens & diligentissimè perpendens, mira facundia nobis tunc indicauit, quæ parum consentirent, quæque discreparent ab antiquorum doctrina. Cum verò optaremus vt quæ semel coràm narrasset nobis, perlegenda traderet, ceu liberum quondam munus: ipse (quæ sua est modestia) ne laudi cuiuspiam seu viuentis seu mortui, vel minimum nominatim detrahat, omninò abnegans alium potius laborem subire decreuit, (cum alioqui nobis quoquo pacto satisfaciendum esset) atque breuem tractationem conscripsit, quæ fulta methodo illa antiqua, omnia quæ ad ipsum morbum spectant, persequitur, ipsius innixa rationibus atque principiis.

Quæ quidem quantum ab aliis omnib. qui de huiuſmodi materia hactenus ſcripſère diſſentiat, vos iudices eſtote. Hoc nos impulſi huiuſce noſtræ artis vtilitati ſtudentes. ſtatuimus, vt commodius, citiuſque vobis ac nobis ſatisfieret, non ſcriptis, ſed typis impreſſis opuſculum hoc edere, ipſum præterea precibus adegimus, vt libellum Razæ de peſtilentia, quem ipſe nuperrimè, è græco in latinum tranſtulit, ederet, cum lues quoque hæc, per contagium in genus humanum graſſetur, & maximum ab vtriſque immineat vitæ diſpendium. In qua quidẽ re facile perſpicietis haud exiguos cæterorum interpretum lapſus, vel luce clarius, cognoſcetiſque quantum polleat vir hic noſter tum in exponendis ſuiſmet rationibus, tùm aliorum ſenſibus interpretandis. Valete.



NICOLAI MACCHELLI TRACTATVS DE MORBO GALLICO.



NOs verò, cùm omnia ferè quæ à multis medicis huiusce tempestatis, de morbo, quem *Neapolitanum* Galli, Itali *Gallicum* vocant fuère scripta, sub vnius exemplo, & eius quidem omnium celeberrimi, certissimis argumentis, & rerum experientia reiecerimus, nunc morbi eiusdem naturam, & causas, & quæ eum sequuti symptomata, adhæc verò & curationes, pro vera veterum doctrina, si DEO placet explicemus.

Morbus Gallicus Gallis Neapolitanus vocatur.

Ordo & methodus ab authore seruanda.

Hic inquam morbus à loco primi contagij, & ab his qui ipsum primò suscepêre, nomen est consequutus. Nam cum *Neapoli* primum in homines irruisset, à Gallis *Morbus Neapolitanus* est vocatus: quum verò *Galli* vel per intemperantiam, & plenam viuendi rationem, vel per caliditatem eius regionis, in qua præter consuetudinem versabantur viribus infirmati, eo morbo, plusquam alij indigenæ, cepissent occupari, ab Italis *Gallicus* est vocatus.

Morbus gallicus vnde nomen habeat.

Hic morbus & *simplex* & *compositus* esse potest. Simplex quidem est, vt in præternaturalium intemperaturarum genere, vel in genere tantum instrumentalium morborum, vel in eo quod ad partium præternaturalem vel vnitionem, vel solutionē spectat. Quid enim obstat, quin in corpore humano, benè habito, minimè excrementoso, benè attemperato, per insignem motum iuxta corpus aliud, prauo hoc genere morbi inquinatum per attritionem, per frictionem, per mutuum fotum, feruidus quidam calor, concitetur: dehinc mutua spirituum emissione & susceptione prauum id vitium homini, qui primo bene habitus erat, minimè erat excrementosus, probe attemperatus concepto iam feruida caliditate, quæ sensibiliter lædat functiones, communicetur? Morbus tunc erit calida præternaturalis intemperatura: prauum illud vitium tertia quædam qualitas erit, quæ morbum nullo

Morbus gallicus & simplex & compositus est, & simplex quid?

non tempore comitatur. Verum quod per mutuam attritionem, & frictionem, & mutuum fotum, feruido calore excitato: corpora calefacta ſpiritum viciſſim excipiant, & ex ſeſe emittant, aliorum omnium exemplo nulli non patet.

Fruges quæ calefiunt, ſpiritum & ſuſcipiunt. & emittunt.

Nam fruges ſi calefiant, & legumina, & fructus, & folia, & ſtirpes, & ligna, & cætera denique quæ calefiunt ſpiritum ſuſcipiunt & emittunt. Quo fit vt vir morbo Gallico inquinatus, ſi in conſuetudine cum munda muliere ſeſe ei ita mutuo affricet, atteratque vt mutuò calefiant, emiſſo ab eo ſpiritu & eodem à muliere ſuſcepto mulier inquinatur: ſin inquinata eſt mulier ſuo ſpiritu vitiato vitium viro impartitur: Ratiocinatio hæc ſumpta eſt ab Hippocrate *libro de Natura fœtus*. Sin corpus ſit excrementoſum vel malè habitum, vel attemperatum, facilius per mutuam perfrictionem, vel forum, vel attritionem ſuſcepto calore, dehinc ſuccedente mutua ſpirituum emiſſione, & ſuſceptione excipit inquinamentum. Tuncque in malè habito veriſimile eſt, vt viſcera iamdiu infirmata, primò inquinentur: In excrementoſo humores qui exinde naturæ facti hoſtiles, ab ea repudiantur, & pelluntur extra corpus, ſi penitus à natura ſuperentur, ſcilicet, vacuatione ſenſibus vel manifeſta, vel occulta: ſin ſuperentur quidem, ac non prorſus, pelluntur er corpus ab hac parte in illam donec in aliqua quæ cæteris ſit infirmior, ſiſtant: in ea præternaturalis intemperatura aliqua ferè comitatur. Tunc quaſi ſenſibiliter læduntur particulæ functiones, id erit vel cauſa tumoris, & erit ſimplex morbus inſtrumentalis: vel cauſſa intemperaturæ, & erit ſimilarium partium morbus ſimplex: ſin vtriuſque cauſſa morbus erit compoſitus, ſcilicet & ſimilarium partium & inſtrumentalium.

Morbus Gallicus contagioſus eſt.

Humores inſigni acredi di inconiũcti & cutem, & partes ei ſubiectas erodunt.

Quod ſi hoſtiles illi humores inſignis acredinis ſint participes, poterunt vna cum tumore & intempe-tura aliquando non cutem ſolam erodere, verum etiam ſubiectas partes, ſcilicet & carnes, & neruos, & membranas, & chartilagines, demum & oſſa ipſa. Quamobrem ſi per eroſionem tantum, & non per-

tumo-

umorem vel intemperaturam, ſenſibiliter læſerint functiones, morbus erit ſimplex, partibus ſimilaribus, & inſtrumentalibus communis, ſcilicet continui ſolutio: Sin meritò etiam tumoris & intemperaturæ, erit compoſitus ex omnibus morborum generibus.

Compoſitus morbusquis.

Solent eiuſcemodi affectus tempore vel in alios vel ſui generis vel alterius cuiuſuis tranſmutari, ſimplices in ſimplices, in compoſitos compoſiti: intemperaturæ in intemperaturas, calidæ nimirum in frigidas, frigidæ in calidas, humidæ in ſiccas, in humidas ſiccæ: tumores item item in alios tumores migrari, & tandem iidem ipſi in acſceſſus.

Quare multi medicorũ in aſtruenda Gall. morbi definitione ſint hallucinati.

Hinc factum eſt, vt multi medici videntes in eodem morbido hominis ſtatu, tot metamorphoſas, morbi naturam ſatis aptè nequiuerint definire, opinantes enim ſub vnico genere contineri, alij ad inſtrumentale genus, alij ad genus commune, alij tamen ad vtrunque, nulli ferè ad intemperaturas deflexere.

Opinio aliorum de hoc morbo.

Opinio propria.

Nos verò, non ſub vno tantum genere morbi contineri, vel duobus, ſed ſub omnibus ſimul arbitramur: Vt ipſum vbi pluribus numeris conſtet, in hunc modum ſatis commodè poſſimus definire.

Definitio morbi Gallici compoſiti.

Morbus quem noſtrates *Gallicum* vocant eſt præternaturalis congeries affectuum, ſenſibiliter ac multifariam lædens functiones, à qualitate venenoſa non immunis. Vbi verò ſimplex ſit, ita definiri poteſt.

Simplicis morbi Gallici definitio.

Gallicus morbus eſt affectus præternaturalis ſenſibiliter lædens functiones, à qualitate venenoſa non immunis.

Ex notitia ſimplicium cõpoſita ſunt cognoſcenda.

Verum cum ex notitia ſimplicium quorumcunque compoſita veniant cognoſcenda, ſupereſt, vt nos primum ſingulorum ſimplicium eiuſmodi morborum naturam exponamus, vt exinde compoſitorum natura nulli non ſit aperta. Dicimus nos à diutina experienta edoctos eſſe, quod ſi duo humana corpora, quorum vnum hoc genere morbi inquinatũ ſit, alterum benè habet, ſeſe mutuo morbis concitatis refricent, iuxta accũbant ſe,

mutuo foueant: calefiunt primum, & aliquando ita calefiunt, vt anhela vi tantum spiritus attrahant, vt satis sit pulmonibus refrigerandis. Hac necessitate caloris urgente, spiritus hinc & inde suscipiuntur, & emittuntur, vt inde ægri inquinamentum sano homini impertiatur ac communicetur. Primus igitur affectus calida est intemperies, quæ vbi primum lædit sensibiliter functiones simplex est morbus, vbi vero secum accersit tumorem aliquem præter naturam cuius etiam genera lædantur membri alicuius functiones, iam morbus compositus esse incipit. Hæc enim calida intemperatura, quam præludium huius morbi esse diximus nisi præsto amoueatur, præternaturalem tumorem ad sese trahit; talis enim est natura calidi & vis. Is tametsi pro ratione naturalium temperaturarum & ætatum, & humorum, cuiusuis tumorum generis esse possit, nihilominus ferè in morbi initio ex genere est phlegmones. Hæc si aliquandiu perseueret, vel in abscessum vel in tumorem durum transit. Calida verò illa intemperatura, si diutius immoretur primum spiritibus & sanguine digerendis, transit in frigidam. Hæc gignendis cruditatibus & cumulandis, in humidam migrat. Tandem verò & ista, deficiente idoneo alimento corporis in siccam transit. Interim autem cruditatibus fluuitantibus hinc & inde varij tumores fiunt, quorum aliqui vertuntur in abscessum, aliqui ita obdurescunt, vt marmorea tubercula esse videantur. Perseuerante morboso hoc statu fit hæc affectuum vicissitudo. Nec qualitas contagiosa, quam horum generum morborum inseparabile symptoma esset opinamur, vllo vnquam tempore intermittit, deseritque. Hæc est huius morbosi status præternaturalium affectuum congeries, sub qua aliquando Gallicum morbum contineri dicebamus.

Morbus hic quando simplex. Quando compositus.

Calida intemperatura tumorem præternaturalem ad se trahit.

Qualitas contagiosa huius morbi inseparabile symptoma.

Singulorum causæ, tametsi iam obiter à nobis ferè sint enarratæ, nihilominus nunc etiam aliquantulum fusius explicabuntur. Intemperaturæ calidæ, quæ initium est malorum, causæ sunt, motus concitati, mutuæ refrictiones, mutui attritus, mutui cum accubitus, tum

Intemperaturæ calidæ quæ sint causæ.

um etiam fotus. Tumorum verò præternaturam humores à modo recedētes, ſimplicium qnidem ſimplices, compoſitorum verò compoſiti. Hi vel in particula intumeſcēe generantur, vel aliunde aut pulſi, aut tracti congeruntur. Hi rurſum in particula generantur ipſius vi concoctrice laborante, expultrice vim paſſa, retinentur. Pelluntur autem vel quantitate, vel qualitate, vel vtraque ratione infeſti. Attrahuntur per vacui neceſſitatem, ſcilicet ne vacuus relinquatur locus, eam vero neceſſitatem facit vel immodicus eius partis calor, vel alicuius appoſiti medicamēti & natura & vis. Continuitatem ſoluunt, quæcunque vel ſcindunt, vel contundunt, vel diſtendunt, vel erodunt. *Continuitatem quæ ſoluant.* Scindunt, quæ per aciem quicquid ſibi obuiat ſeparant: in his ſunt, quæcunque exterius per aciem ſecare poſſunt, quæque interius prædita ſunt vi tenuis caloris frigoriſuè. *Scindant.* Contundunt quæcunque dura ſimul & grauia in aliquam rem ſibi occurrentem inciderint: in horum numero ſunt *Contundāt.* prædur i articulorum tumores, qui vicinas partes ſuis neceſſarijs motionibus contundunt, laniant lacerantque. Diſtendunt autem quæcunque per immodicam copiam à ſuo loco nequeunt contineri, vt immodici vel humores, *Diſtendant.* vel flatus, qui ſi à loco continentur vel ſuapte natura, vel ex acquiſita intemperatura denſo, vi maiore agunt, tantoque maiore, quanto locus fuerit denſior: ſin vel natura rarò diſtendunt, ſed minus quidem vt ſimul & diſtendant, & ex parte digerantur. Erodunt autem quęcunque qualitate acria ſunt, & ignea vi pollent. Verum ſi admodum vehe- *Erodant.* menter ignea ſunt, non erodunt ſolum, ſed etiam exurunt, & cruſtas parant. Hoc in extrinſecis videmus, videmus & in intrinſecis, tum intemperaturis, tum vſitatis ſuccis. Hæc dę cauſſis. Iam de ſymptomatis ſingulorum diſſeramus.

Calida intemperatura quam inter morbos gallicos originę primam eſſe, dicebamus, ardorem parit, aliquando *Calidæ intēperaturæ ſymptomata.* in pene tantum vel pudendis mulierum, aliquando in cute corporis vniuerſi. Hæc ęadem ſi cutem occupet vniuerſam, in ipſa ruborem, nitorem, ac ſplendorem parit. Inſuper eadem ipſa abſumendis ac digerendis pilorum alimētis efficit, vt hi langueſcant primum, dehinc quaſi ſemi-

 mortui

mortui colore subobscurentur, tandem verò & decidant. Interim oculi scintillant, atque illustrantur. Quid? quod ob eandem caliditatem tunicis ipsorum rarefactis, spiritus ipsi visui inseruientes, attenuati in ambientem aerem dissipantur, quo factum est aliquando, vt visus acies nonnullis sit imminuta, nonnullis verò eousque sublata est, quoad amota calida intemperatura, & tunicis ad pristinā densitatem redeuntibus, non amplius immodicè in ambientem digerantur, sed prout decet, retenti commodè suo inseruiant instrumento. Hęc sunt ferè istius calidę intemperaturæ symptomata. In tumoribus præter naturā phlegmone siue in pene siue in locis muliebribus, siue in inguinibus, siue in aliqua quauis parte fiat, dolorem, pulsum, feruorem, & renitētiam parit, mutatque colorem affectæ partis. Verum erysipelas quoniam ex sanguine & bile flaua, admodum calidis generatur, maiorem calorem ostendit, coloremque cum rubro magis flauum repræsentat, quod si digito vel leuiter premas, sanguis, vt qui admodū tenuis est, statim subterfugit, rursumq; illabitur rubrumq; colorem redaccendit. Sunt duæ aliæ inflammationes, quæ de sola bile flaua fiunt, quæ si crassa sit, cutem cui subest, exedit, & nonnihil subiectæ carnis, & vocatur exedēs herpes, sin tenuis, cutem tantum exurit, & non exest, hic vocatur herpes milliaris: vtraque naturalem particulæ colorem ad flauū vertit. Exedere & vrere sunt morbi functiones vitiatæ, color immutatus ex genere est vitiatæ corporis qualitatis nimirum eiuscemodi inflammationum symptomata. Dolent omnes quidem, sed phegmone omnium magis, dehinc exedens herpes, postea milliaris, erysipelas autem omnium minus. Est & alia phlegmone, quæ cutem tantum attingit, minimè verò subiectam carnem, & hæc quidem dolorem facit, & colorem in rubrum mutat sed caret pulsu. Genus hoc inflammationis glandem penis & locos muliebres in hoc morbo quem *gallicum* vocamus, afficit non infrequenter: imò & frontem, & partem capitis capillatam, & oris labra, & palatum & fauces. Huius symptomata scilicet color ruber, calor immodicus, & sine pulsu dolor. Sunt & aliæ duæ inflammationis species, quas tametsi in hoc genere contagiosi morbi nos earum alteram vix semel viderimus, nihilominus quia per medic

Phlegmone in humorib. præter naturam quæ pariat.

Erysipelas ex sanguine & bile flaua ad modum calidis generatur.

Herpens exedens.

Herpes milliaris.

Alia species phlegmones.

Eius symptomata.

Aliæ duæ inflammationes.

dic

[?]ici vel imperitiam, vel socordiam, vel per languentis intemperantiam accidere possunt, nolumus ipsas silentio præterire. Vna est eiusmodi. Sanguis influens vbi abundè calidus sit & crassus, in quamcunque particulam affatim influxerit, vlcus in ea parit cum crusta, partes verò circum iacentes in inflammationem extollit, & per fervorem admodum sęuum dolorem facit. Hęc sanè inflammatio carbo nuncupatur: cuius symptomata sunt, exurere, cutis leuitatem vitiare, sæuum dolorem excitare. Altera vero est quam nos aliquando sub nostro præceptore, in pube hominis hoc gallico morbo laborantis sumus conspicati, confluebat ad locum sanguis ater, crassus, cęnosus, & feruidus, inde serositas quædam tenuis superficiales quasdam bullas excitabat cute tenus, earum quæ ab igne eleuantur instar. Quibus disruptis deprehendebatur sub esse crustosum vlcus, & hæc vero ipsa carbo appellatur: Cuius etiam symptomata sunt immensus feruor, dolor acer, cutis inæqualitas demum etiam asperitas. Oedema verò est tumor mollis, hunc gignit aliquando spiritus flatuosus, aliquando influens pituita. Tumor hic cùm in alijs corporis partibus, tùm maximè vel in articulis vel in extremis membris fieri solet, symptoma vtriusque communis est, membri mollities, illius verò proprium cute tenus perspicuum esse, huius sub obscuro colore infici affectam partem: vtrique citra dolorem premi possunt, subpremente vtrique concauantur: verum in illo pars depressa affatim relabitur, in hoc relabitur, sed paulatim. In tumorum præternaturalium genere est etiam scirrhus, qui quoniam duplex est, exquisitus qui penitus caret sensu, & non exquisitus, qui sensu quidem præditus est, sed valde obscuro: hinc fit vt illius quidem symptoma sit carere sensu huius verò hebeti sensu esse. Iam verò ad symptomata continuitatis solutionis, & continuitatis eorum quæ soluta esse deberent accedamus. Abscessus inter ipsas nobis primo sese offerunt, qui nimirum ob id Abscessus appellantur, quod in ipsis particulæ, quæ prius sese mutuo contingebant, nunc interclusa aliena materia mutuo dissident. Materia est vel humiditas quædam, vel spiritus flatuosus. Hæc quidem & distendendis particulis à quibus continetur, & ipsis aliquando erodendis dolorem semper

Carbonis species duæ, & eorum symptomata.

Oedema quid.

Eius generatio.

Tumor.

Symptoma. Vtriusque.

Abscessus quid.

Eius materia.

Circa puris generationẽ quæ fiant.

Alia eius symptomata

infert: tunc verò magis cum suppurationis tempus instat. Nam circa puris generationem, dolores & febres maiores fiũt, quàm dum generatum est. Dolor igitur vtrorumque commune est symptoma. Præterea & alia symptomata esse possunt, etiam penes qualitatem affectæ partis immutatam scilicet vel calorem, vel frigus, vel duritiem, vel molliciem, vel lenitatem vel asperitatem, vel colorem siue magis album, siue cinereum, siue liuidum siue nigrum, omnia scilicet pro ratione vel quantitatis, vel qualitatis materiæ, quæ in abscessibus continetur. Contigere etiam aliquãdo in hoc morbi genere vlcera quædam in penis glande, & in interna parte præputij operientis, quæ per negligentiam vel medici vel languentis ita inuicem coaluere, vt nullo pacto præputium à glande diduci posset, cuius quidẽ præter naturalis vnitionis symptoma præcipuum impedimẽtum est coeundi: affectus autem est vnitas eorum quæ naturaliter ab inuicem soluta esse debuere.

Grauitas scapularum à substantia vitiosorum humorum oritur.

Dolor ab eadem.

Quare dolores noctu augeantur interdiu mitigentur opiniones aliorum.

Eorũ ratio 1.

Confutatio.

2 ratio

Refutatio.

Sunt præterea tria alia symptomata, quæ tunc potissimum deteguntur, quãdo morbus iam toti corpori est cõmunicatus, primum est grauitas scapularum, secundum est iugulorum & summorum humerorum dolor, imò aliquando & bracchiorum, & crurium, tertium est faucium rubor, & calor. Grauitatem scapularum à substantia vitiosorum humorum scapulis incumbente oriri opinor: dolorem autem ab eadem vel simili substãtia, sed altius quidem infixa, in membranis scilicet, à quibus ossa operiuntur, & in tendonibus musculorum, qui ad eas partes peruenere, quæ tantò tenuior quàm illa esse debet, quantò meatus tendonum & membranarum meatibus carnium sunt angustiores. Verum quoniam ij dolores noctu ingrauescunt, mitescunt verò luce proxima sunt qui dixere, id primum noctis humiditati acceptum ferri, inquientes ab ipsa internas humiditates augeri atque agitari. Nos verò augeri quidem humiditates ab noctis humiditate posse non negamus, agitari autem nequaquam. Humiditas enim inefficax. Dicunt secundò, naturalem calorem noctu introrsum reuocari, humores commouere, dolores ex eorum commotione exacerbari. At nos arbitraremur naturalem calorem, vbi ad viscera reuocatur atque vnitur, vim maiorem cõcipere, & melius humores freno cohibere. Quãobrem

orem nos potius aliter diceremus, ſcilicet corpus à no-
is frigiditate denſari, digeſtionem acrium vaporum in-
beri, imò potius cogi atque vniri, & inde membranas,
ſſium operimenta vi maiore erodi. Nihil verò ad rem
ectat id quod aiunt, ſcilicet humores à quibus gallicus
xcitatur morbus, vt plurimum frigidos eſſe, quia adhuc
per eſſet quærere: cur frigidi humores noctu quam in-
erdiu magis vexent. Quod verò per corporis denſitatem
noctis frigiditate acres vapores intus retineantur indi-
io eſt quod leui linteorum caliditate ac fotu, circa dolẽ-
es partes nonnihil miteſcit dolor, dehinc perſeuerãte ca-
efactione ac fotu augetur, quoniam leuis caliditas ac fo-
us corpus rarefacit, vehemens & diuturna præter hoc
uod acredinem auget, plus acrium vaporum auget quàm
ligerit.

3. ratio.

Solutio.

Linteorum caliditate miteſcit dolor.

Leuis caliditas corpus rarefacit, vehemẽs acredinem auget.

Faucium autem calorem & ruborem excitat influxus
ãnguinis feruidiorum. Nunc verò de præſagiis agen-
dum.

præsagia.

Sunt qui affirmẽt, neque à Galeno, neque à quoquam
antiquorum in hoc genere morbi præſagia quærenda eſ-
ſe, morbum hunc nouum eſſe aſſeuerantes. Sed oh rem ne-
fariam & penitus pernitioſam, ſcilicet diſcipulos à vera ve-
terum ſcriptorum doctrina auocare, ad ſeſe, & inania fa-
bulamenta pertrahere. Verum mihi dicant quæſo, quid in
hoc genere morbi quod nouum eſſe centies dicere non e-
rubeſcũt reperitur, cuius Hippocrates in præſagiis, & præ-
dictionibus, & conſequenter Galenus in ipſorum expoſi-
tionibus non fuerit memoratus? Præteriere ne ipſi ſilentio
vlcera recentia, vetera mollia, prædura, benigna, maligna,
lutea, liuida, nigra humida, ſicca & quouis modo intem-
perata, imò & alta, & quæ cutem tantum afficiant? Tacue-
re ne cuiuſuis generis intemperaturas? ſimplices, compoſi-
tas, cum materia, ſine materia? Tacuere ne tumores præ-
ter naturam? duros molles, mucronatos, non mucrona-
tos? introrſum vel extrorſum erumpentes? Tacuere ne ſup-
purationes vel internas vel externas? Atque hoc mihi ſal-
tem non negabunt, vnicam ſcilicet omnis præſagitionis
radicem eſſe, cuius Hippocrates in ipſo ſtatim præſagiorũ
initio eſt memoratus, quando ſecundum noſtram inter-
pretationem dixit: *Morborum igitur eiuſmodi naturas non*
ignorare

Hic morbus an nouus ſit, & an veteres illius meminerint: opinio authoris & eius confirmatio.

ignorare est opus, quantum scilicet, supra corporum vires emineant. Sed quid aliud tantum est hoc, quam morbi vires cum corporum viribus comparare. Morbi autem vires cõstant ex eius substantia, ex præstantia affectæ partis, & ex eius malitia. Quæ nimirum ex symptomatis dignosci possunt. At vires languentis cognoscentur ex functionibus trium generum facultatum, naturalis, vitalis, animalis. Naturalis sicut quadruplex est, ita quadruplices sunt eius functiones, scilicet alimenti attractio, retentio, mutatio, & superflui excretio. Harum vero robor dignoscitur ex habitu corporis primum, qui si bonus sit, hasce functiones validas esse ostendit; sin ad summum attingat bonitatis, iam non caret vitio, & est periculosus: non enim in eodem consistere potest, nec in melius proficere, reliquum igitur est, vt in peius. Verum si malus est vel gracilis, vel tumẽs, si gracilis, corpus atrophia laborare significat: sin tumens, plus attrahi atque retineri, quam immutari atque excerni ostendit: ille tabem præsagitur, hic vero aquam intercutem. Sed quanam alia ratione ex vrinis præsagimur, & alui excrementis, ex vomitionibus; ex sudoribus; ex sputis, ex narium mucis, ex ceruminibus, ex lachrymis, ex saniebus, ex pedendo, ex sternutando ex ructãdo, quàm vt robur, aut infirmitatem huiusce facultatis indicemus? Quanam alia ratione spirationis frequentiam, raritatem, magnitudinem, frigiditatem, & facilitatem, sed & pulsuum vehementiam, obscuritatem, & mediocritatem exploramus, quàm vt ostendamus fortitudinem, aut imbecillitatem, vitalis facultatis? Quid enim aliud ex decubitu præsagimur, ex oculis, & alio quouis sensus instrumento, siue communi, siue proprio, ex dentium stridore, ex conuulsione, ex manuum gesticulatione, ex pandiculatione; ex appetentia, vel inappetentia, vel appetentiæ prauitate, ex constantia, vel inconstantia rationis, quàm vt demonstremus, quæ sit vis facultatis animalis? Hæc est, vera veterum medicorum præsagiendi ratio, non in antiquis morbis solum, sed etiam in his quos isti nouos vocant, nec vlla est alia: quam summè opto, & spero vt Deo optimo benè iuuante tandem totis viribus amplectantur. De symptomatis autem fracturarum rupti num vasorum, & vulnerum, non est vt verba faciamus: quoniam

Morbi vires ex quibus constent.

Vires languentis vnde cognoscatur.

Naturalis facultatis functiones. Vnde cognoscantur.

Ex quibus præsagiendũ

vitalis

iam ad morbum hunc, quem gallicum vocamus, nihil pectant. Reliquarum vero solutionum continuitatis mptomata abundè exposita sunt superius, cum de symtomatis præter naturam agebamus. Iam vero tempus est t ad curationem singulorum transeamus à calida inemperatura auspicati.

Calida intemperatura, quæ inter hæc morborum genera primas partes habet, vt facile cognosci potest, ita & urari. Curatur autem per suum contrarium, scilicet per frigidam intemperaturam remediorum. Hæc autem cùm ltera sit qualitatum actiuarum facile sese corpori insinuat. Vno igitur aut saltem altero die hæc intemperatura corrigetur, si quis probè & vt decet suam sibi contrariã idmouerit atque opponet. Admoueri potest exterius & nterius. Exterius per qualitatem frigidam aeris ambientis, per lauacrum, per illitiones, & per ea quæ apponi possunt, Græci epithemata appellant: Interius per eundem aerem qui inspiratur, & qui dilatatione arteriarum in ambitu corporis vniuersi, & per ea quæ ore ingeruntur: ea vero sunt, cibi & potiones & frigida medicamenta. Domus igitur ad Aquilonem spectet, ad frigidum permutetur frigidis irrigationibus, floribus, herbis, germinibus fructibúsque. Tepido dulci oleo illiniatur: dehinc ieiuno ventre, & purgatis alui excrementis, balneum ex aqua dulci temperata intret, in eo aliquandiu versetur: cumq; exitum apparat, sese in frigidam demergat, vel ex frigida irroretur: dehinc linteis mollibus detergatur, cubile intret, modicè quiescat, postremò cibum capiat ex frigidis holeribus, ex teneris & arenosis pisciculis ex acetarijs & frigidis intrictibus, & cum modico sacchare poscam bibat vel frigidam aquam, si ei insueuit, vel etiam cotonei, vel punici mali succum. Quod si his peractis adhuc magnum & frequens spiret, cordi frigida potestate apponantur. Hac enim demum ratione quicquid aduentitij caloris residuum est, illico submouetur, nec amplius phlegmonem expectare oportet, siue in inguinibus siue in pudendis fore, tutoque poteris affirmare, te morbum sæuissimum in prima sui origine iugulasse.

Calida intemperatura facile curari potest.

Cura calidæ intemperaturæ.

Verum si antequam ad languentem accesserit, calida illa intemperatura phlegmonem iam, siue in pudendis siue

Hæc intemperatura si phlegmonẽ attrahit quo modo curãda.

Victus ratio.

siue in inguinibus excitarit, nec dum ea suppuret quidem, sed cruda existens, fluxiones vndequaque ad sese cõuertat excipiatque: Tu habita prius ratione, virium ægrotantis, nec non temperaturæ, & naturalis, & per consuetudinem acquisitæ, & ætatis, qualitatis ambientis, nec non temporis quo morbi summus vigor expectatur: ita viuendi formã institue, vt languẽs interius refrigeretur, exterius modice calefiat, ne per frigiditatem ambientis mala morbi qualitas ad viscera repellatur: ita nutriatur vt vires summũ morbi vigorem possint expectare, morbi verò caussa minime augeri possit. Hac victus ratione instituta, quoniam in foribus est morbus ingens & sæuus valde, si languentis vires & ætas ferunt, venam aperito, non ex superioribus aliquam, ne vitium ad viscera comportetur, sed ex infernis, siue in poplitibus, siue in malleolis. Quantitatem sanguinis vacuandi præscribant plenitudo, corporis robur, ætas, ambiens aer, anni tempus, cœli status & regio. Antea vero cauendũ, nequid crudum resideat in intestinis siue humor siue cibus. Tale autem si quid insit, prius educendum est, vel leui sublutione, vel glande, vel caussis, vel manna vel lactis sero. His ita peractis crura quotidie vacuo ventre linteis asperis & calentibus fricentur, vincula supra malleolos, & poplites adigantur, cucurbitulæ femoribus apponãtur, nihil omittatur, quod influxum sæui huius morbi ad viscera possit inhibere. Quæ omnia sunto communia, omnibus inflammationibus pudendorum & inguinum, de quibus agemus consequenter. Atque interim loco affecto non repellentia quidem apponi debent, (quod cæteris quidem fluxionibus est commune, quatenus scilicet sunt fluxiones:) sed quæ trahunt, quæque in halitum digerunt ac maturant. Constant hæc ex *pinguedinibus*, ex *coctis radicibus althææ, bryonæ, bulbis liliorum*, ex *pinguibus caricis, similibusque* Quod si vel *myrrham*, vel *bdellium*, vel *ammoniacum* addideris: trahẽt quidem magis, nec suppurationem inhibebunt. Tu ex alijs simplicibus medicamentis potestate his similibus alia composita tibi ipsi parare poteris, prout locus & temporis occasio expostulabunt. Dum hæc peraguntur, nulla intercidat dies qua aluus non leuiter stimuletur siue leui sublutione, siue glande; quo nimirum intestinorum vis retentrix ex humidis & pinguibus

Vena sectio.

Præcauẽda.

Frictiones & inhibitiones influxus huius morbi

Aluus quotidiè stimulanda.

unguibus nonnihil quoddammodo laxetur atque infirmetur: & natura quæ hominum corpus regit, insuescat eò nas superfluitates deriuare. Hoc verò perpetuum esto in gallici morbi curatione. Id verò etiam vt cõmodius & exactius fiat, singulis diebus aliqua potio ventri vacuo est propinanda, quæ in primis infrigidet, & detergendis & sedandis succis corpus fluidum reddat, imo & bonam aluum faciat. Parantur hęc ex *decoctis passularum, mixariorum, intubi, cicerbitæ, & similibus.* Quibus decoctis si addatur vel *syrupus acetosus,* vel *oxyra chara,* vel de *acetositate citri,* præter hoc, quod bonam aluum faciemus, sistemus humorum fluxiones, & humores dominio naturæ subijciemus, & obstructa aperiemus, & quicquid reliqui est calidæ illius intemperaturæ adimemus. Verum si phlegmone transeat in abscessum, quoniã tunc partes phlegmone affectæ ab inuicem diducuntur, & materia subintrat aliena, dolores augentur, neque non & febres, modò præcesserint, si nõ pręcesserint, tunc maxima ex parte excitantur. Quæ verò subintrat materia, vel naturam affectę partis superat vel à natura superatur. Si superat vel retrocedit, & per totum corpus spargitur, vt viscera & reliquas corporis partes malo hoc genere morbi inquinet, vitietque, & tunc primum humeris ingens pondus imponitur, vt plumbi magna moles sibi incumbere videatur, dehinc paulo post dolores iugula & summos humeros inuadunt, qui vix paululum interdiu remittuntur, noctu inualescunt, dehinc consequenter incipiunt fauces rubere, incalescere, dolitare, deglutio lacessiri, vox raucescere. Sed hic non est locus in quo de morbi communicatione sit agendum: Ad phlegmones igitur abscessus reuertamur. Dicebamus abscessus materiam, contra naturam victoriam obtinere, vel à natura superari: obtinere victoriam, quando vel retrocedit, & toti corpori communicatur, vel naturam affectæ partis corrumpit, & emortuam & sensibus carentem reddit, hoc erat quod nobis supplendum fuit Gangrænam hunc affectum vocant, quem nos quidem quoniam rarò in gallico morbo fieri accidit, silentio præterire decreuimus. Sin natura materiam superat, vel prorsus exactè, vel non exacte, quidem, si exactè illam quidem fundit, dissipat, discutit, in aerem ambientem vertit, nec amplius gallici morbi timor

Potio ventri vacuo propinanda.

Si phlegmone in abscessum transit quid faciendum.

Si materia subintrans partem affectã superat, quid agendum.

Abscessus materia quãdo naturam superet.

Si non exacte illam superat, in pus vertit.

mor est reliquus: sin non exacte, illam ad semimalam materiam mutat, scilicet in pus: Tuncque pro victoriæ ratione mitescit dolor, durities remollitur, renitentia, rubor, & calor remittuntur, omnia fiunt leuiora. Cum verò pus iam genitum est, cessat dolor omnis, & iam tempus instat, aperiendi, nisi spontè erosa cute, foras pus erumpat, prodeatque. Si igitur sponte non erumpit, scalpro aperiatur sanguis prodire sinatur pro virium ratione, dehinc cohibetur oui candido. Pus verò si album sit, leue, & æquale nihil est quod timeamus, neque gallicum morbum quidem, modò probè & vt decet expurgetur, id quod fiet, si pro modo sordis detergatur, siccetur pro modo puris, verum inter siccandum ratio habeatur non temperaturæ solum languentis, verum & ætatis, & sexus, & qualitatis aeris ambientis, imo & temperaturæ affectæ partis. Nam non solum qui per naturalem, vel acquisitam ex consuetudine viuendi temperaturam, & qui per ætatem & sexum sunt sicci, sicciore egent medendi ratione, quam qui humidi: Imo etiam ij quorum pars affecta per naturam sicca est, adhuc multo magis medicamentorum vi egent sicciore, quam ij quorum pars affecta humida est per naturam. Atque in detergendo sensus acuitas, vel hebetudo particulæ laborantis, operi modum definiunt, ac præscribunt, siquidem quæ acutiore est sensu, optat detergentia mitiora, quæ hebetiore fortiora. Sed neque in caui vlceris curatione victus ratio contemnenda: eget enim cauum vlcus alimento, quod qualitate & quantitate modum seruet, siquidem alimentum, quod per qualitatem à modo aberrat, si immodice calidum est, sordes & saniem acres reddit, si immodicè frigidum, vlcus impallescit, aut liuet, nigricatue, alimentum non probe concoquit, in sui substantiam non immutat, sin humidum nimis, vlcus & humescit & sordescit, sin siccum nimis, etiam vlcus ipsum siccescit, & priuatur alimento, quo deficiente labra fiunt gracilia lori instar, dehinc pallida liuidaue. Verum si alimentum per quantitatem à modo deficiat: si sit nimis multum, vlcus fit excrementosum: sin paucum nimis squallet & priuatur alimento. Tametsi verò alimentum vtraque ratione optimum in cauum vlcus deferatur, nihilominus, nec quod deest

Pus si albũ sit nihil amplius timendum.

in vlcere

Vlcus cauũ alimento eget.

Alimentũ si summè calidũ sit quid operetur.

Si humidũ.

Si siccum.

Si nimis multũ quid efficiat.

Si paucum.

deest carnis aggenerabitur, neque vlcus æquabitur, nisi cuiuq; ex subiectis vlceri particulis sua insit temperies naturalis, ipsa enim est quæ alimentum ad sese trahit, tractum tamdiu retinet quoad immutet, & suo subiecto assimilet, vniatque. Quamobrem si qua particula sit immodice frigida, quoad satis est, calefiat: si calida, refrigeretur: si sicca, humefiat, si humida, siccetur: pariterque si calida & sicca, frigefiat & humectetur sicque de alijs compositis ad proportionem, habito semper respectu ad temperamentum suæ ipsius sanitatis. Quod si præterijt, nunc ipsum quærere non est opus, sed quod adest, seruari debet. Verum quoniam in curatione caui vlceris, siccantium & detergentium fecimus mentionem, multa autem sunt eiusmodi: non alienum fuerit horum aliqua ad memoriam reuocare. Siccant igitur sine morsu in simplicibus *olei fex, oleum dulce sine sale lotum: fermentum*, quod præterea ex imis trahit, digeritque: *cerasi, gummi, cyperi radix, sapa myrrha, sarcocolla, stibium, tragacanthum, terra omnis* maximè si sit *lota cadmia, tutia multotiens lota, calx lota*, & *oui tum album tum luteum*, imo & *radix bryoniæ* & *asphodelli*, magis vero & *ipsius cinis*, adhuc verò & *omnia metallica & lapidea & terrena*. In his omnibus siquid est quod per acredinem sit suspectum, id toties aqua omnis qualitatis experte lauetur, quoad acredinem, quam gustu deprehendere poteris, amiserit. Detergunt autem *testæ* quoruncumque animalium testa intectorum, *mel radix bryoniæ, aristolochia, asphodelli radix, succus absynthij, staphis agria, elleborus vterque, marrubium, propolis, Mastiche, terebinthina, sagapenum, cucumeris agrestis radix, beta, terra chia & samia, exustum cornu ceruinum & caprinum*, & quicquid inuenire possis vel *nitrosum vel amarum*. Vlcerum vero sordem sine morsu purgat, quicquid dulce est & tenues partes habet velut *eruum hordeumque & fabæ*. Tu ex his & alijs similibus, sumptis indicationibus ex naturalibus, non naturalibus, & ex his quæ sunt præter naturam poteris tibi ipsi composita medicamenta comparare, quæ naturæ caua vlcera implenti & æquanti per hasce binas facultates opem ferent: Nec te quidem huic certissimæ rationi & stabili fulcro nitentē fallet. Verum deinceps medicamenti compositi vim & potētiam exlan-

Siccantia.

Detergentia

Sine morsu purgantia.

Medicamētorum vis ex sensu ægri cognoscitur: & quomodo.

exlanguentis sensu poteris coniectari. Nam si appositum vlceri adeo momorderit, vt ægrotus ipse se vim ipsius sustinere non posse affirmet, certus fies nimium detersisse. Quod si vim ipsius non senserit, non satis detersisse coniectator. Siccãdi autem vim & modum & ex quãtitate puris elicies, & ex naturali tẽperatura corporis vniuersi & affectę partis, præterea ex ætate sexu ambientis qualitate, &c.

Iam verò ad erysipelas descendamus. Si igitur calida illa intemperatura, quam initium & veluti carcerem esse diximus, vnde hic gallicus morbus promouetur, erysipelas euocarit, siue in pudendis siue in inguinibus siue in pube, (ad hæc enim loca fluxiones primo immitti solent:) siue purum sit erysipelas, siue phlegmonem secum adiunctam habeat, omnino eadem fere methodo curari debet, qua phlegmonem curari dicebamus, scilicet vt fluxionem quidem ita inhibeamus, vt si fieri possit nihil ad superiora, idest ad viscera repellatur. Mittatur igitur sanguis ab infernis venis, fricentur crura à fœmoribus ad extremos pedes, supra poplites & malleolos vinciatur, affectus locus lauetur sæpe ac foueatur posca admodum diluta, & tepenti, dehinc leuiter detergatur, consequenter vero iterum ac frequenter *ex vnguento rosaceo Galeni actu frigido* foueatur, modus apponendi fuerit, quoad ex refrigeratione senserit leuamentum. Quod si calida illa intemperatura flauam bilem acciuerit crassam feruidamque, & inflammatio in iam dictis locis vel in eorum aliquo sit oborta, hæc non cutem solum exest, verum etiam aliquid subiectę carnis quam herpetem vocant exedentem. Hanc igitur curare aggrediamur: influxio, quam fieri potest trahatur in infernas partes, nihil in supernas refluere permittatur, de partibus inflãmatis nihil repellatur. quoniam igitur magnus morbus est & adhuc maiorem fore suspicamur, aperiatur ex inferioribus venis aliqua, sanguis dematur pro ratione virium, ætatis, temperamenti, ambientis aëris, &c. Crura vt dictum est, fricentur, vinciantur: cucurbitulę fœmoribus apponantur. Quoniam vero superius, cum de cura phlegmones agebamus, dictum fuit aluum esse extimulandam leuibus sublutionibus, glandibusque potionibus esse leniendam, corpusque simul esse refrigerandum, & per easdem motus humorum sistendos esse, vias esse aperiendas

Erysipelas curandi ratio.

Herpes exedensquomodo curetur.

iendas, & exemplum posuimus alicuius eiuscemodi potionis; necessum nõ est vt eadem in curatione reliquarum inflammationum repetamus: sunt enim hæc omnibus eiusmodi inflammationibus cõmunia. Verum herpes exedens illud etiam cum erysipelate commune habet, quod refrigerari postulat, verum non pariter atque erysipelata humectari, imo refrigerari quidem & insigniter exsiccari. Quamobrem non ei conferunt *diluta posca, & vnguentum rosaceum & succus lactucæ, & intubi, & palustris lenticula, & semper viui* sed statim folia, *ubi contusa, & canini rubi, & arnoglossi,* dehinc vero & *lens* addi potest: Interim vero & *farina hordeacea, & mel.* At supra locum vlceratim satis fecerint, quæcunque detergerint, siccantque: superius eorum syluam amotauimus. Tu ex his spectans ad ea quæ ibi diximus, poteris tibi ipsi composita comparare. Verum si per imperitiam medici, vel per ęgri intemperantiam putredo ima petierit, & latius pabularit, tu *globulis illis* vtitor, qui ad Polyidem, vel ad Pasionem, vel ad Musam, vel ad Andronem referuntur: illos vero soluito, vel ex *passo* liquefaciens, vel ex *vino albo tenui, & subastringente:* semper in memoria habens temperiem & ægri & affectæ partis, nec non & reliqua quorum superius fecimus mentionem, ad quæ videlicet vires medicamentorum temperabis. Fortè etiam cogeris ignito vti ferramento, id quod nec te decipiet quidem, modo id affectæ parti tutò possis admouere, quod nimirum magna difficultate & locis muliebribus, & palato, & faucibus admouetur. Atqui si per ægri timiditatem, vel per loci affecti angustiam & cauernositatem eo vti nequeas, vteris *mysi, & chalcitide,* vel *sori,* vel *calce,* vel *arsenico,* vel *sandaracha:* ea excipito vel *passo,* vel *vino,* vel *mulso,* vel *aceto mulso:* vel etiam vti poteris composito illo medicamento, quod refertur ad Ægyptios: habent enim & hæc igneam potestatẽ. Succedit inflammationis quartum genus, quod cutem vrit, circumcirca bullas excitat, tamen subiectas partes non attingit. Hoc genus inflammationis semel vidimus nos, cum morbo hoc gallico cõmisceri. Cum superiore id commune habet, quod refrigerari & siccari postulat: at minus quidem quam illud, quoniam partes cuti subiectas nisi admodum diu perennet, minime afficit, sed cutem tantum, propterea his

Herpes exedens & erysipelas in quibus cõueniant & differant.

Ignito ferramento, quomodo vtendum.

Aliud inflammationis genus.

In quibus cõueniat & differat cũ superiore.

per illitiones, quæ ex *Glaucio* fiunt, satisfiet id *Memithe* nostri vocant: soluitur ex *aqua*, cui si non satisfecerit, *acetum* addi potes, huic etiam affectui præsunt *plantaginis & solani succus*, quod si temporis diuturnitate subiectas cuti partes inuaserit, tunc confugiendum erit ad curationem herpetis exedentis. Verum quoniam morbi longitudine solet mala huius morbi qualitas, visceribus communicari, iam tunc purgationum ratio habenda venit. Quod enim tarda mali curatione toti fere corpori est impertitum, desinit iam suspectum esse, & nos quidem hactenus purgatoriorum medicamentorum vsum declinauimus, ne fortè per ipsa vitiati succi gallici morbi ad viscera traherentur: Nunc verò malo ipsis communicato, abit suspicio, sed de hoc alias: nunc ad phymata id est tumores illos paruos qui ferè pudenda primum, dehinc reliquas corporis partes, maximè vero frontem & mentum & partem capitis capillatam, neque non & palatum, & fauces obsident descendamus. Hæc dum adhuc tantum pudendas partes male habent, non omissis reuulsionibus ad infernas partes, de quibus iam semel, & iterum locuti sumus, hisque tenui substantia constent, & in halitum digerant ex cuti; atque curari debent, scilicet *fotibus, illitionibus, & cataplasmatis.* In eorum classe sunt *oleum vetus, oleum cedrinum, oleum rosaceum, oesipus, leonis adeps, pardi, hyenæ, vstum abrotanum, vitex, brytoniæ radix, aristolochia, sicca plantago, radix asphodelli, radix rubi, radix glycyrhizæ, amomum, asari radix, sales, flos salis nitrum, arsenicum vstum, sulphur, melanteria, mysi, æs, sandix, sepiæ testæ exustæ, & exustæ lanæ: insuper opobalsamum. terebinthina, & propolis, & gummi, & mastiche, & euphorbium, & fermentum,* multaque alia, quæ longum esset enarrare. Tu verò, ex horum aliquibus fotus, & illitiones, & cataplasmata poteris comparare, modo temperaturæ corporis vniuersi & affectæ partis, & ætatis, & sexus, & qualitatis aeris ambientis & naturæ morbi non desinas memorari. Verum si aliqua ex his non executiantur, sed in pus vertantur, fiunt vlcera quædam rotunda, subdura, & prærubra, græci syca vocant, nos vero ficus, hæc malignæ sunt, & insigniter siccari postulant. Prosunt vero medicamenta, quæ ex *alumine scisso* confi-

Eius cura.

Phymata.

Quibus curentur phymata quæ pudenda tãtũ occupant.

Ætas, sexus, aer, morbi natura & totius corporis tẽperatura obseruanda.

Syca: vel ficus.

onficiuntur, & *ære vsto, & taurocolla*, æquis portionibus duplo horum ex *æris squama*, vbi exacte trita fuerit, ex eto & *illita*: quod si nimis momorderit, *vino subastrinente* vice poscæ, acuitatis enim sensus habenda ratio. Conferunt & *halecularum exusta capita*, & *assati bulbi*, *cinis aceto mixtus*. Quod si spargantur per cutem corporis vniuersi, vtendum eadem medendi ratione, scilicet uocatiua, sed ex alio principio. In priuati membri phymate mali vitium ne in viscera serperet, tentabamus euoare, in phymatis totius corporis euocamus, vt operi naturæ opitulemur: scriptum est enim, *Vndecunque natura repit, inde ducere oportet per conuenientes regiones*. Conuenientissima autem regio est cutis, quæ corpus nostrum ambit, suapte enim natura emunctorium est corporis vniuersi. Cutis igitur rarefacienda lenibus frictionibus, ventre vacuo, illitionibus euocantibus inungenda, in hypocaustis diu ac frequenter, quò abunde sudet, immorandum, cucurbitulæ inibi toti ferè corpori affigendæ, & pro virium robore ætate. &c. Scarificanda est cutis, dehinc sapone detergenda, tepida abluenda, & cum exitus apparatur, linteis tepidis siccanda: vlcuscula postremò præscriptis illitionibus, vel similibus facultate, illinenda. Verum quoniam diximus, phymata quæ per cutem corporis vniuersi sparguntur, pariter atque illa quæ pudendas tantum partes occupant, per cutem digerenda esse, atque excutienda, sed ex diuerso tamen principio: Siquidem pudendorum phymata ideò digerenda per cutem esse, ne eorum materia, ad viscera retrocedat: hæc vero quo naturæ eo mouenti opitulemur, atque foueamus. Quocirca Hippocratis authoritatem adduximus, scilicet. *Vndequaque natura repit*, &c. Quidam obiecit, neque ineptè quidem, inquiens, tantam excrementosam materiam corpori inesse posse vt nisi saltem leui purgatorio medicamẽto minuatur, vix phymata ipsa nisi admodum longo temporis spatio sanari posse. Subijt statim alius quidam, obijciens Galeni authoritatem, qui alopeciam (in qua nimirum sicut & in hisce tuberculis, natura mouet à nobilioribus ad ignobiliores partes humorem vitiatum) curat purgatione, eadẽ igitur ratione, inquit, & in phymatis purgare licet. Nos vero hisce argumẽtis respõdere posse arbitramur

Curatio earum.

Cutis conuenientissima regio.

Cutis emunctorium est totius corporis.

Pudendorũ phymata cur digerenda. Et cur ea quæ per totũ corpus sparguntur.

Obiectio.

Alia obiectio.

Solutio obiectionum. mur in hunc modum. Natura cum in alopecia & phymatis mouet ad cutem humorem vitiatum, is humor non pariter vtrobique est vitiatus, nam in illa vitiatus est per prauam qualitatem manifestam, scilicet per acredinem erodentem, atque exedētem, in his vero per prauam qualitatem & occultam & manifestam. Quamobrem primum casus sunt diuersi Pręterea in vtrisq; hisce motibus, abinternis ad externa natura vel sponte mouet vincēs humorem, quem mouet, vel non spōte quidem, sed per motum symptomatis, id est impulsa & vim passa ab humore quē mouet, si sponte quidem mouet, & obtenta victoria supra humorem sibi opitulandum est, ac fauendum, & inde ducendus est, quò natura ipsum inclinat, cum regio sit opportuna, neque timere oportet, vel alopeciæ, vel phymatum incrementum, nam vincēte natura humorem, is iam coctus est, & ad mediocritatem suæ substantiæ, & suæ temperaturæ reductus, iam non amplius mordax est, nec immodice crassus est, vt sub cute possit retineri, alioqui a natura non vinceretur, tuto igitur eo tradi potest, cum iam deposita crassitie sub cute non immoretur, sed vel in sudorem manifestum, vel in halitum non manifestum digeratur, & in ambientem dissipetur. Quod si natura non sponte, sed per motum symptomatis, id est extimulata, & vim passa mouet, id illi euenit, vel per humoris vitiatam qualitatem, vel eiusdem quantitatem, vel vtriusque ratione. Statue igitur naturam vtraque ratione extimulari, adhuc enim motum vis naturæ illata magis apparebit: tunc verò vel ex eo humorum motu suspicio erit alicuius vehementioris morbi, quam sint phymata ipsa, vel alopecia, puta, vel lepræ, vel elephantiaseos, vel cancri, vel gangrenæ, & similium perniciosorum malorum, vel nulla talis est suspicio. Si autem tale aliquod perniciosum immineat, humoris motus nō solum remittendus est, & retardandus, verum etiam inhibēdus. Quod si dixeris, *Vndecumque natura repit, inde ducere &c.* Dicimus Hippocratis theorema perpetuò verum esse cum natura sponte mouet, non impulsa, non vim passa, alias nequaquam semper: Medicus enim perpetuo imitator est naturæ spontè agentis, non extimulatæ neque in furorem actæ. Verum si nihil aliud sæuius expectatur: Si per quantitatem stimulatur, quantitas est demēda siue multis

Vincente natura humorē nihil amplius metuendum.

Quare natura stimulata & vim passa moueat.

Medicus perpetuus imitator est naturæ spontè mouentis.

Natura stimulatur vel Qualitate.

ad

admotis cucurbitulis & sacrificatis ipsarum locis, siue ciborum abstinentia, vel ciborum parcitate, siue frictionibus, siue externis illitionibus: si per qualitatẽ, ipsa per cõtrariam qualitatem est corrigenda. Hoc vero coquere humorem, & ad mediocritatem sui temperamenti & substãtiæ reuocare. Quæ vbi feceris, tunc intendito ad naturæ motum, qui si sit ad cutem, tu pariter per cutem euocato. Is enim motus iam est naturæ sponte agentis, nõ amplius extimulatæ, nam humor ad mediocritatem & substantiæ & temperamenti est reuocatus. Sin natura coctum humorem quiescere sinit, tu moue ipsum, si natura mouere deberet, ac non mouet quidem, moue inquam, siue per medicamentum purgatorium, scilicet si purgandus humor aluo sit vicinior, & viæ ad ipsam aluum sint paratæ id quod est corpus fluidum esse, vt dicebat Hippocrates: siue per vomitorium, si in ventriculo fluuiter, atque innatet: siue per medicamentum quod vrinam cieat, scilicet si humor sit supra iecur, ac non admodum sit multus. Subscribunt hæc doctrinæ magni Hippocratis, neque Galeno vel tantillum aduersantur.

Vel quantitate.

Motus ad cutẽ, naturæ est spontè agentis.

Nunc vero ad binas alias inflammationes, quæ ex genere sunt carbonum, diuertamus. Hæc eisdem fere indicationibus curationem expostulant, quibus & exedens herpes, scilicet vt vlcus qua parte est crustosum, vehementibus siccetur medicamentis, at tanto mitioribus quidem, quãdo minus ima petit, ac depascit. Verum per ambitum crustosæ partis apponantur quæ refrigerent, siccentque. *Globuli* igitur & Andronis, & Pasionis, & Polyidæ soluantur, non ex *passo* quidem neque ex *vino* neque ex *posca*, sed ex *aqua* vel *ex succis, siue sereos, siue plantaginis, siue solani* In ambitu autem vel *eadem herba contusa* apponantur vel *earundem succi*, vel etiam *cataplasma, ex erui farina, & aceto mulso.* Verum cum absoluerimus curationes omnium solutionum continuitatis, quæ contingere solent in hoc morbi genere, nunc curationem instituamus vnitæ solutionis. Dixeramus superius, aliquando in hoc morbo euenire, vt per vlcera glandis penis & præputij, ita inuicem coalescant, vt nullo pacto diuelli queant, & eo maximè si tumet penis. Quamobrem primum particulam tepidis, quò tumor remittatur, foueri oportet: dehinc pinguib. irrigari,

Alia inflãmationes ex genere carbonum.

Earum cura.

Vnitam solutionem sanandi modus.

rigari vt remitentia subsidat, & vlcuscula de integro suppurentur. Interueniente enim pure, vnitæ partes ab inuicem separantur. Hic profecto curationis modus, vnitam solutionem sanat, promouet autem continuitatis, solutionem. Alius vero curandi modus est, vt citra puris generationem partis præter naturam vnitæ, scalpro separentur. Atqui nihilominus particulam affectam fotibus tepidis, irrigationibus, & illitionibus præparare oportet: Id, quod neque citra prouocationẽ vlceris assequi licet. Nũc ad Oedema transeundum, Tumorem hunc per binas causas, a quibus prodit, duplicem esse dicebamus, flatuosum, alterum pituitosum. Ille in his qui ex aqua inter cutem male habent, vel in tabe vel in alio malo, habitu in cruribus & pedibus oriri solet, potiusque symptoma, quam morbus debet appellari. Quamobrem de ipso agendum nunc non est. Verum Oedema, quod fluxio pepererit pituitæ in hunc modum mea sententia curari debet. Pituita vel concreta est, qualis in vetere oedemate esse solet, vel liquida, si concreta, prius liquari debet, dehinc & digeri, & siccari & repelli. Liquatur pingui ac leui frictione, & tepidis lotionibus, fotibusque. Digeritur per ea, quæ caliditatem tenuem habent, quale est *lixiuium*, magis vero etiam si sulphuris est particeps, digeritur etiam *noua spongia alligata*. Siccatur & per *nitrum, & aphronitrum, & alumen*, si *lixiuio* sint adiecta. Repellitur autem per vincula, si de inferioribus ad superiora, quemadmodum in fracturis deducantur. At si liquida sit pituita, non tanta medicamentorum vi opus habet, sed satis erit, *noua spongia ex aqua lixiuia, & aceto apposita, & alligata*: Semper verò mollitudinis & duriciei corporum habenda ratio, nam, molli oribus mitiora, durioribus vehementiora medicamenta sunt ex vsu. Iam de scirrhis vltimo loco agendum. Duplices hi sunt sensu præditi, & carentes sensu. Qui sensu carent, carent & spe sanitatis: Nihil enim cui sanitas inniti ac super extrui possit, habent. Quis enim marmori vel gypso, spiritum vitalẽ inspiret: de hoc igitur frustra laborandum non est. Alter vero quia durus est, remollitionem, quia res præternaturalis est, exsolutionem poscit: remollitionem ex *medullis, & adipibus* comparabis, in medullis præstantissimis est *ceruina*, dehinc *vitulina*, in adipibus *anserinus*, in genere

Alius eam curandi modus.

Oedema duplex flatuosum & pituitosum.

Cura oedematis pituitosi.

Scirrhi duplices.

Scirrhi sensu carentes sanitate carent: & cur.

Cura scirrhi sensu præditi.

genere volatilium, in quadrupedum *leoninus*, poſt hos in volatilium adipibus *gallinaceus*, in quadrupedum *pardi adeps*: dehinc vero *vrſinus & thaurinus*. Hic igitur pinguibus, vel horum aliquo ſcirrhus illinitur, illud vero ſeligitur quod ſcirrho & naturali corporis, vel mollitudini, vel durities ideonea proportione correſpondet. Quod ſi vi maiore vti oportet, aliquid ex malacticis adiicitur, talia autẽ ſunt, quæ ſub ſole fundi poſſunt, ſcilicet *ammoniacum, bdellium, myrrha Opoponax*: Miſcentur hæc aduerſus ſcirrhos pinguibus, ſcilicet *oleis, adipibus, & medullis*, quo ſimul tumor & remolliatur, & in halitum digeratur. Verum ſi durities probè ſit remollita, poſſunt ex ſolo aceto & ſolui, & illiniri. Atqui ſi durus tumor nerueam muſculi partem, vel articulum aliquem obſideat, tunc maiore vi remollientium, & digerentium vti eſt opus. Primum igitur tumor ille durus, pingui perfuſione præparetur, pingue illud oleum tenue eſto, quale eſt *ſabinum, vel id in quo viride anethum ſit incoctum, vel origanum, ſerpillum*: Dehinc membrum denſo linteo opertum, ex *ignito lapide pyrite, aceto acerrimo*, ſuper aſperſo ſuffiatur: Interea membrum ſeſe inflectat, erigat, nullum motum non tentet, adhunc enim modum commode liqueſcit tumor, dehinc verò appoſito aliquo ex medicamentis, quorum ſuperius fecimus mentionẽ, diſcutitur atq; euaneſcit. *Tumor prædurus quib. curetur.*

Dicebamus ſupra, cum de abſceſſu agebatur, quod ſi materia abſceſſui inguinum vel pudendorum ita naturam ſuperet, vt ipſa materia retrocedat, & per corpus ſpargatur vniuerſum, viſcera, & reliquæ corporis partes hoc contagio morbi gallici inficiuntur. De hoc igitur inquinamento nunc agendum.

Quamobrem ſi deliteſcente abſceſſu ſcapulæ ingraueſcant, ſi iugula & ſummi humeri, dolitent, ingruit ſuſpicio non contemnenda gallicum morbum iam totum corpus occupaſſe. Quod ſi præterea fauces rubeant, tumeantque, iam nõ ſuſpicio ſolũ inſtat, ſed certa fides, certus euentus. rei. Grauitas igitur ſcapularũ, q̃ ex genere eſt laſſitudinũ, & fauciũ rubor, & tumor, & iugulorũ dolor, corpus excremẽtoſum eſſe oſtendũt. Quamob. cõſideranda eſt præterita viuendi ratio hominis laborãtis, in cibis, in potionib. in ocio, in labore, in animi affectibus, in vigiliis, in ſomno, in cor- *Ex quibus præſumatur morbus gallicus. In cura huius morbi ſpectanda eſt ratio viuendi.*

in corporis excrementis, siue præter consuetudinem vel expurgatis, vel retentis, vel etiam secundum morem excretis. Quæ omnia si corpus excrementosum esse ostendunt, spectandæ vrinæ certissimum quidem indicium eorum excrementorum, quæ intus sunt in venis. Insuper habenda est ratio temperaturæ præsentis, siue sit naturalis, siue sit acquisita, ætatis, habitus, & qualitatis aëris ambientis: quæ vna cum vrinis indicabunt, qualia & quę sint corporis excrementa, num scilicet ex genere bilis vtriusque, an ex genere pituitæ, item num tenuia, num verò crassa, num etiam glutinosa, an glutinositate carentia. Cruda autem esse nemo est qui ambigat. Non enim morbi promouentur à cocta materia, sed à cruda. Languens per ætatem vigeat, habitu gracili & hirto, aër ambiens sit calidus siccusque, tempus verò æstiuum. Vrina sit abunde flaua, pauca, tenuis, & acer valde, nihil continens. Ex his liquet materiam esse bilem flauam, calidam, tenuemque & acrem. Hic nimirum omni ratione, id est, per viuendi rationem, & per medicamenta postulat se refrigerari, & humectari. Versetur igitur in aëre frigido humidoque, iram, vigilias, & labores vitet, ac sicut singulis diebus cibum capit, ita & communia excernat excremēta, stercora, lotiaque. Quod verò natura non fecerit, tu potionibus, & his quæ mandi possunt, & sublutionibus, & glandibus extimulato. Cibi frigidi sunto, humidique: panes primum ex *triticea farina bene munda cum modico fermento, modicè cocti, sine sabulis,* vescatur *frigidis holeribus, ptissana hordeacea cum oleo, aceto, & sale non immodicis.* Nam illud quidem, si modum excesserit cibis supernatat, & niturulentas eructationes mouet, acetum verò, si immodicum sit, ptissanam acescere facit, quod vitium sibi ferè est peculiare, sales autem immodici siccant nimis nimisque astringunt. Vescatur & *saxatilibus piscibus*, qui ex *infirmo aceto* vel ex *vuæ acerbo succo* condiantur. Bellaria sunto *lactucæ, cauli, capita papaueri albis intubi, sem. melonum & coriandrorum & cucurbitæ, & melones*, omnia ex *candidissimo saccare* condito. Vinum *album* esto, *tenue, & aquosum*, minimè *vetus*, Nunc verò ad medicamenta descendamus. In medicamentis ea refrigerant, & humectant, de quibus supra cum pudendorum & inguinum phlegmones curationem tractabamus. Eadem quia

etiam

Vrina.

Temperatura.

Exemplum.

Cura.

Potiones.

Cibi.

etiam bonam aluum faciebant, hinc nostro negocio inseruient, conferentque. Idonea etiam erunt, quæ ex *rosis*, quæque ex *violis, & saccare* apparantur. Imo & *illa confectio* quam diarὸdon Græci vocant, nec non *ea* quæ *à tribus sandalis* nomen est adepta. Interim verò, dum per hanc vindendi formam, & per hæc & eis similia corpus & humores immutâtur, vrinæ spectentur, diebus singulis. Quæ cum prius esset admodum flauæ, & tenues, & valde acres, nihilque in sese haberent, & paucæ essent, nunc maiore copia mingantur cum substantia nonnihilcr assiore, minus acri, colore hebitiore, cum quadam tenui nubecula inæquali, & rubra. Hęc vbi primum apparent, indicia sunt obscuræ cuiusdam coctionis. Tu nihilominus prædictorum medicamentorum vel similium vsum non desere, sed numerò dierum & syruporum spreto, vrinas, quæ tibi tandem exactam excrementorum coctionem ostendent, obseruato. Hæ autem, vbi mediocritatem fuerint assequutæ in substantia, in quantitate, & colore, & nubecula, quæ alias rubra erat, & inæqualis, & tenuis nunc modice crassa apparet, albaque, & lenis, & æqualis: spectato, quo natura tentans excrementorum purgationem, ea ipsa excrementa inclinat, num scilicet ad vesicam, num ad os ventriculi vomitum factura, num verò ad aluum, num ad cutem, vel pustulas, (id quid tamen vix accidere posse crediderim, si affatim cocta sunt excrementa) vel sudores euocatura. Quicquid autem horum tentet, tu eius operi inseruito, & opitulator. Nam *Vndecunque natura ripit* &c. Si igitur mo ueat ad vesicam, medicamentis quæ vrinam cieant admisceto, scilicet vel *velerisimum, vel asarum. vel calamum aromaticum, vel origanum, vel thymum, vel pulegium, vel thymbram, vel aliud ex consimilibus proteslate*: Sin ad os ventriculi, fauces vel *digitis vel penna oleo madente stimulato*, sit vero vel *nardinum vel cyprinum, vel irinum*: verum, si ad cutem: tu ipsam rarefacientibus, & detergentibus præparato, rarefacies leuibus frictionibus ex pingui aliquo, quod tenue sit, quale est, *oleum sabinum, chamæmelinum, & anthinum* quibus semel addideris, simul & rarefacies, & detergebis: adhuc vero magis, si addideris *Therebinthinam, vel oleum abiegnum*. Quod si adhuc vehementius detergere & euocare volueris, cum oportunis pulueri-

bus

Medicamenta.

Vrina singulis diebus spectanda.

Semper natura motui opitulandū, & quomodo.

Sulphuris vires.

bus perfricato. Tales sunt *ostrearũ & buccinarum & purpurarũ testæ, in tenuem pollinẽ redactæ. Sulphur* vero hac facultate, ita excellit, vt cum *vetere oleo, vel melle, vel terebinthina* scabies & lepras, & lithenas non infrequenter sanet eiuscemodi enim affectus abstergit, materiarum autem ipsarum nihil pellit in ima corporis, id quod ex eiusce generis medicamentis non pauca facere consueuere. Eadem pollent potestate *soles vsti, & nitrum, & aphronitrum, & spuma nitri.* Atqui *alcyonia omnia* detergunt & excutiunt quidem, asperitatem enim omnia in sese habent. Verum *illud* quod *asperum* nuncupatur, lene quidem est in superficie, asperum tamen est intus, calidissimum vero est omnium, vt etiam exurere pilos queat, quocirca aliis mitioribus vtimur aduersus lepras & vitiligines, & scabies, & lichenas, sed *asperum alcyonium* cutem non solum detergit, verum etiam abradit, vlceratque, *milesium* vero *alcyonium*, quod verubus persimile est figura, & colore rubens, molle est consistentia, & omnium est tenuissimum, quocirca ipso vsto, cum pingui aliquo, ad cutem detergendam, & superfluitates euocandas vti possumus magna securitate. Tu verò pro quantitate & modo substantiæ humoris euocandi, mitioribus & vehementioribus vti potes. Verum interim, dum cutis apparatur, potionibus & medicamentis quæ mandũtur, aliqua sunt admiscenda ex his, quę sudores mouent: cuiusmodi sunt *cyminum, anisum, serpyllum polium, sisymbrium, custus, dictamnum & quæcunque alia impetu sui caloris ad cutem pellunt.* Quod si natura ad aluum mouet, tu medicamentis purgatoriis quæ bilem flauam purgent, opitulator. Sunt verò ex simplicibus, *coma absynthij* cuius decoctum & infusum dantur *ab vnciis quinque ad octo*, pulueris ipsius *à drachmis duabus ad tres*, succi *a drachmis tribus ad quatuor*: Item *rosæ* quorum *succus cum saccare ab vnica vna vsque ad duas* propinatur, *syrupus* autem factus cum *succo cum vnciis duabus, vsque ad quinque* Item & *violæ*, quarum decoctum & infusum datur *ab vnciis quatuor ad octo*, succus vero *ab vncia vna, vsque ad duas* syrupa autem *ab vnciis duabus vsque ad quatuor*, conditum verò *ab vncia vna & semisse vsque ad tres. Manna* præterea quæ datur *à drachmis sex vsque ad quindecim*, adhuc verò & *Myropalani lutei*, qui *triti* dentur *a drachmis*

Alcyonia.

Alcyonium milesium.

Simplicia quæ bilem flauam purgant quæ sint.

duabus

duabus vsque ad quinque, eorum verò infusum *à drachmis quinque vsque ad viginti*: Sunt præterea & *Tamarindi* qui dantur *ab vnciis duabus vsque ad quinque*: Quin & *lactis serum*, quod *ab vnciis sex ad libram* propinatur. Hæc verò exiguam vim habent, maiorem *Rebarbaricum* cuius infusum datur *à drachmis duabus, & semisse vsque ad decem*, eius verò contusum, *à drachma vna vsque ad quatuor*, Adhuc verò maiorem *Scammonium*, quod *à granis quinque vsque ad duodecim* dari potest. Incompositis *electuarium de psillio, Electuarium Rosarum Mesues, Electuarium Diacidonitem*, Infusio rosarum, quam *syrupum rosarum solutiuum* vocant, & *Electuarium succi rosarum Nicolai*. Habita igitur ratione temperaturæ, & ætatis, & habitus, & morum hominis laborantis, insuper & aëris ambientis, & temporis anni, & status cœli, nec non humorum quantitatis, adhuc verò & loci de quo sunt trahendi tibi medicamenta siue simplicia, siue composita seligito. Verum si exuperat pituita, cruda est illa quidem in morbi initio, sicut de flauabile dicebamus. Est igitur vel aquosa nimis seri instar vel caussa, vel etiam glutinosa, illa calefieri postulat, quo inter calefaciẽdum, resoluta aquea sui parte, residuum ad substantiæ mediocritatem reducatur: Hæc non calefieri solum, verum & detergi, & secari, diuidique. Calefaciunt sicut de refrigerantib. dicebamus, & opportuna viuendi ratio, & medicamenta, siue mansa, siue epota, siue apposita. Statuamus igitur mulierem adolescentulam colore candidam, pinguem, tactu mollem, glabram, ocio indulgentem media hyeme & eodem frigido, euanescente abscessu, vel pudẽdorum vel inguinum sensisse in scapulis grauitatem, summis humeris & iugulis indoluisse, vixque præ tumore faucium deglutire, & iam cœpisse raucescere, quis vltro hanc morbo gallico inquinatam esse dubitabit? nemo quidẽ. His signis apparentib. ego sanè ipsam & morbo gallico inquinatam, præterea per sexum, per ætatem, colorem, pinguitudinẽ, tactus mollitiem, cutis leuitatẽ, demũ per ociũ, cui indulsit, ẽt excrementosam esse cõiectabor. Quod si præterea meierit aquosum, tenue nihil in sese, vel sedimẽti, vel suspẽsi, vel nubeculę cõtinens, iã nõ solũ & morb. gall. inquinatã, & excremẽtosam esse, sed

Pituita vel aquosa vel crassa vel glutinosa.

Exemplum.

sed etiam oculata fide credidero, in ea serosam exuperare pituitam. Sin vrina alba sit & crassa, & contineat vel nubeculam, vel rem suspensam crassam obscuram, vix solubilem, opinabor pituitam crassam, & viscidam exuperare, ambæ quia crudæ sunt coctionem indicant: illa per vnicam calefaciendi facultatem, hæc per hanc ipsam & per facultatem detergendi, scilicet, per ea quæ suapte natura caliditatem acredini associatem habuere. In ratione victus, sexus, temperatura & mores non calefacientium, sed frigidorum vsum indicant. In morbis enim quæ consueta sunt, qualia sunt seruari postulant, vt quæ sunt per naturam, seruantur autem omnia per sui similia, sicut per sui contraria submouentur. Quamobrem cum hæc languens per sexum & temperaturam, & mores frigida sit, refrigerationem exposuit, at per humorem exuberantem id est per pituitam, & per ætatē, & per qualitatem aëris ambientis, & per anni tempus, & cœli statum se insigni calefieri indicabit. Spectet igitur victus ratio ad calidum, sed tanto minus, quanto eadem indicatio sexui, temperamento naturali, & moribus languentis aduersatur. Cum igitur paria sint numero, quæ in victus ratione refrigerationem cum his, quæ calefactionem indicant, mediocritas inter calefaciendum & frigefaciendum venit. Quamobrem omnia ad mediocritatem spectent, domus, in qua habitat, cibi, & potus, exercitia, somni, animi affectus, nec non & quæ consueta sunt singulis diebus expurgari, scilicet stercora, vrinæ, & quæcunque per cutem digeruntur, ad hunc enim scopum intentus, omnia facile per teipsum poteris reperire. Pariter verò & medicamenta attemperatam caliditatem spectent, videlicet quæ sorbetur, quæ deuorantur, & quæ exterius apponuntur. Nunc vero modicam caliditatem habent, *Vrticæ semen & folia, anagallides vtræque, dulces amigdalæ, glycyrhicæ radix, oleæ radix, & ipsius maturus fructus, Eryngium, cicerbita sicca, & iuncus odoratus*, vulgò *squinanthum* vocant. Potus horum aliqua & alia similis facultatis ex *aqua* coquere, *saccar decocto* addere, adhuc verò & *passulas* & *mixaria*, vt simul cum moderata calefactione aluus leniatur, & id languenti mulieri propinare potes item potionem moderatæ caliditatis ex simplicibus contrariarum facultatum, scilicet, calidarum & frigi-

Omnia suis similibus seruantur, remouentur contrariis.

Cura mulieris suprapropositæ.

Omnia ad mediocritatem in hac cura spectare debent.

Quæ modicam habent caliditatem.

Potus mulieri morbo hoc laboranti propinandus.

frigidarum conficere, cui si aliqua, addideris quæ bonam aluum faciant, sicut *passulas, glyzyrhyzam, & palmulas,* nihil vlterius in huiusmodi excrementoso affectu poteris desiderare. Hac methodo Ioa. Mesuè suũ *syrupum,* quem *acetosum diarodon* appellauit, & *syrupum de hissopo* composuit, qui in hoc genere excrementorum sunt, peroportuni ad quorum exemplum poteris alios tibi comparare. In his verò quæ mandi possunt, ex vsu essent *conseruæ boraginis, & buglossi,* item *mel rosatum cum foliis* Nostro autem proposito conueniret *confectionem,* quæ à rosis *Diarodon* appellatur, cum *pari portione aromatici rosatici,* commiscere. Hæc enim iuuare possunt crudæ pituitæ coctionem, nec possunt immodicum calorem excitare. Viscera verò quorum vires necessariæ sunt succis concoquendis, hoc est vẽtriculus & iecur, cum moderatè calidis, modicèque astringentibus, foueri possunt, hoc est cum *absynthij coma, & sicamenta* æquis portionibus addita amborum quantitate *ex rosis siccis.* Hæc super tegula subignita, calefiant, atque interim aspergantur *vino tenui, odoro,* & *moderatè astringente,* & illis ipsis visceribus apponantur. Interea dum hæc aguntur numerum dierum quibus illis medicamentis vsus fueris, minimè computato, id quod faciunt plerique nostrates Medici, & nihilominus apud vulgus sunt illustres, sed vrinas per singulos dies contemplator, quæ vbi tandem mediocritatem habuerint, prout decet, in exuberantia pituitæ, scilicet in motu substantiæ, & in colore & in his quo continentur, purgationis quidem iam instat tempus. Quamobrem obseruato quo natura hunc pituitosum succum expurgatura dirigat, atque inclinet, scilicet, vt de bile flaua dicebamus: num ad os ventriculi, num ad aluum, num ad vesicam, num verò ad cutem, & ad quamcunque harum partium mouerit, ipsam iuuato, vt superius didicisti. Nunc igitur de vomitu, de cute præparanda, & sudoribus euocandis, deque cienda vrina, nihil differemus, cum superius de his satis abunde diximus. Verum purgationem per aluum non licet silentio præterire, quoniam pro ratione purgandi humoris opus est medicamenta seligere. Purgant enim hæc bilem flauam hæc pituitam tantum, hæc verò melancholiã. nec desunt quæ bina humorum genera, quæue omnia simul purgent. Trahunt *Purgantia.*

Quæ medicamenta simplicia pituitam faciliter trahant.

hunt enim pituitam in *myrrhopalamis, Cepuli*, qui triti dantur *à drachmis 2. ad 4.* eorum verò infusum *à 4. drachmis vsque ad 10.* item *Emblici*, & pariter *Bellirici*, qui triti exhibentur *à drachma 1. ad 3.* infusum verò eorum *à drachmis 3. ad 6.* Adhuc *Hysopus hortensis & montanus*, quorum decoctum datur *à drachmis 5. ad 10* puluis *à 2 drachm. ad 4.* & hæc quidem faciliter. Maiore autem vi *Turbith*, is enim in puluerem redactus datur *à drachm. 1. ad 2.* eius verò decoctum *à drachm. 2. ad 4.* Præterea & *Agaricus*, cuius puluis dari potest *drach 1. ad 2.* decoctio *à drahm. 2. ad 5.* Adhuc verò multo maiore vi purgat, *Agrestis cucurbita*, quam græci colocontida appellant, cuius substantia datur *à caractis 6. vsque ad 10.* floris verò ipsius *à drachm. 1. ad 2.* Modus verò reliquorum dicetur paulo inferius, cum de purgatione agemus humorum diuersorum. Præterea & *Tithymalus & Elatherium, & granū, Gnidium, & Cartami semen.* Hæc de medicamentis simplicibus, quę ducunt pituitam.

Quæ maiore vi trahant.

Picra Galeni, & eius vires.

In compositis *Picra* Galeni simplicior primas habet, quia cum facilitate, trahit pituitam, & humiditates crudas in visceribus attenuat, & detergit, & concoquit, imo & resoluit, flatus item discutit, & viscerum robur auget. Atqui purgat vehementius eundem humorem, *Hiera Hermetis & Archigenis* insuper *& medicamentum ex Palmulis*, diaphoinicon vocant. Potes iam per teipsum siue simplicibus purgatoriis pituitæ vti, siue ex eisdem composita comparare, siue vti compositis aliorum, modò indicationes sumas cum ab humoris purgandi modo & substantia, tum à loco in quo residet, tum verò à viribus & temperamento, & habitu, & ætate hominis laborantis item a regione & aëris qualitate anni tempore &c. Eadem verò tibi etiam modum medicamenti porrigendi, & temporis occasionem indicabunt. Verum affectus etiam hominis purgandi in purgationbus ipsis iuris nonnihil habet. Aliqui enim ita affecti sunt, vt purgatoriam potionem sorbere nequeant, pilulas autem facile possint deglutire, vt etiam crassiores bolos: aliqui neque illud, neque hoc faciunt, sed solidiora saccare operta mandant deuorātque. Tu ergo taliter affectorum habeto rationem, & pro ipsorum affectu medicamenta componito, ac suppeditato

Hiera Hermetis.

Diuersi in sumendis medicamētis hominū mores.

Tem-

Tempus verò iam est vt de exuberante melancholia disseramus. Langues igitur iuuenis esto benè habitus, colore per naturam flauus, modice hirtus, venas habeto latas: arteriarum pulsus per sanitatem magnos & fortes, modice celeres, & frequentes, non, molles, non etiam duros: nunc verò paruos, infirmos, segnesque & raros, imo etiam iam nonnihil duros, sit nunc præter consuetudinem aluo astricta, sicca admodum deiiciat, nidorulenta, & nigra, mingat tenuia, pellucida, acria, nihil in se habentia vel sedimenti, vel suspensi, vel nubis. Hic inquam medio vere, & eodem temperato, ex delitescente inguinum vel pudendorum abscessu grauitatem in scapulis iam aliquandiu sentire cœperit, indoluerit summis humeris, iugulis, & sincipite, tumores duri sincipit occuparint, hi ita inhæreant vt caluariæ impacti esse videantur. Nos ex delitescentia inguinum, & scapularum, grauitate, ex dolore in summis humeris, & iugulis, & sincipite, & ex tumoribus duris caluariæ hærentibus, ac fere impactis hominem opinabimur gallico morbo laborare. Verum ex hominis ætate, & habitu, & colore naturali, & temporis anni temperie adhæc ex pilorũ mediocritate, venarũ amplitudine pulsuum naturalium bonitate, præsentium verò paruitate, duritie ac segnitie: opinabimur non solum gallico morbo laborare, sed etiam admodum & periculoso & sæuo. In morbis enim magis periclitantur quicunque naturæ, ætati, &c. Atque ex aluo præter modum astricta, ex stercoribus siccis, tetris, ac nidorulentis. Item ex vrinarum tenuitate, perspicuitate, & contentorum caritate, non dubitamus melancholiam exuberare, & eandem per vstionem à sui generis mediocritate recessisse. Ad mediocritatem igitur per sui contraria reduci debet, dehinc purgari. Contraria sunt humiditas & frigiditas moderatæ, dicimus moderatæ, quoniam his languens per naturalem temperaturam, ætatem, perque corporis habitum naturalem, nulla eget mutatione, sed sui tutela tantum, sed per humorem vstum, quo immodicè est refertus, postulat & frigefieri, & humectari: tantum scilicet, quantum a mediocritate bilis succus hic declinauit. Hæc verò & per viuendi rationem, & per medicamenta quæri debent. Verum quoniam de his in ea per se, in

Mediocritati quæ contraria.

qua de curatione calidæ præternaturalis intẽperaturæ, & in curatione, siue præseruatione, quæ fit per purgationem bilis flauæ, satis loquuti sumus: nunc opus non est, vt de victus ratione vel de medicamentis, quæ bilem vstam ad bilis mediocritatem reuocant, dissera mus, illud tantum debemus obseruare, vt tanto frigidioribus & humidiorib. victu & medicamentis vtamur quando bilis vsta, flaua bile, calidior est sicciorque. Vrinæ vero sæpissimè contemplandæ. Hæ vbi mediocritatem prout licet in atræ bilis excessu adeptæ fuerint, in colore, in modo substantiæ, & in contentis: tunc statim purgationis ratio ineunda, & sedulo obseruanda naturæ inclinatio ac propẽsio. Verum si natura succũ hunc, siue ad cutem, siue ad vesicã dirigat, quomodo sibi sit opitulandum, superius, quantum negocio expediebat, dictum fuit, non opus nunc est vt eadem vel similia repetamus. Atqui si succum hunc ad os ventriculi moueat, id est, si vomitionem accendet tametsi diximus quomodo vomitio sit proritanda, nihilominus huic tanto affectui, & naturæ hominis admodum contumaci, nostra quidem sententia satisfactum non est: Extremis enim morbis, extrema remedia sunt ex vsu. Quo circa ad *Elleborum* refugiendum esse arbitramur, potest enim Elleborus corpora permutare, temperaturam corrigere, & eandem iuniorem, & fortiorem reddere. Verum non omnia hominum corpora medicationem per Elleborum ferre possunt: sed viri quidem magis, quam mulieres, & ex his ipsis quidem qui per habitum sunt fortiores, quamobrem qui effœminati sunt, & qui ad modum sunt habitu pingues, vel etiam exiles, quique pectore sunt excarni & longo collo, puerique & senes, & qui admodum frigido sunt temperamento, quique benè habent & sanguine abundant, & qui difficulter vomunt, tandem vero & qui animo sunt pusilli, nequeunt citra periculum Ellebori vsum ferre. Vtendi verò tempus opportunum ver, dehinc autumnis, incommoda sunt æstas & hyems, nisi magna vrget necessitas. Quocirca vbi vrget necessitas, per Elleborum minore noxa curari possunt hyeme, qui admodum calido sunt temperamento, æstate verò senes. Cœli status opportunior iucũdus, serenus calidusq; Temporis occasio in morbis, qui intermittunt est ipsa morbi inter-

Quando bilis vsta flaua calidior & siccior est, tantò frigidioribus & humidioribus vtendũ.

Extremis morbis extrema remedia conueniunt.

Ellebori vires.

Non omnes Elleborum ferunt.

Tempus quo sumendum Elleborum.

Cœli status.

Temporis occasio.

intermiſſio & quies. Vbi vero nulla ſit morbi intermiſſio, quæuis temporis occaſio admitti poteſt. Atqui in quartanis, & in deſtilationibus, ad inteſtina, ipſummet inuaſionis tempus. Verum quoniam in hac ratione medendi, per Elleborum aliquot incommoda ſolent accidere, ſcilicet, vellicationes ventriculi, animi defectus, & conuulſiones aliquib. remediis hoc generi medendi præoccupare eſt opus pro ventriculi vellicatione, *aquam calidam*, *& frigidam*, prius parare oportet, & *hyſſopi decoctum*, vel *mellis*, *vel rutæ*, *vel pulegij*. Pro defectione animi, *acetum*, *poma*, *panem calidum*, *vinum toſtas auiculas*. Pro conuulſione, *oleum commune*, *ſiccionum*, *ſales*, *chalbanem*, *caſtorium*, *cyprinum oleum*, vel *narciſſinum*, *vel irinum*, *pennas*, *ſternutatoria varias cucurbiculas*, *vehiculum*, *lecticam cum molli ſtragulo* prçterea & *clyſterem*. Atqui optimum Elleborum noſſe oportet, quo noſtrum opus fœlix ſit & fauſtum nec fruſtra laboremus, hominem inaniter torqueamus. Feſtucas igitur admodum habeto multas, pendentes ab radice vna, eaſdem vero diſtentas, paruaſque. Quæ nec radices quidem habeant, nec in acutum deſinant, caudę muris inſtar, albus intus candidior, foris pallidior: Niger parte interna candidus, externa niger, plenus ſit vterque & carnoſus, vterque friabilis, in fractione fumidum quiddam emittant non puluerem, qui enim puluerem, edũt, ſapiunt vetuſtatem, ſit vterque primum inter mandendum dulcis quodammodo, deinde modicè acer poſtremo feruidus & multam ſaliuam proliceat, vere velluntur radice adhuc prægnante. Hæc de Ellebori bonitate. Verum quoniam non omnes qui Elleborum ſunt ſumpturi, ad ipſius purgationem probè ſunt comparati, ſed aliqui ſunt, qui facile quidem vomant, aliqui verò qui difficulter, & iſtos quidem antequam ad Elleborum ducantur præparare oportet. At duplici ratione præparantur, vna per humectationem, ſolidarum corporis partium, alia per vomitoria elleboro mitiora. Humectantur ſolidæ partes dupliciter, ſcilicet, ſi pluri cibo, & quiete præoccupent ellebori potionem: Iuxta illud *Ad Elleboros qui non facile ſupra purgantur*, *&c.* Qui igitur difficulter vomunt, & elleborũ ſunt ſumpturi, per aliquot dies otio indulgeant, ne alimenta quibus ſolidę partes humectari debent, per corporis motus liqueſcãt, in ha-

Incommoda ex Elleboro ſumpto.
Vellicatio ventriculi quibus remouenda.

Optimum Elleborum.

Quibus ægri ad Ellleborũ ſumendum præparẽtur.

in halitum digerantur & euanescant. Interim vescantur pluri cibo, & omni medicamentosa qualitate experte, acerba, acri, saluginosa, denique & amara, deinceps mitioribus medicamentis vomitus proritetur. Sunto igitur medicamenta non acerba, non sicca, sed vel dulcia potius, vel acria. In his enim primas habent *raphanus, eruca, & vetus salsamentum:* In illis autem *ptissana cum melle, carnes pingues, & dulces amigtalæ, & seminaria cucumeris, & peponum melle macerata.* In his verò quæ elixantur, non *iuscula* solum sorbere oportet, sed totam ipsam molem & sorbere & manducare, neque in mandenda diutius immorari, adhunc etiam modum minus in ventriculo conficiuntur, & facilius euomuntur. *Vina* sunto *dulcia,* & *actu tepida,* quæ enim talia sunt, in ventriculo fluitant, & summa petunt. Verum & hoc optimum fuerit vomitu proliciendo, sumito *decocti raphani, & aquæ* in qua caricæ fuerint maceratæ, *pares portiones,* hæc *tepida non exigua quantitate potãda* porrigito ieiuno homini, vt euocêt ante cibum, & vt euomere facilius à cibo possit. Esto verò *raphanus* acer valde, *hunc* item in tenuia frusta secare potes, deinde integram noctem in *aceto & melle* macerare, postmodum multum ipsius deuorare, & per exigua temporis interualla nonnihil eius *aceti mulsi* super sorbere: deinceps duas horas leniter inambulare, postremo multa *tepida aqua epota, digitis* vel *penna oleo intincta,* vomitum proritare. Vbi vero per hæc ventriculum vomitionibus ac sueſceceris, tandem tres dies saltem *à carnibus* abstineto, nec non ab *aliis eduliis & potibus,* quibus gignitur crassus succus. Hæc verò de præparatione ad elleborum. Nunc de differentiis exhibendi agendum. Modus autem simplicior præbendi elleborum, qui apparatus potius ad elleborum dici debet, quam modus ellebori exhibendi est huiusmodi. Sumuntur *raphani,* & *stimulis arundineis* punguntur, postea *optimi ellebori festucæ* foraminibus illis infiguntur in quibus vbi integram noctem manserint, festucis amotis, *raphanus* infrustra secatur, & ex *aceto mulso* deuorantur, dehinc languens ad duas horas proritet vomitum, siue *digitis* siue *penna*: atque obseruandum est, neque ellebori frustula in raphanos relinquãtur, sunto autem ellebori festucę *à drachmi 2. ad 6.* pro virium languentis ratione, & corporis apparatus

Medicamenta quibus vomitus proritatur.

Modi exhibendi Elleborum.

aratu. Supersunt tres alij modi probandi elleborum, sunt enim qui *infusum eius* propinant, sunt qui *decoctum*, sunt vero etiam qui *substantiam ipsius* præbent, & horum aliqui forficibus *sectum*, aliqui vero *contusum*, & *cribratum*. Qui in tenues partes *sectus* porrigitur, cito purgare incipit, et in summa post horas binas, & citra multam vellicationem purgat vtramque bilem, & pituitam, & ipse quidem in spacio quatuor aut quinque horarum, vomitione vna cum humoribus expurgatur, finem purgationi imponit. Qui verò *contusus est cribatus* in tenuem pollinem est versus, tarda admodum opus purgandi inuadit, vt sæpe etiam vltra quatuor vel etiam quinque horas auspicetur. Ducit & is omne genus bilis & pituitæ, & periculum conuulsionis affert, nec non immodicæ purgationis: ad multo maiore vtilitate purgationem in longum profert. Datur *infusum ellebori* senibus & pueris, & his qui fluido sunt habitu, & qui morbo non admodum difficili detinentur. Oportet autem ellebori *drachm. 5.* ex *aquæ pluuialis hemina media* irrigare, sinere per tres dies, dehinc colorare: vbi coalueris, & calefeceris, totũ propinare: semper tamen animaduertere, vt modus infusi proportione respondent viribus ægrotantis, & quantitati, & substantiæ humoris expurgandi. *Decoctum* verò datur & illis & robustioribus quam sint illi, apparatur autem in hunc modum. Sumuntur *ellebori optimi vncia bina aquæ pluuialis hemina in ea quinque dies maceretur, dehinc coquitur in mitiorib. prunis ad tertiam aquæ partem, postea elleborus inter colandum exprimitur, decocto aqua pars despumati mellis adiicitur, postmodum ad mellis crassitudinem coquitur, datur sorbendum sub magni cochlearis mensura, vel ad summum cochlearium duum,* potest & cum *aqua calida*, & cum *alia sorbitione* permisceri Æger verò prius vomitionibus insueuerit, sicut superius dictum fuit, ieiunus sit, præassumptos cibos probè coxerit, alui excrementa siue sponte, siue per infusum clysterem deiecerit, propinatus in hunc modum, neque conuulsiones, neque contractiones, neque immodicam pugationem facit, efficitque vt medicus, & languens de vlteriori irritatione meditentur: vt insectum etiam porrigere, hic

Modus infusi Elebori quibus respondere debeat.

Decoctum Ellebori quomodo detur.

ſumere non diffidat. *Sectus* autem *elleborus*, & his, qui maiore auxiliorum momento, maioreque ſuperfluitatum excuſſione, quam ſuperiores opus habent, fortioribuſque & audacioribus, & his qui facilius vomunt dandus. At *cõtuſus*, & *tenuiſſimo cribro excuſſus*, adhuc iſtis ipſis vel audacioribus, vel qui plus eiuſce generis medicationi inſueuere, eſt porrigendus. *Sectus* apparatur in hunc modũ, ſumuntur *feſtucarum optimi ellebori drachm. binæ, vel ad ſummum binæ cum dimidia, forficibus ſecantur in fruſtula ſolenni magnitudine, quod puluerumlentum eſt, ex linteo excutitur*, ne languens ſuffocari periclitetur, nimis enim efficax, dehinc *fragmenta tenuia detrahantur*, ſuffocationem enim & hæc ipſa afferre poſſunt, *reſiduunm vbi in ſuccum vel ptiſſanæ vel halicæ coxeris, edendum porrigito*: poſtmodum ne quid elleborum vel in faucibus, vel in gula relinquatur, aliquid vel *mulſæ aquæ vel puræ* potillato. *Ea* verò *pars secti ellebori, quæ ſubſtantiã habet farinæ craſſioris*, vbi in martorio contuſa fuerit, pondere *drachm. vnius & duũ obulorum ad ſummum*, cribata tenuiſſimo cribo, & parte eius tenuiſſima detracta, datur *ex calida* ſcilicet, quod eſt in ipſa ſolidius pleniuſque. Quod vero *tenue* eſt, iterum contũdimus, & diligenter cribramus, dehinc *ex melle præcocto* & *ſolidiſſimo*, in *pilulas* reformamus, & diglutiendas propinamus.

Sectus Elleborus & cõtuſus quomodo apparatur & datur.

Mos verò eſt antiquorum his quia potione huius medicamenti facile purgantur, *aquam frigidam* ſorbendam dare, dehinc iubere vt olfaciant ad virium conſolationem *odorata*: Dormiant, vel decumbant, vel ſtatim duabus horis per quietem otientur, ne citius quam decet medicamentum euocetur, poſt hæc autem moueri debent.

Vomitum antecedẽtia.

Vomituri primò caliditatem excipiunt in ventriculi ore, atque in gargareone, ipſis deinde os ſaliua perhumeſcit: poſtea verò euomunt cibi aliquid & medicamenti, vnà cum pituita, poſthac pituitam & bilem, atque aliquid medicamenti, deinceps bilem puram, ſæpe verò & venter ſubducitur, ſingultiunt autem leuiter, & ſi tolerabilior ſit purgatio, & facies perrubeſcit. Quod ſi purgatio faciliter cedit, facies probe coloratur, & ſingultus ceſſat. Verum .n verò ſi in media purgatione ſingultiunt, tu vel *rutæ decoctũ* vel *aquã tepidã* propinato, purgatione expleta, lauator,

[illegible]um

cibum præterea ſumito. Quod ſi purgatio in longum pro- *Excitantia.*
feratur, *mulſam calidam ruta incocta* ſorbendam dato, vel *aquam oleo mixtam* hydrelæon Græci vocãt, dehinc *penna oleo intincta vel in primo, vel irino* vomitionem proritato, & recumbens in penſili lectica dimouetor. Quod ſi magna cum perturbatione ſuffocationis metus inſtet, *infuſionis ellebori cyathos tres* propinato, quam etiam paratam habere oportet, ſua enim qualitate purgationi opitulatur. Verum ſi neque hac potione ſuffocationis periculum amouetur, *acerrimo clyſteri* vacuato. Dato verò & ipſis *chalbanes obolos tres*, non ad vomitionem excitandam, ſed ad periculum ſuffocationis amouendum. Interim dum in penſili lectica nullo non tempore dimouetur, & dum penna vomitionem proritare non deſinit, *forti ſternutatorio* etiam vti præcipito. Miteſcit autem ſingultus purgatione accedente, ſicuti dictum fuit. Atqui ſi adhuc vehemens eſſe perſeueret, *ſternutatoriis* inſtato, & *cucurbitulis* vtitor ſecundum magnas vertebras tranſuerſi ſepti. Nam cucurbitulæ immorantes, os ventriculi à ſingultu contractum, & quaſi obliquatum dirigunt non infrequenter. Præterea partes extremas corporis vincito, contrectato, & in frigidam aquam demittito.

Si crura & manus contrahuntur quibus remediis vtendum.

Verum quoniam ex purgatione per elleborum ſæpe accidit vt crura & manus contrahantur, ſunt hi quidem leniendi multa pinguitudine, multa inſuper palpatione, fricatione & fotu non partium extremarum tantum, verum etiam & muſculorum qui ſunt in ſuris. Illinantur igitur *oleo dulci*, vel *ſicyonio*, vel aliquo ex medicamentis quæ laſſitudines ſedant, acopa Græci appellant. Adiiciatur illitionibus *caſtorium*, & potandum porrigatur. Iuuat verò ipſos balneum inprimis, ſi ipſius facultas ſuppetat: ſin minus, ſolium. Totum igitur corpus, ac præſertim contractæ partes *multo oleo dulci* inungantur, aqua eſto benè temperata, vt in ea diutius immorari poſſit, ſic enim conuulſiones ſedabuntur. Tunc ſtatim *panem in diluto vino maceratum* languenti porrigito, vel *immixto & ſucco vuæ acerbæ & melle*, omphacomeli vocant exhibeto, ſcilicet ſi vehementer ſit purgatus. Quod ſi à cibo calorem in ore ventriculi perſentiſcat, omphacomeli *calida aqua temperatum* ægroto potandum porrigito: dehinc vero ſecundo, ſi opus

 fuerit.

fuerit, ex *aqua frigida* temperatum, exinde verò alimenta sunto boni succi: vina verò & *tenuia* & *vetera*. Hæc verò de præparatione ellebori, & de modis exhibendi satis sunto: superest nunc vt exponamus, quibus in morbis sit ex vsu, quibus verò minime.

Elleboro quibus in morbis vtendũ.

Elleborus igitur in diuturnis morbis, & vehementibus est ex vsu, & his qui ab alijs medicamentis nihil opis suscepere, scilicet laborantibus aqua inter cutem, elephanticis, male habitis, iamdiu resolutis, comitialibus, & melancholicis morbis, & arthriticis, & podagricis. Sed longum esset, omnes morbos, quibus elleborus prodest, enarrare, nec præ copia quis facile id præstare posset. At non minori vtilitate morbi, quibus elleborus nocere posset, forent recensendi. In his sunt sanguinis reiectatio, spiritus difficultas cum suffocationis metu, suspecta oculorum suffusio, affectus qui ad caput tantum spectant, & horum maximè qui per temporum interstitia cum faciei rubore violentos dolores ferunt, præterea & suffocationes vterinæ, & frequentes animi defectiones, & vasorum distentiones.

Elleborus quibus morbis noceat.

Iam de purgatione bilis atræ per vomitum satis à nobis dictum est, superest modo vt de purgatione per aluũ eiuscemodi humoris disseramus. Quamobrem si natura hunc humorem præcoctum ad aluum dirigat, ipsam iuuare oportet purgatorijs medicamentis, & eisdem opportunis. Sunt verò opportuna quæcunque atram bilem respiciũt, & eius quantitatem, & locum vnde promouetur, insuper ægrotãtis vires, ætatem, habitus &c. Multa vero sunt cùm simplicia tum composita medicamenta, quæ bilem atram purgant. In simplicibus *Myrabalani Indi, Lactis serum, Fumaria, siue Fumus terræ, Pulegium, Tragoriganum, Parthenium, Alyssonque*. Hæc verò imbecilliora & mitiora. Vehementiora autem *Polypodium*, trahit enim & pituitã *lapis Armenius, folia, & folliculi Senæ*, sed *folia* sunt efficaciora *folliculis*, dicat Ioannes Mesue quicquid velit, experientia contrarium probat. Experiẽtia verò & ipsa docet, quod præter atram bilem trahat secundo pituitam, grauem illam quidem & nonnihil acrem, vt inde pondera sentiantur in imo ventre, & excitet tenasmum, id est inanem cupiditatem egerendi. Hæc de simplicibus medicamentis quæ atrã bilem ducunt. Qua vero arte ex simplicibus pur-

Purgatio bilis atræ per aluum.

Simplicia medicamẽta quæ bilẽ atram purgant.

gatorijs

gatorijs medicamentis composita conficiantur, paulo inferius ostendemus, quando de exuberãtia diuersorum humorum disseremus. Nunc composita, quæ atrã bilem purgant, explicemus. In his sunt *Vtraque confectiones Hamech, pillulæ Indæ, pillulæ de lapide Lazuli, pillulæ de lapide Armeno.* Tu verò sumpta indicatione ab humoris & substantia & quantitate & à loco vnde purgari debet, & à languentis viribus, ætate &c. quæ tibi medicamenti præscribunt quãtitatem, vtitor vel simplicibus, vel compositis prout lubet, huic enim arti innitens, errores, & infamiam apud doctos declinabis, & conscientia rei benè & fœliciter gestæ ex animo iubilabis. *Composita atram bilẽ purgantia.*

Verum si non vnum tantum humorum genus exuberat, sed vel duo, vel simul omnia, scilicet vel flaua bilis cum pituita, vel eadem cum bile atra, vel cum atra bile pituita, vel si humores omnes simul: tunc vel vno simplici purgatorio medicamẽto, quod singulis humoribus respondeat vti oportet, vel in vnum simul diuersa commiscere.

In his autem quæ diuersos humores purgant sunt *Peplus* quam pharmacopolæ *Esulam rotundam* vocant, & *Peplion*, ambo autem quoniam paribus facultatibus constãt, simul recensentur, nam eorum semina & aliquando vna *cum germinibus siccata* in vmbra, contusaque, & cribrata *pondere sculpulorum 4* data, ex *aqua mulsa*, & supra absorpta pauxilla quantitate *aceti* post flauam bilem, atram, & pituitam ducunt, & disrumpunt fluxus; quo fit vt affectibus flatuosis præsint, quæ initia sunt melancholiæ. Prosunt etiam diuturnis inflammationibus lienis, vteri & coli, & mollibus tumoribus imi ventris. *Diuersos humores purgantia.*

Polypodium atram bilem & pituitam purgat. Datur *radix eius pondere scrupul. 7. Vel minus* prout vires ferunt. Verum in *diluta aqua mulsa*, prius macerare oportet. Potest & super salsamentis abrasa ante prandium manducari. Purgat vero mediocriter, & citra læsionem vel in *iuscula gallinæ* vel *in ptissana elixata.* *Polypodium*

Lapis Armenus atram bilem, & omnia quæ crassa & glutinosa sanguini c[illegible]miscentur purgat. Quamobrem datur *pondere scrupulorum quatuor Vel plus, Vel minus,* pro virium modo. Melancholicis & Elephanticis & similibus. *Lapis Armenus.*

Com-

Cẽtaurium minus. *Centaurium minus*, crassissimam bilem & mucores purgat. Quocirca potandum datur *de coctum ipsius* coxendicis, & lienosis. Sunto autem centaurij *scrupuli 7. aquæ hemina*, coquitur vero ad dimidium.

Colocynthis. *Colocynthis* pituitam & bilem, & mucores purgat, quare optimum medicamentum est omnibus morbis, qui difficulter excutiuntur, & qui quodammodo sunt scirrhosi. Datur *interioris partis ipsius* quantitas, *duum scrup.* ex *aquæ mulsæ, scyathis duobus*. Imbecillioribus autem quantitas, *Vnius* tantum. Verum eligenda est, quæ candida est & mollis, sicca enim & nigricans mala: atque contunditor, & leuigator diligenter, sępius vero cribrator, ipsa vero cum vti volueris, in mortario omni cum diligentia ex *aqua mulsa* leuigator. Accidit enim vt vbi contusa fuerit, antequam irrigetur, tenuissima esse videatur, cum verò in mulsa maduerit, intumeat valde, adeo vt qui eam viderit, non satis fuisse cribratam suspicetur: quod si fortè acciderit, hęrent partes illæ quæ non probè ex mulsa fuerint leuigatæ, ventri aliquando, aliquando ori ipsius, sed maximè quidem inuolutionibus intestinorum: quo fit vt per sui acredinem, & mordacem qualitatem vlcerent intestina, & inferant nerueas passiones, scilicet tormina & contractiones. Quãobrem opus est ipsam summa cum attentione ex mulsa aqua leuigare. Verum si mitius purgare volueris *magnam colocynthida* aperito: vbi aperta fuerit, *quicquid seminum* est, detrahito, dehinc reposita in ipsa sine seminibus *lanuginosa parte*, ipsam impleto vel *passo, Vel Vetere, & dulci Vino*, sicque sinito diem & noctem irrigari: posthæc vinum linteo percolatum, & calefactum, bibendum dato, optimè enim arquatos purgat, nec non eos, qui per summa corporis pustulas habent liuidas, & eminentes.

Tithymalus *Tithymalus omnis* pituitam & bilem trahit: dantur verò ipsius *ramusculi Virides*, imò & pauxillum in testaceo aliquo calefacti, dehinc leuigatur, & admodum pondere *scrupulorum 4. triumue* in *aqua cum farina* commiscentur, & potãtur: siccati enim sunt infirmiores. Tu vero *radicem eius tithymali* qui *Characias* nuncupatur, vbi in vmbra siccaueris, cum vsus postulat, detractum corticem contusum & cribratum pondere *scrupulorum 4.* in *Vino dulci & Vetere*, integrã diem & noctem maceratum linteo percolato,

postea

poſtea nonnihil calefacito, & propinato, purgat id optimè, vt ſint qui ipſo in omnibus, vt arcano remedio, vtantur. Verum & *Tithymali*, qui iuxta aquam, & in humidis locis, & ſyluoſis producitur, *liquor* probè & ſine noxa purgat, ſcilicet ſi *farina* vel *ſicco pane* leuigato excipiatur, deturque ad magnitudinem *nucis auellanæ*. Eius verò liquoris *guttæ quatuor quinqueue*, dantur ab aliquibus, vel *caricis*, vel *farina* exceptæ. Atque epotus, linguam & vicinas partes vehementer exulcerat, & ventriculum incendit.

Elaterium. *Elaterium* bilem & pituitam purgat, datur *obol. 3. cum hemin. media lactis ſuper mulcti.*

Granū Cnidium. *Granum Cnidium* purgat humores aqueos & ſeroſos, purgat vero etiam moderatè bilem & pituitam, habet autem qualitatem igneam & peracutam. Datur *pars interna granorum 30.* vbi eam cum *farina* contuſeris, & cum *vino* confuſeris. Verum ſi leuius purgare volueris, dato *gran. vel 29. vel 15.* A potione parum *olei roſacei* ſuperſorbeto, ſcilicet ne fauces exurantur, at præſtiterit leuigata *ex melle cocto* in pilulas conformare.

Agaricus. *Agaricus* purgat pituitam, & bilem, at non acriter, datur huius *drachm. binæ* cum *aqua mulſa*, vel *aceto mulſo:* & ori ventriculi per leuitatem, cuius gratia, in natat, officit.

[Th]ymus. *Thymus* pituitam & bilem abunde & ſine noxa purgat. Contunduntur *corymbi ipſius*, & cribrantur; danturque pondere *drachmarum quatuor triumue*, cum modico *ſale* & *poſca*.

Rapū terræ. *Rapum terræ* ciclaminon vocāt Græci, admodum probe contuſum, & leuigatum pondere *à gran. 15. ad mediam drachmam* cum *poſca* propinatur. *ſucci* vero eius *à gran. 15. ad ſcrupul. 4. decocti* vero radicis ab *vnc. 1. ad 4.* Purgat id pituitam & bilem, & ſudorem mouet. Eius autem pro liciendi cum inſtat neceſſitas, medicamento epoto, languens in operis naturæ auxilium decumbat, cooperiatur & foueatur.

Medicamenta ſimplicia recenſuimus, quæ ſigillatim priuatos ac peculiares humores purgare poſſunt, & adiecimus menſuram aut pondus quibus ſingula porriguntur. Vt inde ſumpto initio methodum id eſt viam & rationem apponamus, qua plura ſimul citra languentis læſionem

poſſimus

Medicamẽta quando miſcenda.

poſſimus commiſcere. Ad hæc vero miſcenda compellimur, cum non vnã humoris ſpeciem ſed plures ſimul purgare oportet, nec ſuppetit medicamentum ſimplex, per quod id commodè & citra noxam exequi valeamus, tunc enim miſcemus vel duo ſimul, vel tria, vel etiam plura pro varietate humorum, qui purgari debent Eſt & alia miſcẽdorum medicamentorum neceſſitas eiuſmodi. Habent ferè omnia medicamenta purgatoria inſignem aliquã qualitatem, per quam vel guſtandi ſenſum vel tangendi, vel odorandi lædant. Harum vero ſingulis contraria admiſcere oportet, quo infeſtæ illæ qualitates vel de medio tollãtur, vel minuantur, vel ſaltem fiant mitiora. Si quis igitur duos humores ſimul purgare velit, duo ſimplicia purgatoria medicamenta ſeligat, quorum alterutrum alterutro humori ex aduerſo reſpondeat. Eſto vero quantitas vtriuſq;, medietas vel ponderis vel menſuræ, ſub quibus vtrunque ſeorſim exhibebatur: ſin tria pars eius, quod ſeorſum exhibebatur, admiſcetor: ſin quatuor, quarta pars ſingulorum, & hoc quidem cum ſinguli humores æquo modo & exuberant & egent purgatione. Vbi vero eorum aliquis cæteros quantitate excellit ſui medicamenti qualitas, cæterorum ac ſingulorum quantitatem ad proportionem opus eſt vt excellat. Dehinc olidis & graue olentibus per ſuauia & odorata, amaris per dulcia, acribus per glutinoſa, emplaſtica vocant, ſalſis per inſulſa, acerbis per matura, aſtringentibus per laxantia, laxantibus per aſtringentia repugnato. Ad hunc igitur modum ex ſimplicibus purgatorijs medicamentis, compoſita, prout vſque & temporis occaſio poſtulabunt apparato. Hæc de exerementorum purgatione ſatis ſunto.

Vitiati humores interdum etiam poſt purgationem intẽperies relinquunt, quæ ſuis contrariis ſunt remouendæ.

Atqui ſolent vitiati humores poſt purgationem pro ſua ipſorum natura prauas aliquas intemperies relinquere, ſiue in corpore vniuerſo, ſiue in præcipuis ipſius partibus, membriſuè: quæ niſi per contraria amoueantur, de integro conſimiles humores vel etiam deteriores generabunt, congerentque. Harum igitur ſingulas, ſingulis contrarijs corrigere atque fugare oportet: calidas frigidis, frigidas calidis, humidis ſiccas, ſiccis humidas, & compoſitis compoſitas opponendo. At quouſque immutare oportet, naturalis temperatura ſi adhuc manet, indicabit, ſin abijt

natura-

naturalis, & alia ex consuetudine viuendi in ipsius locum subijt, hæc pariter atque illa in morbis se tueri atque seruari ostendet cupietque.

Verum dicebamus supra, fieri aliquando, vt ex præternaturalibus intemperaturis, vna in aliam mutaretur, calida in frigidam frigida in humidam, humida in siccam. Statuamus igitur calidam intemperaturam, quam initium morbi huius esse dicebamus, per improbam curationem tempore digerendis sanguine, & spiritibus in frigidam degenerasse, hanc verò cruditatibus cumulandis humidam secum associasse, vt iam non frigida sit solum, sed frigida simul humidaque, corpus quantum per humores cõgruebat, purgatum esse, scilicet vel per vrinas, vel sudorem, vel alui purgationem. vel vomitionem, etiam per elleborum si opus fuerit, demum adhuc frigidam & humidam intemperaturam in similaribus ac simplicibus partibus vna cum improba qualitate gallici morbi derelictam esse, quod remedium quæso ad hunc modum præparatum magis conducibile quam *decoctum Indici ligni* poterit reperiri? nullum ferè mea sententia. *Indicum* enim *lignum* calefaciendi & siccandi vires habet: Hæc sensus indicant. Siquidem *decoctum ipsius* ore retentum, os & fauces calefacit, gargarizatum in primis per acredinem saliuam prolicit, dehinc absumit, vt etiam affectui gulæ quem Græci sialismon vocant, opem ferat, subscribunt sapor amarus & acer, & odor non obscurus. Lignum hoc resinam exudat, cuius gratia remollit, maturat digeritque. Vt inde quidem, pro corporum præparatione, & naturæ propensione, aliquando aluum lenire possit, aliquando vrinam, sudorem vero aliquando moueat, cieatue. Nutrire autem sensibiliter posse haud crediderim, tametsi medici quidem non contemnẽdi, id affirment. Quid enim *Indicum lignum* habet dulcedinis, quæ communis est omniũ quæ nutrire possunt? sine qua nihil nutrit: quicquid enim nutrit, dulce est plus minusue. Quod si quis dicat Indicum lignũ particeps esse dulcedinis, & ad proportionẽ ipsius nutrire posse: Nos statim linguam, quæ est gustus instrumentum appellabimus. Habet enim potestatem quæ similia sunt, quæque dissimilia sunt discernendi: vt inde naturas rerũ cognoscens, quæ familiaria sunt eligat, aliena vero respuat. Mirabor si vnũ ex

Si calida intemperatura in frigidã humidamq́ transierit, ligno Indico curare debet

Ligni Indici vires.

Lignum Indicum an nutriat.

millibus per integram & inculpatam sanitatem quis inuenerit, qui gustato Indici ligni decocto meraco & sincero, se dulcedinem qualemcunque præsentire affirmet. Hęc de viribus ipsius: nunc de bonitate.

Ex Ætate maximè cognoscitur ligni Indici bonitas.

Habet *lignum Indicum* suam bonitatem, maximè ab *ætate*. Ætatem aut indicant grauitas, color densitas, odor & sapor.

Ætatē quæ indicent.

Indicæ arboris humiditates quatuor.

Demus igitur Indicæ arbori à sua radice excisę, sicut & cæteris lignis, humiditates quatuor: Vnam crudam, & aqueam, temere per ipsam fluitatem, quàm nuper excisa aliquandiu habet, seruatque. Alteram coctam, & per suum ipsius corpus singulis partibus distributam, & ferè substētię arboris assimilatam, atque vnitam. Habet tertiam, quę substantifica pars est ipsius plantæ, cęteris partibus assimilatam iam, atque vnitam. Habet & quartam, quæ arboris partes mutuo continuat, & continuatas seruat.

1. Prima humiditas ea est, quam nuperrimè terra per arboris radices est impertita.

2. Secunda ea est, quam singula arboris partis pro similitudine, & conuenientia quam secum habent, maxime traxere ad sese, coxere, & ad sui similitudinem ferè permutauere, sibique apposuere.

3. Tertia illa est quæ nuper trahebatur, coquebatur, permutabatur, & singulis partibus arboris apponebatur, iam verò est tracta, concocta, ad similitudinem earum partium permutata, quibus antea apponebatur, & nunc quidem est substantifica, & propria & naturalis est plantæ humiditas.

4. Quarta verò, illa est humiditas, quæ ligni partes mutuo continuat, & continuatas tandiu seruat, quandiu lignum est lignum. Nunc verò ad proportionem harum humiditatum, demus Indico ligno ætates.

Ætates Indici ligni.

Pueritia.

Ætatem quidem puerilem, quoad sui radici hæret, & ab ea cibum capit.

Adolescentia.

Adolescentiam ligno nuper à suo trunco exciso, in qua tamdiu versetur, quamdiu viride est, & humiditatem illam seruat crudam aqueamue hęc quidem illa est humiditas, quam viride lignum igni appositum ea parte qua excisum vel sectum, vel fractum est, multo cum strepitu ac stridore emittit, euomitque.

Iuuentus

Iuuentutem demus ligno, quando assumpta aquea humiditate, retinet coctam illam humiditatem, quæ ferè est substantiæ ligni assimilata, atque vnita.

Ætas virilis

Virilem ætatem, siue consistētem, siue ætatis vigorem, liceat enim illam appellare, prout cuique

uique placet, demus ligno, quando absumpta iam humiditate illa cocta & fere assimilata, atque vnita, suam substantificam humiditatem integram & illæsam seruat. Demus verò senectam, quando absumpta penè substantifica humiditate, lignum euanidum, & cariosum esse incipit. Ætatem vero decrepitam, quando iam temporis diuturnitate, in puluerē redigitur, & iā propè est vt desinat esse lignū.

Senectus.

Indicum igitur lignum optimum est, & tandiu esse perseuerat, quamdiu per ætatem viget, florem id ætatis vocant, tunc enim maximè densum, maximeque ponderosum est, vt lignum ex sui ipsius substantia, nō ex aliena humiditate esse potest, tuncq; maxime est per saporem acre, maximeque subamarum: amaror enim, qui antea per acerbitatem vigebat, nunc putescit coctione, acredo autem exacuitur & inualescit. Nam caliditas quæ antea sub humiditatibus obscura erat, nunc prioribus illis duabus absumptis detecta, ligni acridinem auget, minuit amarorem, & pinguitudinem ad ligni superficiem pellit, & in resinam cogit, vt etiam nunc magis resinosum esse videatur & sit, & eandem ob causam magis sit adorum luteumque. Bonum verò est, quod in ætate est iuuentutis, nonnihil tamen infirmatum sub humiditate, quæ nondum suum finem & complementum est adepta. Nec caret bonitate, quod in ętate est adolescentiæ, sed superioribus tamen per aqueam & crudam humiditatem infirmius, aqua fere obruitur & suffocatur. His omnibus adhuc infirmius, quod puerilem ætatē agit, id est, quod suæ radici adhuc hærens, alimentum veluti lac infantium instar de terra sugit: id enim humidissimum, & ea ratione infirmissimum, non secus atque infantes per ætatis humiditatem sensibus & ratione omnium infirmissimi sunt, omniumque quarumcunque ætatum stupidissimi. Quod vero per senilem ætatem iam exolescit, & in cariem verti cœpit, non solum vires infirmas, sed etiam planè à sui natura abalienatas habere cœpit, vt pariter quodammodo & officere & prodesse possit. Illud autem quod iam ad vltimam peruenit senectutem, vt iam prorsus sit cariosum, nec suarum partium continuitatem seruet, nihil commune cum Indico ligno habet. Quamobrē iuuare quidem nequit, officere autem potest. Hæc de Indici ligni bonitate. Nunc vero videre o-

Flos ætatis ligni Indici.

In Iuuentute an bonum sit hoc lignū.

An in Adolescentia.

Pueritia omnium infirmissima.

portet, quibus medicatio per Indicum lignum sit ex vsu, quibus autem non.

Ex natura & viribus eius, quibus prosit, quibus vero nõ prosit, facile cuiuis patere potest. Habet enim à natura, hoc est, à Deo Opt. Max. quod morbo quem Gallicum Itali vocant, aduersetur. Hoc enim per experientiam, nemo ferè est medicus qui non credat, & affirmet. Cuius vero qualitatis ratione, nemo nõ ignorat: omnes enim fatẽtur morbo huic per qualitatem aduersari occultam, atq; innominatam, id quod nos etiam authoritati vniuersitatis medicorum assentientes confirmamus. In vniuersum igitur omnibus hoc genere morbi laborantibus ex vsu esse debet, modo aliquid momentaneum non repugnet. Cum vero vires habeat calefaciendi, & siccandi, itẽ remolliendi, maturãdi, & in halitum digerẽdi: liquidò patet, quod omnibus per frigidam & humidam intemperaturam male habentibus vsum præstet. Adhuc vero & illis qui alicubi in corpore humores frigidos, & eosdem crudos & concretos habent. Quamobrem præter gallicum morbum prodesse poterit malo habitui, cachexian vocãt, neruorum resolutioni, conuulsioni, paresi, podagræ, arthritidi, coxendici, stupori, aliquando vero & mensium retentioni, & præfocationibus vterinis, adhuc autem & satietati, & sialismo id est superabundanti saliuæ, & intestinorum leuitati, in vniuersum verò frigidis omnibus morbis, & humidis siue cum materia, siue secus, conferre vtilitatem potest. Hęc de vsu medicationis per Indicum lignum. Iam vero de his disseremus, qui ad hoc genus medicamenti probe sunt comparati.

Quas habeat vires: & quibus morbis prosit.

Nemo est qui non per naturalem temperaturam, sexũ, corporis habitum naturalem, & ætatem hoc genus medicationis ferre nequeat: modo vires suppetant, & medicum doctum, & natura prudentem sit nactus. Quid enim prohibet, quin puerum tenellum, aut delicatiorẽ fœmellam, aut senem decrepitum hoc genere medicamẽti curare experiamur? An non possumus viuendi rationem, & medicamenti apparatum languentis temperaturæ naturali, sexui, corporis habitui naturali, & ætati, & viribus accommodare? Iam vero de præparatione medicamenti agendum.

Omnes cuiusque ætatis huius ligni vsum ferre possunt.

Indicum lignũ infundi potest & in quibus liquoribus.

Indicum lignum infundi potest, potest & coqui, potest & in

t in puluerē redactum deuorari. Verum in quouis liquore, prout ratio postulat, infundi & coqui potest, in *simplici aqua*, in *medicamentosa*, in *vino*, in *posca*, in *lactis sero*, & in summa in *liquore quouis*, qui operi & scopo, medici faueat, atque opituletur. Liquor igitur eligendus erit pro indicatione propensionis naturæ, & singularum partium affectu, siue principalium, siue principalibus inseruientium. Vbi enim natura nihil moueat, nec viscus aliquod momentaneum, aliquo præternaturali tumore sit affectum, ac præsertim lien, Indici ligni infusio & decoctum in *aqua fiat simplici & pura*. Vbi vero natura superfluitates moueat aliquorsum, si opportuna sit regio, tu pariter eo vim medicamenti idoneo ad id liquore, ex quo infusum vel decoctū is facturus, dirigito. Ad eundem modum si viscus aliquod inflammationem subierit, *à vino* abstineto: sin tumorem durum, *aquam* declinato, tuncq; de *posca* deliberato, maxime vero si lien præduro tumore sit affectus Quocirca si natura ad vesicam mouet, *aqua Polytrici, vel Apij vel Adianti* vti potes: sin ad aluum *Lactis serum* fuerit opportunum, *caprinumq;* inprimis. Neq; alienum fuerit, aliquando *aqua aliqua* vti ex sponte nascentibus, calidisq;, præsertim vero vbi gallico morbo societur lienis tumor. Liquores igitur eligendi, qui naturæ inclinationi respondeant, & viscerum affectibus aduersentur. Qua vero quantitatum proportione lignum cum liquoribus misceatur, nunc dicendum.

Quantitas liquorum ex quibus conijci debeat.

Sciendum tamen singulorum quantitatem nec sciri nec scribi posse, sed oportere, ipsam ex naturali temperatura laborantis coniectari, item ex habitu naturali, & sexu, & ætate, præterea ex magnitudine morbi, & aeris ambientis qualitate, & regione, & anni tempore, & præsenti tempestate. Viris enim natura calidis & siccis, & ad proportionē sui temperamēti benè habitis, si per gallicum morbum ad præternaturalem intemperaturam frigidam & humidam sint versi, meracius medicamentum dari debet, adhuc vero meracius si magna sit intemperies: multo autem meracius, si ambiens aer, regio, anni tempus, & tempestas, frigida sint humidaque. Meracius infusum erit, si seruata eadem liquoris quantitate, in ea *plus scobis ligni Indici* macerabis. Dilutius erit, si *minus scobis* immiseris, quod si *ad*

Quid sit meracius infusum.

Quid dilutius.

huc minus immiſeris, adhuc magis dilutum erit. Liquorem igitur feruidum ea qualitate qua volueris, in vas anguſti oris ſcobi inſpergito, os ſtatim obturato, dehinc vas in *calente furfure triticeo* obruito, duos integros dies macerato, dehinc percolato, & calidum propinato. Hoc parum efficax eſt, & pueris & delicatioribus fœmellis dari poteſt. At decoctum efficacius, paratur autem in hunc modum: ſumitur *ſcobi ligni, & liquoris* quem tibi elegeris, ſua cuiuſq; quantitas, prout ipſam ex illis indicantibus, de quibus ſupra potueris coniectari, *ſcobem*: in vas vt dictum eſt, anguſti oris coniicito, *feruidum liquorem* inſpergito, vas obturato, in *calidum furfur* ſepelito, diem & noctem macerato, dehinc coquito, aliquando ad quadrantem, aliquando ad trientem, nonnumquam verò ad ſemiſſem, ad tertias verò aliquando prout vel efficacius, vel minus efficax medicamentum habere cupis, ſpectando ſemper ad ea, de quibus ſupra. Hæc eſt ratio parandi infuſi, & decocti ligni Indici.

Decoctum ligni Indici.

Verum ipſius ſubſtantia tunc dari poteſt, quando langués ipſe liquida medicamenta auerſatur, ſolidiora non abhorret, ſed appetit, atque expoſcit. In cuius apparatu ad propenſionem naturæ ſpectare oportet, ſicut de infuſo & decocto dicebamus. Namque ſi natura ad aluum mouet, ei in tenuiſſimum, & probe excuſſum pollinem redacto, quę aluum leniant, admiſcere oportet, ſcilicet vel *pruna, vel paſſulas, vel palmulas, vel caſſiæ florem, vel mannam, vel myxaria, vel quid tale*, ea vero vel *ex ſaccare, vel ex melle* excepta *ad eclegmatis ſubſtantiã* reduci poſſunt. Sin natura vrinas vel ſudores mouet: tu *Indici ligni pollini*, quę vel vrinas, vel ſudores moueant admiſceto. Catalogum verò eorum, quę vrinas vel ſudores cient, ſuperius adnotauimus, nec opus eſt, vt ea iterum repetamus. Dari autem debet mane & veſpere ventri vacuo, ſaltem tribus horis ante cibum. Nunc de modo propinandi infuſum & decoctum.

Quando ipſa ſubſtantia huius ligni dari poſſit. Eius apparatus.

Vtrunque pariter datur ventri vacuo mane & veſpere, modo nequid impediat, calidum vtrunque, niſi pro tempore venter æſtuet, dehinc ſtragulis modicè operiatur. Sudorem enim ex impetu naturæ prouocari optamus, nõ ex onere ſtragulorum. Dormiat vt naturalis calor exinde ad viſcera reuocatus, atq; inibi vnitus, ac propterea roboratus, potionẽ conficiat, & ad venas, & ad corpus vniuerſum digerat

Modus propinandi decoctum & infuſum ligni Indici.

igerat ac dispenset. Sudorem si mouerit, ipsum ad vltimū etergito, eò enim plus sudabit, quo infrequentius detergatur. Potionis modus is esto, qui nec ventrem admodum grauet, quique nō in ipso fluctuet, & emergat. Vanum autem est numerum vnciarum potionis, vt plerique faciūt, explicare: cū non æquale pondus æqualiter ferant omnes, & aliqua potionis quantitas, in alio fluctuet, in alio indissolubiliter, amplectatur. Potio vbi confecta fuerit, & ventriculum dereliquerit, quæ nimirum ventris alleuiatio, & ructus indicabunt, tunc offerendi cibi instabit tempus. Iam igitur ad viuendi rationem descendamus.

Victus autem non secus, ac medicamentum oblatum, ad calidum & siccum spectet. Modum præscribunt, primum quæ languenti homini naturalia sunt, temperatura naturalis, ætas & sexus, & habitus naturalis: quæ præternaturalia sunt, scilicet morbus, morbi causa, & quæ morbum sequuntur symptomata. Hæc vero quia præternaturalia sunt, sese per cōtraria summoueri indicāt. Aeris vero qualitas, anni tempus & præsens tempestas, & regio, & exercitia, & mores, quia nec naturalia sunt languenti, neque pręternaturā, si morbo aduersantur, talia qualia sunt, seruare oportet, sin morbo consentiāt, tātum remittere eorum qualitatē oportet, quantum singula à sua cuiusque mediocritate recesserint. Hæc verò ad exemplum prædictorum superius, si emēdatione opus habent, corrigātur. Nunc autē de ratione victus in cibo & potu quæ adeò medicationi per Indicum lignum inseruit, vt vix citra ipsam vel tantillum iuuare illa videatur. Hæc sicut & illa ad calefactionē & siccationē spectet. Quod si languēs per naturam, per sexum, per habitum corporis naturalem, & per ætatem calidus sit, & siccus, tantò efficacius calefacere & siccare oportet, quanto horum ratione temperato calidior est, sicciorque. Adhuc verò & hoc ipso efficacius, si consueuerit eo victu vti, consuetudo enim altera quædam est natura, quæ per sibi similia cōseruatur. Victus nihilominus in hoc medicationis genere esto tenuis, prout vires languentis ferūt, sed præterea aliquid dandum est ætati tempori, & consuetudini. An verò plus cibi mane an vespere offerre oporteat ægrotanti id morbi exacerbationes indicabunt: In exacerbationibus enim abstinere oportet. Quamobrem si morbus

Aeris qualitas.

Victus ratio.

An plus cibi mane an vespere offerēdi.

bus manè increbuerit, vel cibi omnino nihil, vel pauxillum penitus offerri debet, sin vespere illud item obseruandum. Verum quo adusque hęc medēdi genus debeat prorogari, naturalis & temperies, & habitus indicabunt. Nāque si naturalis temperies à præter naturali sit derelicta, & habitus naturalis, qui sub improbo prius latebat, sit detectus, iam pulsus & respiratio ad sui cuiusque naturam rediere, mens probe constat, cibos appetit, omne genus excrementi, prout in sua quisque sanitate, excernit: Hæc vbi primum apparuerint, per hoc genus medicamenti satisfactum esse confidito. Quod si adhuc eò ventum non est, ne cessato, sed eodem medicamento instato, quo ad propositum tibi finem assequaris. Omnia enim secundum rationem facienti, si non eueniat secundum rationem, non est ad aliud transeundum, stāte eo quod ab initio visum fuit. Hæc de medicatione per Indicū lignum satis sunto. Nūc verò gallicum morbum cum intemperatura frigida & sicca copulemus: vel, vt rectius loquar, copulemus improbā qualitatem sæuam & contagiosam, qua sine morbus quiuis non amplius Gallicus appellatur, hanc ipsam igitur qualitatem cum frigida & sicca intemperatura copulemus in hunc modum.

Signa sanitatis.

Cuncta secūdum rationē facienti an ad alia trāseundum, stāte primo.

Exemplū ægri.

Statuamus igitur hominem excrementosum frigida & humida intemperie laborasse, per medicum quātum satis esse videbatur fuisse ab excrementis expurgatum: Interea verò deficientibus idoneis alimentis ita contabuisse, vt nō sanguis solum, & similarium partium nutrimentum, dissipata sint, sed & pinguitudo simul, imò & carnis pars maxima: siccitatem autem nec dum solidas partes attigisse, nec deesse tamen prauam illam gallici morbi qualitatem. Hic imaginatione, & reipsa, bini præternaturales sunt affectus. Vnus intemperatura frigida, & sicca, quæ corporis humiditati substantificæ nocet multum, prodest vero nihil. Alter, eadem ipsa frigida & sicca intemperatura copulata, cum venenosa illa gallici morbi qualitate. Prima vix quidem sanari potest. Secunda vero minimè, vt nos opinamur. Prima sui instaurationem indicat, secunda istud idem, ac præterea vsum alicuius Amulæti, quod venenosæ qualitati gallici morbi ex propria natura aduersetur. Verum quoniam nullum adhuc amulætum huius mali no-

nobis experientia submonstrauit præter Indicum lignũ & vsum Argenti viui, neutrum vero ipsorum caret suspitione: siquidem illa siccitatem auget, & imminuit corporis alimenta: hoc vero & exiccat quidem, & quicquid est excrementi à partibus ignobilioribus ad nobiliores pellit, scilicet à cute & carnibus ad os, & fauces & gulam, & ventriculum & intestina, quo fit, vt illa aliquando ita inflammet, & excoriet, vt nec languens mandere cibum queat, nec deglutire, vt nonnullos aliquando per inediã interire contigerit. Accidit vero etiam aliquando vt per excoriationem ventriculi & intestinorum successerit eorundẽ leuitas. Græci lienterian vocant, quæ sanata excoriatione, insanabilis effecta per leuitatem cicatricis hominem ad aquam intercutem, & tandem ad miseram mortem produxit. Sed amabo quis in tanto affectu siccitatis, in tanta virium infirmitate Indico ligno vel Argento viuo vti auderet? Superest igitur vt spreta nunc secunda intemperatura prout secum adiunctam habet qualitatem illam venenosam, Nos istam ipsam citra qualitatem venenosam curare experiamur. Curari quidem refectione, non quauis, sed ea quæ paulatim fiat: Quæ enim longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet &c. Animi tranquillitate, cibo & potu, opportunis scilicet qualitate, quantitate, vsus ordine, & temporis occasione, ad hæc dispensatione alimenti. Cibi igitur *humidi* sunto, *calidiq;*, sed circa cibi caliditatem admodum multa diligentia vti oportet, ne scilicet per immodicum calorem siccitas augeatur: Quãtitas autem noxæ modum calefaciendi subostendet. Hominis igitur taliter affecti curationem hisce principijs ordiamur. Quotidie purgatis alui excrementis, & ieiuno vẽtre hominem pinguiter ex *dulci oleo* fricato, dehinc in solium *aqua tepida* plenũ demittito, prout superius in curatione calidæ intemperaturæ dicebamus: in eo immorator vt sibi lubet, vbi exierit, linteis calidis detergitor, postremo iterum inungitor *oleo calefaciente*, *modiceque astringente*: ne cute per balneum rarefacta alimentum fusum, ac dispensatum, in halitum digeratur, his peractis aliquantisper in lecto quiescito, dehinc cibum capito, cibus esto *coctu facilis & nutriens*, *& minimè glutinosus*, *minimeque excremẽtosus*, in hoc cibi genere, *lac nuperrimè mulctũ* primas habet.

Intemperatura citra qualitatem venenosam quomodo curanda.

habet, ac præsertim *muliebre*, vt pote quod homini & simile est, & familiare, post ipsum, *asininum*, cuius omnis bonitas ad tenuitatem suæ substantiæ referri debet, ea enim ratione minime coagulatur, & citissime in corpus permeat, ac dispensatur, *mel* vero *optimum ac despumatum* ei admisceto, id quod nutrit quidem, & calefacit, ac neque lac cogi sinit. Vbi *lac* sumpserit, quiescito, quoad tempus sit secūdæ lauationis, id quod ferè erit post quatuor aut quinq; horas ab assumpto lacte. Verum an probè illud coxerit, ructus & ventris moles indicabunt. Namque quoad ructus lac redoleant & ventris moles non subsideat, secundæ lauationis adhuc tempus non est. Contra vero vbi ructus nihil olent, & subsedit ventris moles, iam instat lauationis tempus. Quamobrem igitur pinguiter fricato, vt prius, & reliqua ad eum modum, quem diximus, peragito, *lac cum melle* iterum exhibeto, & iterum quiescito ad cœnam vsque: ne alimentum, quod nuperrime concretum fuit, dissipetur & pessum eat. Æger autem si oblatione oblectatur, iterum & tertio ad præscriptum modū ante cœnam inungitor & lauator. Cibus verò, qui ad cœnā apparari debet, *panis purus* esto, *modice fermentatus, probè coctus*, & qui *salis nonihil* habet: cui etiam si aliquid *chiamastiches* addideris, venter, cui primam ciborum coctionem acceptam ferimus, aliquam consolationem minimè contemnendam consequetur. In obsonium *oua gallinacea* ad leuem cōcretionem diligenter cocta, sunt ex vsu, item *pulli gallinacei, & alæ, & testes*, ego vero *nec perdices nec phasianos* reprobarim, quorum scilicet carnes friabiles sunt, quia non pridiè nec nudius tertius, sed tādiu à iugulatione fuerint maceratæ. Tales enim à ventriculo iam per tabem inanito, ac semimortuo facilius & immutātur, & conficiuntur, sed & *auiculæ montanæ*, quæ molles sunt carne, sunt ex vsu, sunt enim omnium minimè excrementosæ. Declinare verò oportet, *à palustribus omnibus*, & ab *his quæ carnes duras* habent, siquidē illæ sunt excremētosę, eæ verò, vbi lāguet naturalis calor, sicuti nunc languet quidē, nec satis immutari neq; coqui possunt. Ciborū quātitas esto, si fieri pōt, quæ nō grauet quidē, nec homini statim somnū inferat, ac torporē. Quod si in homine exinanito, ac ferè macie cōfecto, qualis is est, qui nobis est propositus, vitari nequit, quam occissime

Cibus.

Obsonia.

ocissimè desinat, & grauis & torpidus, & somno captus esse. Ordo verò ciborum offerendorum is esto qui iam ferè à nobis est obiter declaratus: scilicet vt *liquida* primum & *coctu faciliora*, deinceps verò *crassiora, & minus coctu facilia* porrigantur. Verum occasio ciborum offerendorum inde expetatur, vt qui prius fuere assumpti, confecti iam sint, & ventriculum de reliquerint, quæ dignosci ex ructibus & ex ventris mole dicebamus. Potio, *vinum* esto, *vetus* quidem, & eò *antiquius* quo frigiditas maior fuerit, nec tamen adeò sit *antiquum*, vt iam amarorem in gustu ostẽdat, amara enim siccant nimis. Quantitas autem esto, quę in ventriculo nec fluctuet, nec innatet. Vbi verò per hanc viuendi rationem corporis habitus & plenior, & corporatior esse cœperit, iam non nihil victus venit immutandus: pluribus enim frictionibus iam vti oportet, ciboque vesci & crassiore & glutinosiore, hoc est magis nutrienti, vt pro lacte *alica* offerri possit, pro volatilibus *suillæ carnes, in alica elixatæ*. Sed propositum nostrum non est, vt totam refectoriam viuendi rationem omnibus numeris expletam exponamus. Illud autem quod initio fuit dictum, semper in memoria haberi oportet, quod hæc permutatio paulatim fiat: pariterque nec illius obliuisci, scilicet dandum esse aliquid ætati, tempori, & consuetudini. Hæc igitur de hac refectoria viuendi ratione in præsentiarum satis sunto. Verum vbi hominem ea macie confectum refeceris, finito tandiu quiescere ab omni medendi genere, quoad robore virium comparato, medicationis per Indicum lignum rationem tutò inire possis. Tuncque re probè gesta methodoque quam circa medicationem per Indicum lignum annotauimus inhærendo, certam fiduciam habere poteris, integræ sanitatis acquirendæ.

Ordo ciborum offerẽdorum.

Potio.

Ager si corporatior esse ctus cibus mutandus.

Sed paulatim.

Et pro ratione ætatis tẽporis & consuetudinis.

Nunc demum ad corrigenda symptomata descẽdamus. Tametsi nos multa recensuimus, cum de symptomatis agebatur: nihilominus quatuor sunt potissimum quorum nos sigillatim rationem habere est necessum. Primum grauitas scapularum. Secundum iugulorum, & summorum humerorum dolor. Tertium faucium rubor, & calor. Quartus pilorũ casus, & visus hebetudo: quæ ideò vnà cõiunximus, quia ambo ab vnica causa pendent, & eadem ferè curatione opus habent, differente tantummodò, ex natura

Symptomata huius morbi quatuor
1. Grauitas scapularum.
2. Iugulorũ.
3. Faucium rubor & calor.
4. Pilorum casus & visus hebetudo

tura affectarum particularũ. Grauitas igitur scapularum, quoniam à substantia vitiosorum humorum scapularum musculis incumbente est orta, vacuari postulat. Et quamuis multa sint vacuationis genera, commodissima tamen est ea, quæ fit per tenues meatus cutis, cũ sit magis vicina exitui, & minus periculo exposita. Vacuare verò per cutem possunt, quæcunq; rarefaciunt, subiecta attenuant, deterguntq; euocantq;: de his autem dictum est abũde cum de curatione pustularum, quæ per totum corpus spargũtur, agebatur, ad quæ recurrẽdum, ne eadẽ nos iterum frustra repetamus. Atqui iugulorum dolor expetit & hoc medicamenti genus. Verum quoniam eius materia altius est infixa, scilicet & in membranam, qua ossa integuntur, & in tendones musculorum, qui ad summum humerum peruenere, tanto tenuior & leuior esse debet, quanto meatus membranarum & tendonum meatibus carnium sunt angustiores. Sicut igitur minorem grauitatem parit in particula cui insidet: ita dolorem per acredine quam in sese habet sæuiorem. Cum prætereà sit alia caussa doloris, sæuioris, & obstinatioris, scilicet suæ particulæ densitas multo vtiq; maior carnium densitate, propterea & mitiore medicamentorum materia, magisq; rarefaciẽte opus habet. Pinguibus igitur admiscenda erunt, quę tenuem caliditatem in sese habent: neq; incõmodum fuerit, aliquid tãtillum admiscere, quod modicè sensum obscuret hebetetq;. Vsi sumus verbis, *tantillum* & *modicè* ne ex copiosiore vsu obstupescentiũ, tendones & mẽbranæ plus iusto dẽsentur, & contumaciores fiant. Sumito igitur *medullæ vitulinæ* & *adipis anserini* pares portiones *opopanacis & sulphuris* vtriusque prædictorum sextam partem, *opij croci*, singulorum sulphuris solius duodecimampartem, *ceræ pars quarta medullæ esto* & *adipis, cera cum medulla & pinguedine liquescat*, quibus liquefactis cætera tenuiter puluerizata adiiciãtur, & statim vbi cum *spathula* miscueris, ab igne amoueantur. Quod si magis digerere volueris, augeto *sulphuris* quantitatem. Sin magis rarefacere, & remollire, addito ad quantitatem *pinguedinis & medullæ opopanacis*, vel pro *medulla vitulina* vtitor *ceruina*, & pro *opopanace sagapeno*. Hac medicamento calente particulas dolentes illinito, verum prius linteo tepido particulas illas leniter perfricato, ab

Grauitas scapularum vacuatione curatur.

Grauitatis scapularum eadem cura.

to, ab illitione lana ex *æsypo pingui & calente* obuoluito. Possunt consimilia medicamenta, dempto *opio*, scapularum grauitati opitulari. Quod si vehementioribus euocantibus vti volueris poteris pro pinguedine & medulla, vti *oleis*, scilicet *chamæmelino*, vel *anethino*: vehementius verò fuerit *irinum*, *& laurinum*, *& oleum vetus*, *& cedrinum*, poteris etiam admiscere *adipem leonis*, *vel pardi*, *vel hyenæ*, quibus admisceri possunt & *radix bryoniæ*, *& aristolochia*, *& radix asphodeli*, *nitrum*, *arsenicum vstum*, *melanteria*, *& eiusmodi*: Imo & *euphorbium*, si vehementissimè volueris euocare. Hæc verò de grauitate scapularum & doloribus iugulorum & cæterum solidiorum partium satis sunto. Nunc verò de faucium rubore & calore.

Faucium rubor & calor statim vbi appareant ni supprimantur, inflammationem accrescent, inflammatio cutem si semel accesserit, nisi citissimè amoueatur, vlcus exedens parit tanta est huius morbi malignitas. Faucium igitur rubor & calor vbi statim apparent, quæ refrigerant quæque astringunt, adhibenda, & humores, ne influant cohibendi. Cohibentur illis ipsis quæ refrigerant, & adstringunt, preterea & reuulsionibus ad inferna. Refrigerant, & astringũt leuiter quidem, *posca*, *& lac chalybeatum*: vehementius *acuti lapathij decoctum & succus*: adhuc vehementius, *rubi decoctum*, *& canini rubi*: item mali *punicæ*, *& balaustiarum decocta*. His vero addi possunt, & *succus vuæ acerbæ*, *& rhois succus*, *& hypocystidos*, *& acatiæ*. Atqui deorsum trahunt, *acuti clysteres*, frictiones partium inferiorum, vincula supra cubitos admota, preterea & cucurbiculæ præcordiis affixæ scapulisq;. Si subsederint rubor, & calor, inflammationis omnis cessat timor. Sin non subsederint quidem, & iam inflammatio accesserit, & iam vlcus exedens peperit, tametsi de eiuscemodi vlceribus iam antea satis abundè suo loco dixerimus, nunc obiter adiiciamus, quod, vix eiusmodi vlcera citra suffumigationem sanari queunt. Cætera enim medicamenta à saliua abluuntur nec suæ facultatis vix imprimere quicquam possunt. Quamobrem nunc etiam ex vsu erit, aliquid de suffumigis addidisse. Et primum quidem dicemus quibus suffumigia conueniant, quibus vero minimè.

Faucium ruboris & caloris malignitas.

Curatio.

Suffumigia quibus conueniant.

Suffumigia sunt ex vsu his, quibus in faucibus vlcus malignum hæret, & quibus in gargareone, quibus etiam in palato præterea & his qui difficulter, & non nisi recta ceruice spirant, insuper & his qui in thorace multos frigidos succos habent: Iis verò ex vsu non est, qui sanguinem tussi reiectauere, neque non iis qui morbo sicco circat horacem malè habent.

Suffumigiũ quomodo paretur.

Suffumigium verò in hunc modum parare oportet. Sedeat languens, totus linteis operiatur: crura ab inuicem diducat, caput ita deorsum inclinet, vt facies genibus sit vicina, ore hiet, & ponatur suffumigium inter crura, & fumum ore hiante excipiat. Atqui melius fuerit, si per infundibulum excipiatur. Iam verò, quibus ad suffitum vti possimus, explicandum.

Ex quibus paretur.

In suffitu omnia ad siccitatem spectent. Hæc verò sunt, quibus suffiri licet. *Castorium*, *Aristolochia*, *Bitumen Sandarache*, *Ladanum*, *Therebinthina*, *Calaminthe*, *Styrax*, *Mastiche*, *Thus Cucumeris agrestis radix*, *Centaurium*, *Fœniculi semen*, Fortiora sunt. *Stibium & Mysi, & Cinnabari.* In compositis illud est experientia comprobatum: in humidis affectibus & pectoris & capitis, leue tamen est, ac commodatum delitioribus, & humidioribus naturis. Cõstat id ex *Styrate*, *Therebinthina*, *Sandaracha & Mastiche æquis portionibus*. Quod si siccantius facere volueris, addito *Cinnabaris* plus, minusue pro mali magnitudine, & temperatura naturali totius corporis, & affectæ partis. Hæc de suffumigiis. Nunc verò de vsu capillorum & barbæ.

Dicebamus supra ex splendore, & nitore cutis, & oculorum, & ex priuatione pruritus, & mordacitatis, astrui posse, minimè materiam alienam subesse cuti & tunicis oculorum (materiæ enim alienæ cutem & oculorum, tunicas fœdant, non illustrant,) imò potius per quandam simplicem, & alienam caliditatem rarefieri cutem & tunicas.

Alimentum pilorum digeritur & dissipatur in cute.

In cute digeri, ac dissipari pilorum alimentum: In oculis spiritus visui inseruientes. Ex his autem duæ indicationes elici possunt, vna ex caliditate illa non insigni cutis & tunicarum, oculorum, altera ab earundem immodica raritate: Illa refrigerationem hæc astrictionem indicat. Refrigerat ambiens aër, si talis esse contigerit, sin non sit talis appa-

apparetur eo pacto, quo alias superius dictum fuit. Item corporis & animi tranquillitas, & quies, & longus & altus somnus: Sicut contra exercitationes, & ira & vigiliæ in externis calorem augent.

Quamobrem, indiam, exercitationes, iram, & quicquid calefacere corpus potest, auersator, venereis abstineto, purgationes, sanguinis detractiones, omnes denique euacuationes, præter eas quæ naturæ sunt consuetæ, vt maximè hostiles declinato. Sunt ex vsu lauationes, primum quidem ex tepida, dehinc verò ex frigida, ad hunc enim modum frigida vis altius penetrabit, & suam facultatem imprimet, quæ si aluminosa, & ferrea sit, quales ex sponte nascentibus multæ sunt in Italia, cutem preterea & tunicas oculorum densabit, cogetque. Et vtraque ratione, ambo hæc symptomata retinentis pilorum alimentis, & visiuis spiritibus, reparabit, corrigetque, neque efficacius remedium reperiri posse crediderim, Sed & oculi, & facies sæpissimè lauentur, ex *posca admodum diluta*, constet ea ex *aqua rosacea, & rosaceo aceto*, esto verò sub solis calore tepefacta. Illinantur item oculi *ex ouorum albis* diutissimè in plumbeo mortario benè mundo agitatis, *lacte* insuper *muliebri* iam nonnihil acescente.

A quibus abstinēdum ægro.

Quæ ex vsu sint.

FINIS.

INDEX



INDEX PRÆCIPVORVM VERBORVM ET RERVM QVÆ IN HOC tractatu continentur.

A.

B.

Bilis

I.

L.

M.

S.

FINIS.

IMPRESSVM
FRANCOFVRTI AD MOE-
NVM, APVD HÆREDES ROMANI
Beati : Georgium Beatum, &
Ioannem Ludouicum
Bitſchium.



M. DCI.

